

Cœlum 9.
Cœlum 7.
Cœl. 6.
Cœl. 5
Cœl. 4.
Cœl. 3.
Cœl. 2.
DOMVS DEI
Authore R. P. NICOLAO CAVSINO Societ. IESV
Coloniæ Agrippinæ
Apud IOANNEM KINCHIVM Sub Monocerote Veteri.
Anno M.DC.LII. Cum priuil. S.C.M.

DOMUS DEI

IN QVA DE MIRABILIBVS


COELI TOTAQVE ASTROLOGIA, ET VITA COELESTI luculenter & copiosè differitur.

ADDITVR AD FINEM

EPHEMERIS ASTROLOGICA ET HISTORICA, CVM OBSERVATIONIBUS aduersus superstitiosa de

ASTRIS IUDICIA.

AVTORE R. P. NICOLAO CAVSSINO
Societatis Iesv.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote Veteri.

Anno M. DC. LII.

Permissu superiorum & Privil. S. Cæs. Majest.

S. AMBROSIVS

Tract. ſup. Pſalm. 47.

DE DOMO DEI


IN operibus ſuis Conditor, & in ædificationibus ſuis ædificator agnoſcitur, vt etiamſi nomen non audias, tamen ex operum qualitate Artificem deprehendas.

OBLATIO

DOMVS DEI,

Reuerendissimo, atque Illustrissimo, S. R. I. PRINCIPI, ac Domino,

D. THEODORO ADOLPHO, DEI GRATIA, ECCLESIÆ PADERBORNENSIS EPISCOPO, DOMINO CLEMENTISSIMO, PATRIÆ PATRI EXOPTATISSIMO.



Ngelum Pacis, à Nicolao Causino, Gallico non minus, quàm Latino nostri temporis Cicerone, acceptum, ad sacras Tuas, & Pacis amantes manus, REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRISSIME PRINCEPS, *haud ita pridem, tanquam venturi huius muneris arrhabonem transmisi, & fauente singulari tuâ humanitate acceptius Tibi fuit, quàm crocoton Herculi. Nunc ergo fidem exsoluturus exhibeo eiusdem Autoris* Domum Dei, *palatium Diuorum immortalium, immensum, admirabilium Diuinæ Mentis operũ amphitheatrum, rerum omnium sublimissimarum suspiciendum, commendandumquè Megaron. Sileat hic Herculeum Maximiani Brixianum, & Aquileiense, in quo supra fidem comptissimo atque pretiosissimo Filia eius Fausta Artificis manu ad viuum expressa Constantino Adolescenti galeam auro, gemmisq; grauem, donarium nobile exhibebat. Nihil hoc, nihil ad* Domum Dei *nostram accedit. Sileat hic sumptuosissimum Abu-hennonis exædificatum in regia vrbe Fessâ domicilium, cuius expensas cum Regius Quæstor ad quadringenta, & octoginta aureorum millia vnâ in libri paginâ numerasset, Rex discerptas ærarij rationes in*

fluuium abiecit, voce Arabis cuiusdam præpotentis inclamans: quidquid charum, quamuis carum; si pulchrum, carum non est. Nostra hæc Domus Dei *multis illam parasangis antecellit. Sileat hic etiam Domus regia Constantini Imperatoris Græci, Megauron dicta, in quâ splendidißimè exædificatâ thronus miræ artis, miri pretij, miri splendoris, ac venustatis conspiciebatur: iuxta verò eum ænea quercus tota auro obducta, varias volucrum species, ramis eius insidentes, modulis suauißimis odas concinentes exhibebat. Prope adstabant Leones aurei, qui insigni artificio ad arbitrium Moderatoris machinæ totius, modò sese ad lacunar vsque attollebant, modò ad pauimentum terroris atque maiestatis plenißimi demittebant, admissosquè Principum Legatos rugitu terrifico percellebant, quando in throno considens Imperator, motu propemodum insensibili, in sublime ascendens, Dei cuiusdam faciem præ se ferre, responsaquè per Interpretem adstantibus procul Legatis, dare audiebatur. Nihil hæc ad* Domum Dei *nostram innumeris partibus istâ præstantiorem. Sed & hic sileat aurea Neronis domus, tanto sumptu, tanto rerum omnium apparatu constructa, in quam perficiendam Otho quingenties sestertium (ò pretium ingens!) hoc est duodecies centena & quinquaginta millia aureorum nostrorum profudit, cum tamen operi iam tum nihil ad perfectionem deesse putaretur. Nihil hic eius stagnum instar maris effusum, nihil vineta racemis turgida, nihil sylua omni pecudum genere, ac ferarum plenißima, nihil aues argenteæ secundum Cæli cursum commotæ, nihil denique in solario sphengites lapis pretiosus, quo perpetuus dies, tanquam à Sole quopiam spargebatur:* Domus Dei *hæc nostra infinitis ista omnia excessibus anteuertit.*

uertit. Hic etiam hæreat in tenebris ipsa sapientissimi, ditissimiq; regia Salomonis, non sumptu solum atque artificio, sed omni varietate atque elegantiâ omnes domorum fabricas superante, constructa, tredecim annorum spatio ab ingeniosissimus Architectis absoluta, ex materia pretiosissima, ex cedro scilicet, argento, & auro, ex gemmis etiam ipsis mirabiliter illustrata. Nec commemoretur eiusdem deuotissimi in DEVM *Regis, nouum mundi prodigium, Basilica Salomonis, pro qua si triginta hominum millia cadẽdis tantum in Libano cedris, cupressisq; destinata fuerunt: quanta hominum millia poliendis marmoribus, cædendis tot hostiarum, holocaustorumqúe millibus, canendis quà voce, quà omni instrumentorum genere odarijs, exstruendo mari æneo trium millium battorum capaci, collocandis in sacrario mensis pluribus, etiam ex puro auro vnà, quadruplo pluribus ex argento, denique candelabris, quà aureis, quà argenteis decem millibus fabricandis? Ingens hæc est profectò, & sæculis omnibus admiranda, deprædicandaqúe* Domus Dei: *nobiles etiam, & inclytæ aliæ commemoratæ ædificiorum structuræ: sed mapalia sunt Menalcæ, casæ sunt Corydonis, sunt tuguriola Melibœi, imo infantium serperastra, luteæ puerorum domus, sunt pulueris, sunt fimi, sunt stercorum propudiosa farrago, si cum nostra* Dei Domo *in comparationis certamen deuenire audaciant. Nam vt Elementa, tanquam vilia quædam, obuiaqúe huius nostræ* Domus *atria transcendam, quanta domus Lunæ varietas: quanta domus Mercurij velocitas: quanta domus Veneris amœnitas? quanta domus Solaris claritas: quanta domus Martis soliditas: quanta domus Iouis maiestas: quanta Saturni domus vbertas? quanta domus Fir-*

mamenti cum ſplendore ſoliditas? quanta Domus Primi Mobilis ſecum omnia voluentis rapacitas? quanta Cæli Empyrei, quæ potiſsimum Domus Dei *vocatur, immenſitas, ordo, venuſtas, fulgor, rerum omnium abundantiſsima felicitas? Hæc mira eſt,* Domus Dei, *neque alteri conceſſa vlli huius magnificentia ſingularis. Iam quid illa, in* DOMO *hac, portentoſa ſiderum ſigna, tam fulgore, quam notatione admiranda? Quid Vrſa Maior, quid Minor, quid vtriuſque cuſtos vigilantiſsimus Bootes? Quid Cygnus cum ſtellato Dracone? Quid Cepheus cum Caſsiopea? Quid Pegaſus cum Andromeda? Quid Perſeus cum Meduſæ capite? Quid cum Eridano Cetus? Quid cum Orione & Argo Nauis?*

Quidque Aries? Taurus? Gemini? Cancer? Leo? Virgo?
Libraque? Scorpius? Arcitenens? Caper? Amphora? Piſces?

Hæc omnia in ſidereâ Domo Dei, *non tam ſunt (vti cenſent rerum ignari) portenta, quam ornamenta: non ſunt fabularum deliria, ſed ſublimium arcanorum myſteria communi vulgo ignota. Quid ſi iam ad Empyream* Domus Dei *maieſtatem ſacris literis atteſtatam oculos mentis attollamus, quantam hic rerum omnium præſtantiſsimarum excellentiam cognoſcemus? Nihil hic cum domibus noſtris commune: nihil ſuppar: nihil eſt comparabile. De magnitudine quid dicam? Ex aliqua ſtellarum notitia hanc deprehendere conantur Chriſtiani Philoſophi, aiuntque ſtellarum fixarum quaſdam eſſe magnitudinis primæ, alias ſecundæ, nonnullas tertiæ, atque etiam quartæ; & priores quidem illas centenis & amplius vicibus, poſteriores nonagenis, vel ſeptuagenis duabus Terrarum omnium vaſtitatem excedere, quarum ſola diameter milliaria Germanica, mille ſeptingenta octodecim; ambi-*

tus

tus vero totus, quinquies mille, & quadraginta duarum horarum milliaria comprehendat: vnde mathematica deductione certissima, supra septuaginta quinque milliones, quadringenta quadraginta nouem millia, insuperque centum quadraginta tria milliaria in sola fixarum stellarum Domo, *Hebrais* Shamaim, *latinis* Firmamentum *dicta deprehendimus. Quid nunc de Primo Mobili, Firmamento insistenti, vi ab Intelligentia sibi impressa cælos omnes ab ortu ad occasum rapienti, easque sua vastitate immane quantum superanti commemorabo? Quid de ipsa* Domo Empyrea *cæterarum omnium principe, omnes alias amplitudine, gloria, diuitijs, voluptate, omniqúe bonorū genere millies amplius excedente, quam Crasi opes Codri paupertatem; Myda abundantia, Iri penuriam; Luculli ac Sardanapali mensæ, Tantali famem sitimqúe copiosissimè superarint. Unde iustius, quam Baruch Vates Babylonius habeamus exclamare, O Israel, (Animæ Christianæ) quam magna es* Domus Dei, *& ingens locus possessionis eius! Quam nobiles, & supra omnem humani intellectus capacitatem excellentes in omni genere Mansiones illius? Vmbram aliquam depingit nobis in sua Apocalypsi Ioannes, cum ait, Fundamenta muri* Domus Dei *meros esse lapides pretiosos, merissimas margaritas, easqúe ingentes vtiqúe, ac decumanas. Hic Iaspis cum Sapphiro; Chalcedonius cum Smaragdo; hic Sardonyx cum Chrysolitho; Beryllus cum Sardio, hic Topazius cum Chrysopraso, Hiacynthus cum Amethysto splendorem, firmitatem, perennitatemq; fundamentis suis ingenerant, ac conseruant. Muri tantæ* Domus *ac Ciuitatis toti sunt ex Iaspide, lapide pretioso; portæ duodecim ex totidem ingentibus margaritis; plateæ illius*

au-

aurum mundum, simile vitro mundo. Quis non hic exclamet, non illud, quam terribilis, *sed, quàm* Amabilis *est locus iste? Hic est* Domus Dei, *ac porta cæli. Jam si ipsos* Domus *Inquilinos, si Præpositas ac Rectrices Cælis omnibus Intelligentias, si Ordines Angelorum in tres Hierarchias, nouemqúe Choros elegantissimè dispertitos, si horum nobilitatem, si numerum propemodum infinitum, si officia, ac virtutes eorum; denique si his omnibus contribules factas Electorum Animas, quas eodem Ioanne teste*, dinumerare nemo potest, *si viginti quatuor Seniores, populi sancti Principes, palmas cum coronis suis ante thronum* Dei *deponentes, varia precum odoramenta deferentes*, Deoque *laudem iugiter diuino suo Trisagio concinentes considerare; Si demum (in quo rei cardo versatur)* Deum *ipsum facie, tanquam Personis* Trinum, *tota Diuinitate* Vnicum *delibare (nam quis Mortalium, imo quis Immortalium explicare præsumat?) cogitaremus, nunquid ipsi Isaiæ Cherubini velatis mox pedibus, atque faciebus obstarent, suum* Sanctus, Sanctus, Sanctus *Dominus Deus* Sabaoth, *inclamantes? Nunquid mox ipse Paulus tuba sua Apostolica nobis, vti Timotheo suo insonaret:* Rex Regum, & *Dominus* Dominantium, *qui solus habet immortalitatem, qui solus lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest? In hoc igitur immenso Diuinitatis pelago metas meas, columnasque defigo, & vt Hercules in Chalpe suâ, Abyleque*, non vltra, *reuerenter inscribo, tantumque* Domus suæ *Artificem, quà possum animi demissione, & sacrà taciturnitate adoro, meumq; illi senium, ad hanc abyssum felicitatis anhelans, deuotissimè commendo.* TIBI *vero* ILLVSTRISSIME *ac* REVERENDISSI-

DISSIME PRINCEPS THEODORE, *hoc tam præstant* Domus Dei *donatiuo, fidem data arrha exſoluo, & ad aram Clementiæ atq; Humanitatis Tuæ mihi ſæpius impenſæ deuotus ac gratulabundus depono, offero, dico, conſecro. Gratulabundus, quia Gregi Tuo, totiq; Epiſcopatui de tali* Paſtore, *atq;* Antiſtite, *ſibi, ſuiſquè* Domum Dei *omni ſtudio, ac labore prenſante, adgeſtio, adplaudo, benèq; euenire percupio.* Deuotus, *quia virtutibus tuis* PRINCIPE *dignis, toto Patriæ Tuæ cælo collucentibus, hanc* Dei Domum, *poſt multos feliciſſimi regiminis annos, ex animo voueo, & exopto. Coloniæ Agrippinæ, pridie Natæ Virginis Immaculatæ Anno M.DC.LII.*

Illuſtriſſimæ atque Reuerendiſſimæ

Celſitudinis Veſtræ

Humilis Cliens ac Seruus

IOANNES KINCHIVS
Senator ac Bibliopola Colonienſis.

** QC-

OCCASIO ET TYPVS
OPERIS.

QVI de rerum notitia pleniùs ex antiquis philosophati sunt, dixere summum in hac vita bonum esse naturæ contemplationem. At verò inter cætera quibus humana mens iucundo veluti sapientiæ pabulo alitur & recreatur, primam dignitatem obtinet corporum cælestium meditatio, qua intramus in ipsam Dei Domum, contubernales angelorum, & primæ lucis candidati, *Rerumque parentem* (vt ait Manilius)

Pars sua conspicimus, genitique accedimus Astris.

Hæc me ratio impulit, vt istud opus de Domo Dei seu de mirabilibus cæli scriberem, quo capaces cæli animas in amorem primæ ac sempiternæ caussæ quibus possem facibus accenderem. Adde quòd sæpè fatigatus quæstionibus de Astrologiæ iudicantis veritate, aut falsitate, cupiebam quod iam Gallicè tentaui, Latinè pleniùs hoc libro absoluere, & Criticen Physicam à fallaci atque fabulosa seiungere.

Sciebam equidem Picum Mirandulanum nobilissimi ingenij, & acerrimi iudicij virum, duodecim libros contra Astrologos magno animi impetu scripsisse: Sciebam Alexandrum de Angelis è Societate nostra eius vestigia feliciter consecutum: Sciebam Sixtum ab Hemminga Frisium Directionum commenta diligenti operâ vexasse: Sed illi dum omnia prorsus Astrologiæ subtrahunt, nimis probando sæpè nihil probant. Placuit temperamentum aliquod huic quæstioni adhibere, & quæ probanda, quæ etiam repudianda, ex æquo bonoque definire.

Itaque postquàm illam quam in Regno Dei quærebam Harmoniam, vix in terris inueniri deprehendi, retuli ad celestes concentus animum, & admiranda Domus Dei peruestigare cœpi. Adiuuabat tum Corisopitensis solitudo, vbi Cæli prospectus liberior, & mens aulicis defæcata curis vltrò in suam originem reuoluebatur. Sed in gente licet honesta, & mihi benefica, vt quæ per aduersa iactato suauissimum portum tribuit, deerant libri, cælique Doctores Astrologi.

Vix tamen permittit Deus esse nationes, à cælo tam remotas, vt non aliqui existant qui arcanum non habeant cum stellis commercium. Inuentus tum à me Reuerendus Pater Yuo Pinsardus ex sacra sancti Dominici familia Doctor Sorbonicus, qui tum erat totius ciuitatis oraculum, Theologi & concionatoris partes agens laude non exigua, nec pœnitendo fructu: nunc ob rarissimas dotes Prior Parisiensis familiæ delectus grandem & illustrem Religiosorum cætum magnâ prudentiâ moderatur. Is cùm ad eximiam eruditionem singularem semper humanitatem adiunxerit, Ephemeridas & alios aliquot libros apprime ad elementa Astrologiæ necessarios commodauit. Inuentus quoque R.P. Romanus Brito, Capucinus, Vir eximiæ pietatis, & acutissimi in mathematicis ingenij, cum fratre laudatissimo iuuene, qui horum expers non erat.

Sed istorum auido iam communes libri non sufficiebant, aduocandæ Parisijs suppetiæ, inter quas vir clarissimus Claudius Hardisius Consiliarius Regius, meus olim in Rhetoricis discipulus feliciter occurrit. Is cùm vir sit optimus, & Mathematicarum rerum excellenti notitia præditus, eos quibus egerem libros, & seligere, & ad me mittere nunquam destitit. Sciebat tamen iniqua tum esse tempora, sciebat ad tristem partem (quod ait ille) strenuam esse suspicionem, & sæpè ad calamitatem quemque rumorem valere. Nil tamen extimuit vt fidem liberaret in aduersis, quam in prosperis obstrinxerat.

His ego adminiculis fretus, ad celestes disciplinas accessi, & vt eorum quæ hauseram aliquid in publicam vtilitatem refunderem, istud opus scripsi de Domo Dei, siue de mirabilibus cæli, quatuor

tuor

tuor libris distinctum. Primus continet *generales de cælo & mundo quæstiones* : Secundus est *de cælis Planetarum, Stellarumque fixarum*: Tertius *de iudicijs Astrorum, vbi quid de Astrologiâ iudicante sentiendum sit plenissimè statuitur*. Quartus est *de Throno Dei, & vita celesti*.

Scopus igitur totius operis est, non nouas indicare stellas, non cœlestium motuum minuta consectari, non systematum docere & discutere nouitates, non veteres aut recentes etiam tabulas ad amussim reuocare, instrumenta Mathematica, & obseruationes incompertas tradere, quibus nec genio nec otio par vnquam fui. Sed ex ijs quæ à veteribus nouisque tradita sunt, per visibilia mundi, ad inuisibilem Deum & contemplationem cælestium castas mentes allicere, vt omni ore, omni pectore, qui omnium principium est, & finis laudetur ac colatur, sacrificijs nunquam desituris.

SERIES LIBRORVM ET CAPITVM OPERIS DE DOMO DEI.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

COROLLARIVM DE MOTV TERRÆ.

LIBER SECVNDVS.

De septem planetis & stellis fixis.

CAPVT I.

De Sole.

APPENDIX:

De substantia Solis.

APPENDIX.

De Ecclipsi Solis.

LIBER TERTIVS.

DE VERA ASTROLOGIA
contra falsam & superstitiosam.

LIBER QVARTVS.

DE THRONO DEI, ET
vita cælesti.

Addita ad Calcem libri Ephemeris Astrologica & Historica, cum obseruationibus Astrologicis.

R. P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS.
DE DOMO DEI

LIBER PRIMVS.
PRÆFATIO.
De Cælestium rerum studio.

Baruch. 3.24.



ISRAEL *quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* (exclamat Propheta) Stupenda quippe omnibus rerum cælestium miracula, sed à paucis hodie obseruantur, à paucioribus dignoscuntur. In hanc tamen mundi familiam receptis occurrit statim cœlum, tantâ siderum pompâ, & tanto gloriæ ambitu: intrà se nos continet, implet vitali spiritu, lucem vitamque dispensat; modo percellit attonitos, modò etiam mulcet mœstos, & languentes erigit, omnibus obuium, omnibus intimum: Nec tamen satis vnquam conspicitur quo conspiciuntur omnia.

Plebeios hic animos non accuso, *quos labor improbus, & egestas districta curis*, in ergastulum quoddam necessitatis amandauit: ipsos ingenuos, ipsos nobiles, opibus validos, ingenio præstantes loquor. Alios ambitionis æstus per syrtes abripit, & cæca vitæ pericula, impatientes sui, tumultuantes omnibus, per sanguinem actos & flammas, vnde non nisi per præcipitia descendant. Alios in magnis diuitijs viuacior auaritia stimulat, cunctis erepturos, quod in dedecus suum, aut exitium seruent. Alios vrunt libidinum faces, & ganeæ in brutorum vitam ablegant Ipsi denique literarum alumni, ipsi qui haberi volunt antistites, aut in quæstum, aut in ambitum student quod vendant.

Paucos curæ sacratiores exercent, & se ipsâ contenta veritas. Ingentes oportuit viros fuisse, & semotos à vulgo, qui primi astrorum leges prodidère mortalibus. Non illos fasces, quibus sæpe stolidi tument; non quæstuosæ artes illexerunt, sed æternarum rerum ingens desiderium in arcem egit naturæ, per alta atque operosa studia contritos. O fortunatos quibus se pleniùs cælum affudit, sibi natos, sibi consecratos, acrioribus ingenijs, innocenti vitâ. Fuit hæc olim Regum cura, fuit gloria, radio cœlestes domos penetrare, & siderum volucres inuestigare cursus, ortus, occasus, & temporum vicissitudines suis signare regnis. Nunc postquàm sæcula dirus habendi, dominandi dirus ardor infecit, diuina negliguntur, vt seruiatur humanis.

Quin imus in pulcherrimas beatorum sedes? quin penetramus in adyta mundi?

ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος ἀναπνεύσασα εἰς τὸ συγγενῆ τὸν οὐρανόν. *Achilles Tatius in Isagoge ad Aratum*

Illîc patria: illic domus nostra est. Quoties in hæc supera vultum conuertimus, quoties dirigimus oculos, toties felicitati præludimus, toties intramus in cœlestium mentium societatem. Tunc lætus & alacer animus in suam originem redit, suam nobilitatem æstimat, suos computat census, & futuræ gloriæ stimulis sollicitatur.

Adde quòd honestissimam habet occupationem mentis hæc exercitatio, quam mira quoque suauitas perfundit. Iuuat inter sidera vagantem ridere curas hominum, & totum istud inane rerum, quod grandia etiam quæ sibi videntur ingenia, per tot irritos labores exercet. Iuuat quicquid ambitio struit, quicquid effodit auaritia, irretortis oculis despicere, *impositum Pelion Ossæ*, & in se rruituras subsannare Titanum moles, dum sui memor animus saginatur amplissimo, & iucundissimo diuinarum rerum spectaculo.

Itaque solutus aulæ curis, & in meliorem transcriptus sortem, totus nunc in interiores naturæ sinus feror, & quà lucet, inuolo. Hæsit istud intimis visceribus à puero desiderium: & forte ab ipsis inditum astris, vt in astra reuoluerer. Sed discendi, docēdi concionandi varijs functionibus exercita, nec sui iuris vita, cælestium cupiditatum stimulos cogebatur opprimere. At nunc postquàm otia quæ pœnas hominum infimi putant, mihi Dei beneficio in delicias cessêre, statui de Cæli admirandis nonnulla in priuatorum studiorum solatia scribere, ac primò quidem eius compositionem, ordinem, motum, stellas ob oculos ponere; deinde famosissimam quæstionem, & tam varijs contentionibus agitatam, de astrorum vi & effectu in sublunaria, quâ potero peritiâ, & æquitate decernere. Tandem etiam aggrediar thronum Dei, & æthereos empyrei Cæli consessus, Christo fauente describere.

CAPVT I.

De Cæli nomine, distinctione, & definitione.

OPEROSA omnis mortalibus de cælo quæstio est, tam remotis ab illâ sede, tam imperitis, & tam incuriosis rerum. Multos iuuat vetus axioma *quæ suprà nos, nihil ad nos.* Abeunt degeneres in vespertilionum, aut etiam talparum vitam, lucis atque ætheris exules perpetui: Sed generosa quæq; mens cognationem suam vltrò cum cælestibus agnoscit; intelligit se partem aliquam esse illius domicilij, quod tam beati ciues incolunt. Et certè benè cum rebus humanis egit prouidentia, quòd nullis fermè sæculis defuêre heroës animi, qui tentarent aspera, penetrarent abstrusa, iterque monstrarent solis Angelis, & mentibus exutis peruium.

Haud quaquam mirum est, si multa hæc scrutantes nos lateant, quin potiùs mirandum quòd tanta nobis prisci homines tradiderint, labore (vt ait Plinius) etiam Dijs improbo. Quadraginta nondùm sæcula terram omnem aperuêre. Diu sudauimus in puncto, nec dum prætergressi. Nouos orbes hæc ætas deprehendit, seruabit etiam alia nonnullos posterorum curiositati. Quid miramur si multa in cælo ignota sunt, solam veri ciuitatē quærentibus, cùm nondum auri claustra quæ patent omnia, tam sitiens auaritia reuulserit. Qui recentes detexêre mundos, multa primum crassius narrant, donec tempora congressusque hominum ad liquidum veritatem perduxerint.

Ita multa balbutire primum oportuit aggressos Cælum loqui, donec nos vsus & contemplatio limaret. Adhuc de ipso nomine

Quid pro-

mine lis est, nec apud omnes ratum quæ spacia firmamento definienda sint. Catharinus illud ipsum intrà octauam sphæram conclusit tot stellis conspicuam, Rupertus intrà aërem. Fugit eos solem & lunam qui in firmamento positi sunt, nec in octauâ sphærâ, nec in hoc aëre nostro consistere. Multa hîc turbant aliqui Theologi naturæ imperiti: Cœlum esse volunt quicquid finxerint, & sacris etiam eloquijs sua figmenta sæpius imputant. Solidos in Cælo Planetarum fornices, & quasi Semiramidis muros, crystalla etiam, sonosque musicos, & mirificas describunt contignationes, quas nunquam Moses cogitauit.

Propriè dicatur Cælum?

Longè hæc ille simplicius & melius. *Dixitque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita; vocauitque Deus Firmamentum Cælum.* Omninò nihil hîc aliud per Firmamentum intellexit, quàm aggregatum ex aëre hoc nostro, & superiori æthere: quod etiam Pererius, Delrio, Molina, & Hurtadus agnouêre. Vnde & Cæli nomine sæpe in sacris aër venit, cùm volucres cæli dicuntur, & cataractæ Cæli apertæ. Signantius tamen pars supera, in qua luminaria, & stellæ. Nec est quòd multum nos fatiget aquarum quæ à mundi primordio facta est diuisio, frustrà fluuiorum vortices inter ignitas mundi faces constituimus. Aquæ superæ sunt in nubibus, infimæ in mari, in fluuijs, & fontibus. Vtrasque disterminat impositus nobis aër, qui vtique firmamentum, & pars Firmamenti est.

Genes. 1. 7. 6. 7.

Quid sit Firmamentum.

Psal. 8. 9. Genes. 7. 11.

Aquæ supera & infima quæ?

Illusêre nomina veritatem sciscitantibus. Putauêre adamantinum esse oportere quod firmamentum esse diceretur, cum satis præiret luce Hebræum nomen רקיע quod nihil nisi *expansionem* sonat; hoc est, totum illud spatium quod à terrâ & aquis in superiora distenditur. Pari etiam errore tot cælos mouexêre, quòd cæli appellatio Chaldæis singulari numero careat, & flumina inter ardentes astrorum globos sparsêre, quòd apud eosdem Cæli aquæ nomina literulis alludant. Nam מים sunt aquæ, & Cæli שמים: Tantum. Grammaticæ etiam in Cælo licuit. Ex ijs constat licet in sacris literis Cælum appelletur quicquid ab aquâ suprà nos extat vsque ad stellas, propriè tamen præter empyreum duos dici Cælos, quorum vnum est Planetarum; Alterum stellarum fixarum. Vtrumque definiri potest: *Corpus naturale simplex, incorruptibile, motuum sublunarium Regimen principale.*

Diuisio Cæli & definitio.

CAPVT II.

De numero Cælorum.

De numero Cælorum variæ ambages torquentibus se ingenijs implexâ subtilitate. Mirum quòd Philastrius Episcopus Brixiensis; non obscuri nominis author, cuius etiam honorificè Sanctus Augustinus meminit, septem Cælos à Dauide, tres à Salomone poni memoret; nullo planè quod in eorum scriptis extet argumento. Nihil nimis pronâ credulitate tribuendum antiquis Theologis de rerum naturâ philosophantibus; Cælum credere quàm numerare maluerunt. Nonnulli etiam Philosophi quoties extra hæc elementa egrediuntur, in nouum & sibi ignotum orbem veniunt. Vnde & meritò Aristoteles Astrologos de rebus cælestibus consulendos monebat; nam parcè & exiliter de ijs dissêruit in libris de Cælo, titulo potius, quàm magnarum rerum notitiâ claris.

Philast. de Hæresibus.

Metaphys. 12.

Antiquissimi quique Astrorum interpretes nihil de vario Cælorũ numero statuêre, vnum rati. Figuras tantum ad motus siderũ deli-

Antiqui nihil de numero Cælorum dixere.

delineandos descripsêre, quas hypotheses vocabant. De vmbris malè posteri solida corpora fecêre. Varios induxêre in Cælum orbes & Sphæras Babylonij & Chaldæi, ambitiosâ potiùs nouitatis libidine, quàm fiduciâ notæ veritatis. Et certè quæ de Octonario Cælorum numero ab ijs manauit opinio, per multa sæcula stetit, cùm eamdem Platoni & Aristoteli arripere magis quàm discutere placuisset. Nullus errori finis, cùm semel cœpit. Septem Planetarum Sphæris, & fixarum stellarum Firmamento nonum Timocharis Cælum superstruxit, decimum Alphonsus. Alij vndecimum: tandem mirificam illam contignationem Cælo Empyreo Theologi claudunt. Qui octo Cælos statuunt, videre se & legere in stellis putant. Qui tres alios ijsdem superiores astruunt, sequuntur incerta motus, conijciendo potiùs, quàm demonstrando.

Pluralitas Cælorum à Chaldæis posteris [illegible] de 8 Cælis famosa: [illegible] auditi.

Validissima omnibus Ratio videtur ex Astrorum motu multitudinem Cælorum deprehendere. Sic enim instant: Vnum & idem corpus non posse eodem tempore moueri contrarijs motibus: Cùm igitur constet astra suis orbibus veluti clauos rotæ affixa oppositis agitationibus cieri, necesse est vni Cælo tot superiores astruere, quot in ipso deprehenduntur motus.

Ratio numeri Cælorum.

Falsam rationem facit falsa suppositio. Iam anile istud commentum est, astra esse in Cælo tanquam nodos in ligno. Manu nos in contrariam sententiam duxit diuinus Moses, cùm Firmamentum sine Astris creatum memorat secundo die, quarto demùm luminaria & stellas in eo positas, ne scilicet concretas illi putaremus, atque innatas. Deinde quantæ hoc prodigalitatis fuit fingere tot immensos orbes vni stellæ [illegible]os, & suum cuique Cælum velut annulum gemmæ, idque quasi ex ære solidissimo fabricatum. Credamus similiter Oceanum vni pisciculo factum, vni grano quicquid est terræ: nam stella ad comparationem orbis quem mente agitant, sic vtique exigua est. Quis iam cælos tanquam ceparum pelliculas inter se contextos, atque implicatos ferat? tantas & tam immanes æris atque adamantis officinas rapidissimo motu circà terram volui, & non omnia strepitu personare, motu concutere, flammis incendere? Qui scimus ita leuigatas in suis illis thecis stellas, vt non extent? In lunâ certè iam scabra montium, & plana vallium telescopijs animaduersa. Non putemus idem Saturno, idem Marti euenire; Et qua poterunt ratione intrà sua septa contineri, atque etiam moueri vt non enorme vacuum afferatur hostiliter naturam omnium pulcherrimam impetens?

Non stat.

Parùm fuit septem Planetis totidem Cælos diuidere? deinde vni tot lucentes aptare flammas? itur postea in Cælos crystallinos, mera imperitæ mortalitatis commenta. Nam vbi visi? vbi auditi? aut quo sensu percepti? Et si sensibus non patent, qua ratione, aut quo sacrarum literarum testimonio cogniti? Significari volunt per aquas suprà Cælos existentes, quas nullas præter nubes esse statim ostendam. Sed si ex aquis, quod plerique volunt, omnis Cælorum structura est, Cur soli illi aquei aut crystallini nominantur? Lynceos hîc oculos appello, quinam vitreos illos fornices, quibus instrumentis videre, at motu, inquiunt, conijciuntur. Sed si moueri per se astra, nec fictitios hos orbes desiderare respondeamus, quod mox liquidò probabimus, iam perit tota illa, & tot figmentis comparata machinatio.

Cæli crystallini fictitij.

Restabat vt crystallinum Cælum vndecimum inducerent, idque immotum, eâ ratione freti, quòd suas quæque tellus animantes, suas arbores, suos lapillos gignit mirâ varietate, quæ nulla esset sphæris omni-

nibus æquè super terram voluentibus, nisi Cælum aliquod immotum suprà cæterorum omnium structuram statueretur, cuius influxu tanta rerum diuersitas procrearetur.

Exilis ratio pro tantâ Cælorum quam volunt soliditate, quasi tam varium soli ingenium ex ignoto hominis fermè vnius commento, & non ex vario solis & siderum in tantâ Sphæræ inæqualitate aspectu pendeat. Placet iam istis explosis reuolui in purissimum antiquitatis fontem. Vnum Cælum agnouit; quemadmodum vnam terram, vnum mare, vnum aërem, vnum ignem, vnum Deum: Et si quid in eo distinxit, regionibus diuisit, non corporibus; vnam stellis fixis, alteram Planetis tribuens. Hoc longè melius & aptius; nam totum illud Sphærarum commentum propter varios astrorũ motus hominum subtilitas induxit: Atqui commodius omninò moueri deprehenduntur in vno & permeabili cælo, quàm si fingantur solidis & immanibus globis intexta. Nemini verendum est, ne soluta decidant in suâ sede æternùm hærent, æthereis corporibus, & naturâ volucri. Qui stare sine orbibus ea posse non putat, terram aliquando cogitabit in vacuo aëre quasi clauum defixam, ne labatur in supera. Adde iam, quòd vbi nihil præscribit fides, sensibus niti, rationibus vti par est. Atqui tantam crystallinorum orbium compagem nemo vnquam vidit, nemo attrectauit, nemo nisi tenuissimâ coniecturâ suspexit. Omnia per artificiosissimas instrumentorum machinationes scrutantibus Astrologis nihil aliud occurrit, nihil aliud in mentem venit, quàm immensus & penetrabilis æther, in quo nullo obice, nullo tumultu voluuntur purissimi Astrorum globi.

Antiqui vnum Cælum agnouere diuisum in multas regiones.

Suprà ætherem Firmamentum est, quod solidum, stellisque longè præstantioribus accensum meritò Astrologi putant. Ipse qui primus in adyta Cæli, quantùm homini fas est, penetrauit Hipparchus, nihil vnquam de Cælorum multiplici varietate dixit, arcanos siderum cursus tradidisse contentus. Hi qui multiplices Sphæras Planetarum notant, non diuersa Cælorum corpora, sed spatia intelligunt, in quibus quisque suis legibus decurrit. Hæc etiam antiquissimorum Patrum opinio non ignobilis fuit. Nam Iustinus Martyr, quæstione 57. ad Orthodoxos ait: οὐρανοὺς κατὰ οὐσίαν μὲν δύο, κατὰ διαστήματα δὲ πλείονας. Cœlos videlicet secundùm substantiam duos esse, plures secundùm interualla, intelligit (opinor) Firmamentum, & Cælum Empyreum, quod intrà communis naturæ leges non solemus includere. Chrysostomus quoq; Homiliâ quartâ in Genes. scribit: Τὸν δεύτερον διαπιστῶν οὐρανὸν ἔξω βαίνει, καὶ ὁ πλείους πειρώμενος ἀριθμεῖν, μύθοις ἕπεται. Qui secundum non credit Cælum, transgressor est: qui plures asserit, fabulator. Diuus etiam Augustinus duas Cælorum Sphæras posuit, in hac Astronomiæ materiâ satis vbique dubius.

Constat igitur naturali viâ philosophantibus stelliferam regionem in duos diuidi Cælos, quorum vnum est Planetarum; alterum stellarum fixarum: Constat Theologis alterum esse, in quo beatarum mentium domicilium, quod suprà Astrologorum notitiam est. Inde tres inueniuntur Cæli, & in tertium quidem se raptum Paulus asserit, quem Paradisum appellat, Theologi recentiores Empyreum. Repugnat huic nomini Caietanus, & alij complures. Temerarium istud alij putant, & penè impium. Sed nemo Christianorum est qui neget dari locum in Cælo altissimum omnium decus, idemque pulcherrimum, in quo beati ciues degant, & plenissimè fruantur Deo. Qualis autem ille sit:

[illegible] [illegible] cantur esse tres Cæli.

Quid de Empyreo sentiendum.

an cryſtallinus orbis, an igneus. hoc enim Empyrei nomen ſonat, adhuc incompertum eſt. Non colore, non motu, non luce, non vllis ſe adhuc argumentis prodidit. Non eloquia ſacra, non Concilia, non traditiones Eccleſiæ, aut antiqui Patres indicarunt. Appellatio ipſa prioribus ſæculis ignota. Strabus Fuldenſis monachus qui vixit ſub Ludouico Pio, & Lothario eius filio circà annum 850. primus inuexit orbi, alludens credo ad ἐμπύριοι Καλὰ quæ laudat in Cælo S. Dionyſius. Auguſtinus Eugubinus nihil aliud eſſe Cœlum illud Empyreum putat, quàm lucem illam inacceſſibilem à Paulo memoratam in qua Deus ab æterno habitat.

CAPVT III.

De materiâ Cæli.

NON eſſe tot Cælorum orbes ſolidos quod ſunt Planetæ, ſed Planetarum Cælum vnum, idque liquidum, credi par eſt: difficilis tamen hæc quæſtio mortalibus, quibus ſubuehi in cæleſtium arcanas ſedes non licet. Nonnulli materiam Cæli nullam dicere, quàm falſam ponere maluerunt. In his eſt Auerroes qui eamdem ſententiam tuetur obnixè. Sed repugnant Scholæ Philoſophorum, & ipſa Aſtrologorum experimenta, qui vno conſenſu aſſerunt Cælum corpus eſſe naturale, idemque ſimpliciſſimum. Quis enim credat inſtar mentis eſſe illud aſtrorum vehiculum, quod ab ipſis impellitur ſecatur, mouetur, cum & materiâ & formâ conſtare liquidum ſit, quicquid eſt mobile, quicquid etiam aut denſitatis, aut raritatis eſt particeps? Facilius hic eſt probare materiam, quàm definire.

Auerr. lib. 4. de cælo, text. 47. & 10.

Placet iſtud multis & claris auctoribus Cælos omnes Planetarum ex aquâ duratos in cryſtallum. Nam Deus (vt aiunt) totam abyſſum aqueam telluri ſuperfuſam in tres portiones diuiſit. Infimam intrà cauitates terræ concluſit; aliam impendit in multiplices mixtorum corporum texturas, quæ omnia fermè aquæ prædominantis imperio ſubiacent. Mediam (vt addunt) rarefactam commutauit in aërem, in ætherem, & quicquid eſt corporum cæleſtium, quô modô ſuper cæleſtes aquas ab inferioribus diſcretas autumant. Hæc cryſtalli facies blandiſſimâ ſpecie multis illuſit. Amamus ad mentis delicias fingere, quicquid non intelligimus, & probamus multa, non quia vera ſunt, ſed amœna cogitantibus. Mirum quo ſtudio huius ſententiæ propugnatores in eam, Scripturam & Patres trahere conantur. Hæc mens (aiunt) Diui Petri fuit, cum dixit: *Latet enim eos volentes, quòd Cæli erant priùs, & terra de aquâ, & per aquam conſiſtens Dei verbo.* Torquent ſe hic eruditi viri vt terram in Cælum vertant, & quæ de infimo elemento planiſſimè dicta ſunt, cæleſti naturæ adſcribant. Sed cum omnia mouêre, in ambiguis ludunt & nihil euincunt. Nam terra hic ex aquâ emerſiſſe, & ab eâ contineri ac circumuallari dicitur, non autem Cæli, qui plurali numero fuiſſent nominandi, vt nullus eſſet ambiguitati locus, ſi modo eos hac ſententiâ complecti Apoſtolo placuiſſet. Itur deinde ad Patres, & profertur S. Clemens libro primo recognitionum qui etiam Apoſtolorum Principem de hac Cæli cathedrâ Phyſicas concluſiones ſic decernentem inducit. *Iam verò aqua quæ erat intrà mundum in medio primi illius Cæli, terræque ſpatio quaſi gelu concreta, & cryſtallo ſolidata diſtenditur, & huiuſmodi Firmamento velut intercluduntur media Cæli & terræ ſpatia, idque Firmamentum Cælum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum.* Nun-

Pleriq; ex aqua compoſitos putant.

Reijcitur hæc opinio.

Petri ep. 2. 3. 5.

Nunquam tam enucleatè de naturâ rerum loquuntur Apostoli suprà naturam constituti. Quis nescit Recognitiones Clementis eundem esse librum cum Petri Itinerario, in quo multa ludicra, multa fabulosa, quæ ab Hæreticis, & ijs Philosophis aut scripta sunt, aut deprauata. Tot insolitæ narrationes, tot è Platonis libris petitæ dissertationes, nihil commune habent cum Apostolorum doctrinâ, quæ non de Stoa, sed de porticu Salomonis censetur. Additur Clementi comes Tertullianus libro de Trinitate, qui Nouatiano Hæretico tribuitur à S. Hieronymo. Acacius quoque Hæreticus, & Seuerianus infidus Chrysostomo, qui mulcere populos eloquio magis nouerat; quàm recta de Philosophorum placitis definire. Qui posteriores à nostro Saliano citantur Patres Cæsarius, Theodoretus, Anastasius Synaïta, Procopius, Beda, Anselmus, pedibus eunt in eam quæ occurrit sententiam, recitare quæ acceperint, quàm accipienda statuere doctiores. Nihil hic mirandum si quod ab vno dictum est in isto argumento, ab alijs indiscriminatim describatur, quibus ista tractare mens non fuit, sed obiter recensere.

August. lib. 2. de Genesi ad literam.

Cautius D. Augustinus dixit; *Firmamentum, sicut quibusdam videtur glacies est aquarum.* Quo satis ostendit se non sua loqui, sed referre aliena. Diuus Hieronymus ad Oceanum nihil hic aquarum præter allusionem nominis recognoscit. *Inter Cælum (inquit) & terram medium extruitur Firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis etymologiam Cælum* שמים ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ quæ super Cælos sunt, in laudes Dei separantur.

Non multum igitur hic habent quæcunque proferri è Patribus solent testimonia momenti, quia non de fidei dogmate, sed de Astrologiâ quæstio est; quam ex ijs delibauerunt pauci, nulli ferme tenuerunt. Deinde quæcunque hic de glacie & crystallo commemorant, de similitudine potius quàm de substantiâ dictum volunt, congelatas etiam dum in Firmamento aquas loquuntur, nihil aliud quàm in aëre concretas nubes intelligunt. Nam & apertissimè aër Firmamentum vocatur, vt notat D. Thomas. *Secundùm opinionem Basilij (inquit) ab Augustino approbatam potest intelligi illud Firmamentum, non in quo sunt stellæ, sed illa pars aëris in qua nubes condensantur, & vocatur Firmamentum propter spissitudinem aëris:* hæc ille. Cæterum quæ tanto ambitu in adyta etiam Theologiæ irrumpit opinio, orta est ab Empedocle στέρεμνον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς. *Cælum esse solidum glaciei in modum, ab igne ex aëre compactum*: quanquam longè melius ille aëri tribuit quod illi aquis. *1. Part. q. 69.* *Plut. de placitis Philos.*

Iam fere ista explosa est ab omnibus qui modò rectè ratiocinantur, sententia, quia multa habet hiulca & turbida humanæ menti & experimentis aduersa, quæ cum credi nisi ægrè non possint, possunt facillimè refutari. Primum quàm contumax istud & durum, immania corpora ex aquis in glaciem concreta in ipso mundi fastigio collocare, quæ vtique si prædominantis elementi naturam, vt par est, sequantur, necesse est ea in violento statu semper esse. Diuiniora sunt omnia supera, quàm vt ex elementis nostris contexta credamus. Præjt, si sequamur, ipsa natura, & omnia nobis grauia in imo ostendit. Quò excellentiora quæque sunt in hoc vniuerso, eò magis in exilitatem materiæ limata. Terram omnium infimam suum in centro pondus alligat. Aquæ vt naturæ præstantiâ, sic tenuitate eam vincunt lapsu facili se insinuantes in corpora. Qui aquis insidet aër, ipsis quoque gracilior est. Quid restat nisi vt aëri incumbens æther, sit ipse aë-

Crystallina soliditas Cæli explosa.

aëreæ naturæ vicinus, purus, defecatus, liquidus, in quo stellæ velut aues in cælo, & pisces in mari placidissimè suos cursus statis legibus obeunt? Certe si tribuatur Lunæ Cælum solidum eiusdem cum ea substantiæ, refringet continuò Solis radios; & terris per noctes vastissima eaque perpetua lux erit. Iam expende quantùm lucis, caliginosæ de Cælo scientiæ, quantùm facilitatis hæc veritas attulerit. Torquebantur Astrologi quasi Promethei ad saxum alligati. Quoties aliquos Astrorum flexus antea sibi ignotos deprehenderant, toties nouos Cælos, toties portentosa illa crystallinarum Sphærarum corpora mente fabricabant, mera ægrotantium animorum insomnia. At nunc solutâ hac dominantium orbium tyrannide, eunt astra facillimo motu, & arcanos meatus inflectunt suo nutu, suâ lege quam de conditore Domino didicêre. Nulla iam rixa inter primum istud mobile quod tam diuersè statuunt, inferioresque Planetas, nulla hîc fingitur atrox & æterna pugna impellentium & obnitentium: Sua cuique spatia, sua cuique regna descripta, inter quæ mouentur, non adamantinis alligata vinculis, sed pede libero, nec itineribus impeditis.

Fluiditas Cælorum multùm lucis attulit Astrologiæ.

Statuitur variis rationibus.

Deinde tam multa sera ætas in Cælo deprehendit, quæ liquiditatem eius apertissimè probent, vt negare nemo Astrologiæ gnarus sine stupore possit. Nam Cometæ castigatissimis vbique & vndique spectantium Astrologorum obseruationibus supra Lunam deprehensi, nec istud negari nisi à stolidis aut certè pertinacibus potest. Quæro igitur (si quod soliditatem Cæli propugnantibus etiam placet) ex habitu elementari compositi sunt, vnde in hanc ætheream regionem penetrarunt? Quibus machinis æternam illam & solidissimam glaciem perrupêre, vt in eo rerum apice consisterent? Sed nec de solis Cometis quæstio fatigat reluctantes, nam nouæ tam sæpe stellæ apparuêre, tam sæpe peritis omnibus rerum miraculo defixis obseruatæ: vnde natæ? vnde emersæ? Quomodo in his enodandis & oculis, & experimentis satisfacere possumus, nisi liquida illis ætheris spatia permittamus? si noua respuuntur Phœnomena, insistemus antiquis. Cur motus Martis nunc infrà, nunc suprà Solē? Cur Iouis & Saturni satellites eosdē alterno meatu superi & inferi ambiunt, idq; motu Elliptico, qui citra vacuum, aut penetrationem in solido fieri nequit. Cur opaca stellarum corpora nunc plura, nunc pauciora circà Solem discurrunt? Quis hæc & similia, nisi fluido & permeabili Cælo explicet? Quis neget secari instar aëris orbitas, quas astra suis vestigijs premant? Sed ne vrgere solùm videamur ea quæ rariùs contingunt: Videmus Planetas nunc longiùs dissitos, nunc propiùs terris admotos. Solem siquidem aiunt Mathematici in Apogæo distare ab orbe nostro 1182. terræ semidiametris: in Perigæo 1101. Quis igitur cum orbi crystallino indissolubilibus vinculis tanquam clauum tabulæ affixum putet, qui tam immanibus spatijs quotannis descensus & ascensus suos notet?

Postremò cum ipsis oculis, cum acerrimo omnium sensu, cum statis, & omnium consensu probatissimis Opticæ regulis certandum est illis, qui fluiditatem Cæli negant. Nam vt Alhazen, Vitellio, & Rhotmannus contendunt. *Si res visa & oculus videntis sint in diuersis medijs, rem visam, nisi superficiei secundi medij ad perpendiculum insistat, semper infractè, & nunquam suo loco videri. Sic enim contingit, vt cùm oculus aspicientis sit in aëre, obiectum verò eius in aquâ, imago extra rei ipsius locum, per refractionem sesemper offerat.* Vnde si Sphæræ cælestes sunt solida corpora ab aëris naturâ longè diuersa, necessariò omnes stellæ extra verticem consisten-

ſtentes, propter infractas ſpecies nunquam ſuo loco cernentur, ſed pro diuerſo potius alias atque alias inter ſe diſtantias obtinebunt. At verò iſtud neque ab Hipparcho, neque à Ptolomæo, neque ab Albategnio, neque ab Alzaele, non à Regiomontano, aut Copernico, aut ab alio animaduerſum. Sed quæ de ſiderum motu & eclipſibus à peritis traduntur, accuratiſſimè calculis reſpondent: Quæ niſi fluido inſiſterent, omnia confuſa & turbida in Cælo eſſent, neque vlla de cæleſti motu extaret apud nos diſciplina. Si ſtellarum imagines per tot cryſtalla nobis affluerent, vbique imponerent, & ſuas mentirentur ſedes, nihil in Aſtrologia certum, nihil conſtitutum haberetur; quod tamen omnium ſæculorum repugnat experimentis.

Iob. 37. 18. Expenduntur loci Scripturæ, qui putantur fluiditatem negare.

Poſt tot argumenta iterum aduerſarij ad Scripturam confugiunt ſolidiſſimos à Iobo dici Cælos, & quaſi ære fuſos ad nauſeam vſque obijciunt. Certè nihil imperitis ſacrarum literarum hominibus iniquius, vbi ſemel ex biblijs locum aliquem arripuêre ſiniſtra interpretatione ad ſua placita detortum. Primùm hoc quod ipſi volunt nuſquam à Iobo dictum eſt, ſed ab Eliud iuuene arroganti & ignaro, qui multa & inconcinna in ſanctum virum effutijt. Deinde ſi verborum Hebraicorum vis inſpiciatur, nomen שחקים חזקים quod hic vſurpatur, non tam Cælum quàm nubes & aëream regionem ſignificat, quod etiam Caietano & alijs eruditis placet: Duo autem in aëris naturâ miratur, vnum quòd tam fortis ſit & validus vt qui ingentia etiam corpora impulſu moueat, hoc enim notat epithetum חזקים, quo nubes appellauit: Alterum quòd in hac validitate tantum habeat perſpicuitatis, vt poliriſſimo æri ex quo fiebant ſpecula, non abſimilis videatur, hoc ſonat כראי מוצק. Atqui abſurdum videtur Cælum vocare Firmamentum, ſi liquidiſſimo aëri propius eſt: a. ſunt igitur S. Auguſtinus, S. Baſilius, & ipſe oculus naturæ atque Theologiæ ſanctus Thomas, qui Firmamenti nomen etiam huic noſtro aëri tribuêre. Quippe Firmamentum non à ſoliditate materiæ, ſed à perennitate durationis appellatur, & in eo vis nominis miranda, quòd tam tenue, tam fluxum vt videtur corpus, manu Dei firmatum annos vincat, & ſæcula, ſuoque influxu ſuſtineat & firmet vniuerſa.

Pſal. 32. 6. Prou. 3. 19.

Ridiculum eſt igitur ex eo quòd Cæli verbo Domini firmati dicuntur in Pſalmis, aut ſtabiliti in Prouerbijs, inferre corporis ſoliditatem, non ſtatus conſtantiam. Etſi à D. Paulo penetraſſe Cælos Chriſtus dicitur, cogitare illos veluti muros æreos, quaſi gracilia corpora penetrari faciliùs non poſſint quàm ſolida, cùm penetrare hîc nihil aliud ſit quàm obſtantia diuidere, inſtar ſagittæ quæ aërem ſecat, & in interiora rerum admitti.

Quæret hic aliquis an Firmamentum quoque ipſum tot illuminatum ſideribus inſtar cæterorum orbium fluidum habeatur? hæſitantiùs quidem de illo pronunciari iſtud par eſt; ſed cùm nobis aliud de eodem nihil conſtet, nullum quoque diſcrimen hic ſtatui certò poſſe plerique contendunt. Nam etſi quæ in eo apparent ſtellæ (vt aiunt) æqualibus ſemper interuallis ſint inter ſe diſtinctæ, non impedit quominùs in fluido moueri, etiã cum hac æquabilitate poſſint. Certè (vt dicam quod ſentio) hæc quæ de fluiditate Cælorum nunc ſedet opinio, ſi Planetarum orbem ſpectes, non modò antiquiſſimorum Philoſophorum dogma celeberrimum fuit: (Nam Anaximenes in ſuperioribus mundi nihil eſſe dixit, præter immenſum & animalem aërem in quo mouerentur aſtra) ſed in eam quoque propendent S. Iuſtinus Martyr, S. Cyprianus, Euſebius Emiſſenus, Chryſo-

stomus, Procopius, Diodorus Tarsensis, Philastrius, & nunc omnes ferè recentiorum scholæ. Credibile tamen est Firmamentum tot stellis collucens, esse solidum, sed ex præstantissimâ materiâ, longè aliâ quàm sit aqua, aut glacies, fuisse compositum, ibique esse perennem & magnificam quam speramus, quàm quærimus, Dei domum. Arrisit (vt video) hæc eruditissimo Keplero sententia, qui in thesauro Astronomiæ in Trinitate ponit Patrem centrum, filium circumferentiam, Spiritum sanctum inter medium centri, & circumferentiæ: ita in Vniuerso, solem centrum, Sphæram fixarum circumferentiam & quasi vallum firmissimum Vniuersi, Systema Planetarum, statuit intermedium.

Lib. 4.

CAPVT IV.

An sint aquæ super Cælos.

EXclusâ glacie ingerunt aquas Cælo, conatu magno, & peruicaci contentione, quam firmare etiam diuinis nituntur oraculis. Sed dum præposterè sacras literas intelligunt, torquent in Deum Dei verba, non sine tormento vniuersi. Scilicet parum vidit diuina Prouidentia quæ tam sapienter discreuit orbem, & elementis iura descripsit, iussit congregari aquas quæ sub Cælo in locum vnum. Congregationes aquarum appellauit maria, quæ pulcherrimè in vsum mortalium diffudit, terram cingens Oceani limbo. Nos diuisionem istam non patimur, & quæ inferis addixit, tollimus in superos. Non placet esse vnum mare, sicut vnam terram; moles aquarum ponimus in Cælo, quæ si vnius tantùm milliaris obtinerent profunditatem, quicquid humoris terrestris continerent, multò plus quàm numero mille millioni. Et si vno tantùm passu extarent, caperent plus quàm ter millies. Quæro igitur cur in Mosis Cosmopœa tam vasta tam prodigiosa silentur maria, & nostrum hoc memoratur insignitum amplissimo magnitudinis nomine. An putemus Deum voluisse amicum terræ elementum, inter fastigia mundi quasi in carcere in violento eoque perpetuo statu detineri? Quin terram pari modo transcribimus in sidera, cùm non minùs aquæ quàm ipsa, sua mole ad inferiora trudantur?

Genes. 1. 9.

Enormitas aquarum Cælestium.

Contra hanc opinionem disputatur.

Sed forte aquarum cælestium ingens aliquis vsus est, nam ad fines certos omnia mens diuina composuit. Cuinam igitur emolumento futuræ sunt cælestes aquæ? An hîc positæ vt astrorum temperent flammas? Sed qui hæc asserunt, neque ignes in Cælo esse volunt: & si sint, mites & exanimatos in suo videlicet regno constituunt. Adde quòd tanta vis immanium aquarum non ad moderandum esset, sed potiùs ad iugulandum. An & ex istis irrigantur terræ? Sed neque istud admittunt qui eas Firmamento in æris modum fuso, quasi æternitatis vallo contineri asserunt, & deesse nobis aquas, nec maria, nec nubes patiuntur. Quid hîc igitur agunt exules & captiuæ, quibus etiam miraculo quodam opus est vt ibi conseruentur? Ad corpora beatorum confugiunt, cum quibus comparantur, quasi in beatitudinis statum quemdam, admitti oporteat elementum terris natum, vt constet veritas somnijs, & ratio figmentis.

Videntur ibi aquarum sta-tus.

Nullo emolumento.

Sed magno detrimento.

Restabat vt quidam Theologorum innocenti coniecturâ dicerent, hîc teneri ad exhilarandos cælestium ciuium oculos. Debuerant addere pauonum caudas, & secta in triangulos vitra quibus mirifici colores insunt. Dehonestamus profectò Theologiam puerilibus commentis. Nulla ratio super Cælos aquas esse (vt aiunt) satis persuadet. Sed Scripturæ clamant, qui-

An ibi ad recreandos beatos.

Daniel 3. Psal. 103. quibus non solùm credere, sed immori debemus. *Benedicite aquæ omnes quæ super Cælos sunt Domino.* Deinde. *Extendens Cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Inde (aiunt) tot Patrum, tot Doctorum, & omnium pene sæculorum concessus, qui hoc ipsum profitentur. Inde Sophronij Epistola quæ recitatur in VI. Synodo Constantinop. vbi inter errores Origenis numeratur quòd supercælestes aquas improbaret.

Loci Scripturæ pro aquis solmuntur.

Vnus & promptissimus tam multiplicibus nodis cuneus. Si dicamus reuera esse super Firmamentum, & super Cælos aquas: Verùm hîc nomine Firmamenti & Cæli, intelligi non partem illam superiorem in qua sunt luminaria & stellæ, sed inferiorem illi, superiorem nobis in qua sunt nubes aquis salubribus fœtæ. Quid est in hac interpretatione violentum? Quid detortum? An aërem Cæli & Firmamenti nomine designari negabimus? Atqui hoc ex vsu liquidissimum, cùm volucres Cæli, & cataractæ Cæli tam trito & familiari verbo in sacris nominentur. An & eas esse germanas aquas inficiabimur quæ ex hoc Cælo & nubibus affluunt? Sed nemo istud nisi naturæ imperitus dixerit! Quid restat igitur nisi vt facili enarratione intelligamus Scripturam quemadmodum ipsa præscribit ad naturæ veritatem, non ad intorti sensus violentiam? Vidit hoc August. lib. 2. de Genesi ad literam, & intulit. *Multi asserunt istarum aquarum naturam supra Cælum sidereum esse non posse, quòd sic habeant ordinari um pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter ferantur. Nec quisquam debet istos ita refellere, vt dicat, secundùm omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere aquas cælesti corpori in quo sunt, sidera superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum scripturas eius, nos conuenit quærere; num quid in eis, vel ex eis, ad miraculum potentia sua velit operari?*

Aquæ cælestes sunt in nubibus.

August. lib. 2 de Genesi ad literam.

Aptissimè quidem istud, vbi & addit deridendos proponi libros sanctos, si in rebus quæ naturam spectant, ex ijs conemur asserere quod certis rationibus, aut experimentis manifestissimis repugnat. Præterea postquam ibidem commemorauit illam quam de aquis Cælo aëreo insistentibus dixi sententiam. *Hanc ego diligentiam* (ait) *considerationemque laude dignissimam iudico, quod neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.* Ex quo apparet quàm præposteri sint, qui dum sua figmenta conatu cæco, inerudita mente, tueri contendunt, verissima Theologorum benè sentientium placita, pene inter hæreses retulêre.

S. Augustinus hanc sententiam probat.

CAPVT V.

An sit ignis ad conuexum Lunæ.

IGNEM de Cælesti arce detrusêre, ipsi qui aquas inferunt, relegatum scilicet in Lunæ conuexa. Et certè de propria eius sede magna lis inter Philosophos fuit. Quidam instar Dei, nullibi esse voluerunt, quia vbique est, & (vt ait Tullius) *igneum genus tranat omnia.* Sic Valesius de sacrâ Philosophiâ nullius loci amore teneri existimat, sed in omnes penetrare, omnium auidum, & cunctorum artificem. Scintillat (aiunt) in silicum venis, in leonum viuit ossibus, alitur etiam in balneis & fontibus nonnullis. Hoc fornaces sudant, ardent halitus, tonitrua mugiunt, puniunt inferi. Hoc cibi constant & medicamenta, hoc arma fiunt, hoc vasa; & quicquid agriculturæ, quicquid tot artibus militat: omnibus inest, omnibus interest. Inde donum Cæli hunc maximũ veteres censuêre,

Ignis nullibi, quia vbique.

Vitruuius de Archit. lib. 1. Ignis inuentio.

in Deum etiam Chaldæi & Persæ consecrarunt. *Homines enim* (vt ait Vitruuius) *veteri more ignis expertes erant & ignari, donec quodam fortè loco arbores crebro ventorum turbine agitatæ, irrequieto ramorum attritu ignem concepêre* (crediderim potiùs ex incensis nubibus deciduum) *Flamma primùm qui aderant exterruit fugauitque, mox almâ suâ luce & benigno calore illexit admirabundos, & discussâ ignorantiæ caligine, fide & grato fructuũ quos spondebat, experimento, in suam traxit familiaritatem.* Hinc tantus ignis amor & veneratio, quo nostræ etiam immortalitatis (vt Lactantio placet) habemus argumenta. *Cælisti elemento quod est ignis* (ait ille) *homo solus vtitur. Si lux per ignem, vita per lucem, apparet eum qui vsum ignis habet, non esse mortalem.*

Lactantius in Epitom. Ignis nostræ immortalitatis symbolum.

Hunc veluti indiuiduum vitæ comitem, domus larem, vigiliarum conscium, & diuinorum adiutorem studiorum atque operum experimur. Præferri sibi Persarum reges & Patriarchæ Constantinopolitani dum incederent cum pompâ voluerunt. Perpetuum & vigilem plerique sepulchris inclusere. Nam & in Neside insulâ, superiore sæculo marmoreum sepulchrum inuentum, & phiala in qua tùm adhuc lucerna visa est ardere, quam quindecim sæcula non extinxerant, viso aëre confestim euanuit. Cælestem tanta dignitas igni vendicat sedem, nec teneri in his inferioribus locis, nisi miseratione numinis quasi beneficum exulem multi putant. Nec dubium quin deberi se superis ille sursum semper emicans vigor ostendat. Sed nolim infra globum Lunæ alligari.

Lampas per multa sæcula ardens. A porta lib. 2. Mag natural.

Non esse ignem ad connexum Lunæ.

Primùm quia nec istud oculorum, aut alius quilibet sensus prodit, nec vlla ratio satis indicat. Sequuti sunt elementorum textum, qui primi asseruêre. Putauêre vt aquam terræ, aquæ aërem, sic aëri necessariò ignem imminere, quasi ascendere vltrà non posset. Deinde nimis admouent terris vorax elementum, & omnia si illic esset, incendio consumpturum. Nam si quod aiunt aër vaporosus à terris in superiora diffunditur per quinquaginta fermè milliaria, Si totidem tribuamus subuli flammæ, & decupla sit ignis ad aërem (vt æstimant) proportio, quantam illic & quàm immanem statuimus vim ignium? Nobis inde quotidie nouus aliquis Phaëton exorietur, qui faces mittat in totius naturæ perniciem. Scio quid respondeatur, ignem illum in sua sphærâ quiescere innocentem. Sed hæc elementorum quies motum negat, non actum. Benè infertur terram in medio mundi manere immotam, quia in centro est, aquas nulli natantium graues, quia in loco sunt; ignem non labi in hæc inferiora, nisi vi fulminum torqueatur expressus, quia sphæram suam obtinet. Sed hæc non probant aërem proximè illi admotum non incendi, non ardere, & latè flammas concipere, quæ spectantium oculis sese quotidie offerant.

Nam si aliter se res haberet, fatendum omnino esset aut ignem vrendi facultate priuatum; aut deesse obiectum, in quod vires suas expromeret. Si primum infertur, quæro an quod olim in fornace Babylonicâ factum scimus, diuinâ potentiâ volucres coërceantur flammæ? Sed neque istud dicitur ab aduersarijs, neque si dicatur, dicto constabit fides, iam præsertim ex D. Augustino monitis, ne communes mundi leges vbique infringamus, falsâ miraculorum opinione. Si alterum, de obiecti quippe præsentiâ negant, in promptu aër est. Quæro si naturæ suæ & speciei relictus ignis conceditur quid caussæ est cur quod illi perpetuum & familiarissimum est non agat, cùm tanta in vicino aëre pabuli materies sit obiecta? An & hîc dicemus ipsum aërem non esse obnoxium flammis in orbe suo constitutis? Sed hæc leuia sunt, & nemo

negat superos ignes vorare in cometis, aërem pasci in trabe, in facibus, in saltantibus capris, & tot meteoris ardentibus. Quid igitur necesse est viuacissimum elementorum ibi detinere, vbi non agat, & inerti globo torpeat, cùm satis constet per ignem orbi nostro inditum atque infusum geri commodè omnia? Nec illum aliò quis indigere ad vires eliciendas dixerit, cùm solis & reliquorum siderum luce ac motu satis excitetur. Hæc Cardani, hæc Tyconis sententia est, quorum vnus multa subtilissimè vidit, alter intimam cum Cælo cognationem habuit.

CAPVT VI.

Cælum & astra ignea esse naturæ, non tamen eiusdem speciei cum igne elementarij.

NON excludimus ignem Cælo, sed inferimus, quasi aptissimæ sedi maiestatis suæ. Nam Cælum, & stellas fixas, quæ ita scintillant igneæ esse naturæ in conspicuo est. Æther siquidem ille quem permeabili aëri propiorem dixi, per ignem duratur in stellas, & in denso flammæ se produnt. Hoc sacra loquuntur oracula, hoc Patres, hoc antiquorum Philosophorum consensus, hoc ratio & experientia probat. Solem ipsum æternorum ignium fontē vnde omnia lucent & calent Ecclesiastici liber agnoscit, imò & cum apparatu describit. *Admirabile (inquit) opus excelsi. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris.* Vide vt non tantùm calorem efficit, sed custodit apud se, quem per omnia dispenset. Irrisit falsè Tertullianus Peripateticos tam notæ veritati obluctantes: *Sol (ait) corpus est; siquidem ignis, sed quod Aquila confiteatur, neget noctua.* Sanctus quoque Basilius delirare eos censet qui negant solem esse calidum & eorum opiniones non inter Philosophorum placita, sed ægrotantium insomnia referendas autumat. In eandem sententiam pedibus eunt Ambrosius, Cyrillus, Cæsarius, Gregorius Nyssenus, & Procopius. Sanè ère ante omnes Heraclitus, Empedocles, & Plato. Sed nimis crassè Anaxagoras Cælestes domos ex ignitis lapidibus fabricauit. Durum est obniti tot sacris testibus, vbi præsertim omnium mortalium sensus & experimenta, Doctorum etiam in idem axiomata conspirant. Debuêre qui hoc negant, meminisse Aristotelis ipsius asserentis. *Quicquid est caussa aliorum vt sint talia, illud est maximè tale. Quod est caussa vt alia sint vera, hoc est verissimum. Quod est causa vt alia sint calida, hoc est calidissimum.* Atqui ex solis accessu exsufflari ignes in naturæ gremium sentimus, quibus quotannis reflorescit mundus, & in suos stimulatur partus. Quis igitur ita contra lucem cæcus, & contra veritatem pugnax esse velit, vt illi calorem deneget, quasi inesse mari aquam à quo fontes promanant inficiemur, & dicamus in riuis quidem humorem esse, in scaturigine nō esse?

Antiquorum de hac re placita.

Eccles. 43. a.

Tertull. lib. de anima.

Basil. homil. 3. in Genes.

Arist. lib. 2 metaphysic.

Intelligo quid respondeant, calores illos quibus ardet mundus per reflexionem radiorum solis excitari. Non vident qui hæc dicunt, posse similiter eludi quicquid in igne calidum sentimus, si libeat respondere non esse istum calorem ab ignis naturâ, sed admotorum illi reflexu corporum nasci. Quo tandem indicio probant astra non ardere nisi refringantur, cùm per telescopia nuper inuenta, liceat videre stellam Martis rutilam, è qua tanquam ex incensa fornace manifestissimè ignei radij spirant. Certè si refractio sola radiorum incenderet obuia, nullæ in Sole, nullæ in astrorum corporibus flammæ cernerentur. Deinde cùm potentior sit operatio radiorum circa ambitum loci ad quem refle-

Ratio aduersariorum infirmata.

ſtuntur, acrior quoque vis feruoris eſſet in hac infimâ aëris regione quàm in ſummâ. Nec altiſſimæ columnæ inſidentem aſſo & flagranti ſole vehementior æſtus vrgeret, quàm qui in terrâ iacent, quos tamen reuerberati luminis appulſu extantâ terræ mole, & illo quidem tam propinquo, calere par eſſet violentiùs.

Plin. lib. 2. cap. 61. Si ſolo repercuſſu accenduntur corpora, cur arcus cæleſtes (teſte Plinio) hyeme maximè fiunt ab æquinoctio autumnali, quos immiſſo cauæ nubi & refracto Sole feruidos comitari dies quiſque ſentiret, ſi quid aduerſariorum valerent argumenta.

Spoliant Solem dote ſuâ. Adde quòd ipſum Solem molitorem tot operum ſpoliant dote & cenſu ſuo, calore videlicet optimo & beneficentiſſimo generationis principio. *Quid illi* (inquiunt) *calor, quid ignis prodeſt?* Quod lux, quod natura ſua, quod telum militi, aut aculeus api. Num ſatiùs eſt inditum illi fateri tantæ dignitatis inſtrumentum, quàm aduentitium comminiſci? Non dedecoramus Solem, cùm calidum, cum igneum eſſe dicimus; eſt enim in igne ſublimis quædam naturæ præſtantia, quâ ſacræ quoque literæ Deum exornauêre. Si currus illi, ſi thronus aptatur, ſi manus, ſi pedes, ſi oculi, omnia ſunt ignea. Imò & apud Moyſen. *Dominus Deus noſter ignis conſumens eſt.* Nullo aptiori ſimulacro primam & puriſſimam mentem exprimere cæleſti vir ingenio potuit. Nos deinde veremur Cælo tribuere perfectiſſimam omnium quæ in oculos cadunt, eſſentiam, & indiuiduam comitem lucis. Aptiſſimè dixit Marſilius Ficinus. *Calet quia lucet. Nemo neget Cælum eſſe calidum, ſed neget potiùs eſſe vrens. Neque dicat Solis lumen ſola repercuſſione calefacere, ſed ſolâ comburere. Nam Lunæ radij repercuſſi nihil calefaciunt, cùm in eâ virtus aquea dominetur; calefaciunt autem Solis radij ſalubriter pro igneâ Solis viuificaque natura.* Hæc ille longè melius ex Platone quàm ex Peripateticis de Cæli naturâ philoſophatus; Et certè exilia ſunt quæ ab Ariſtotele contra hanc ſententiam proferuntur argumenta: nam quod ait hanc non eſſe demonſtrationibus mathematicis conſentaneam, liquidò per omnia antiquorum Aſtrologorum placita arguitur, & ipſi qui nunc operoſius Cælum ſcrutantur & melius, omnes puriſſimas in Cælo flammas agnoſcunt. Quod autem addit, eos qui nobiſcum ſentiunt, putare Solem & aſtra eſſe puſilla, commentum eſt, cum huius veritatis aſſertores nihil de Siderum magnitudine minuant. Inde putauit ſummo vir ingenio nulla iam fore elementa, ſi tam vaſta ſiderum corpora continuis ignibus arderent. Sed ſpectare nondum illi per teleſcopia contigerat, quam prodigioſis & immanibus ſpatijs ignis hic cæleſtis diſſitus eſt à terris. Non omnes æquè ſtellas ardere dicimus, Solem limpidiſſimi iſtius ignis fontem ſtatuimus, quem in aſtra prout illi ſunt admota, transfundit. Inde frigida etiam quædam nominantur, quia minus calent, vtpote ab eo remotiſſima: Quædam etiam humida, quia meliori & temperato calore præſtant. Per maxima interiacentium corporum interualla mitigati ad nos benefici Sideris radij affluunt; in cælo verò nihil vrunt, quia nihil vrentibus flammis obnoxium, vbi omnia æterna & incorruptibilia ſunt.

Solper igneam naturam non dedecoratur.

Deuter. 4. 24.

Ariſtoteles debiliter impugnat.

Ariſtot. Meteor. 1.

Ita etiam Cardan. lib. in Ptolom. de iudicio aſtror.

Eſſe igitur Cælum & aſtra igneæ quidem naturæ nemo rerum æquus arbiter diffiteri poſſit; ſed nullus hunc cæleſtem ignem in eamdem cum noſtro ſpeciem atque ordinem relegabit: nam longe ſublimior atque diuinior eſt. Quintam omnino eſſe eſſentiam, locus qui ſacratiſſimus eſt, & motus qui in orbem, & iugis atque innocens ardor qui nullo pabulo indiget, & tot mirabiles in ſublunarem naturam influxus,

Ignis cæleſtis non eſt eiuſdem ſpeciei cum elementari.

fluxus, castissimum deniq; & indissolubile cælestis materiæ cum sua forma coniugium satis indicant. Itaque Auicenna libro de Cælo & mundo, & Plotinus libro de Cælo confutant eos qui stellas reipsa igneas putant.

CAPVT VII.

Cælum & Astra non esse animata, nec Anima vegetatiua, nec sensitiua, nec rationali. An vero Anima loco motiua illis tribuenda sit, Queritur, ac primum Declamatio Problematica pro parte Affirmatiua præmittitur, deinde mens Authoris proponitur.

SOLEM (aiunt) & stellas exanimarunt iniqui censores, vnde tot animæ, tot vitæ. Cælum quidem animatum non putamus, quia nec per se mobile: domus est in qua decurrunt tot faces, & est illi forte aliquid vitale, sed non anima. Astra sunt quæ mouentur & animantur. Nec istud Theologiæ aduersum, sed Philosophiæ conuenientissimum: Apertissime Salomon Solem vocat *spiritum: oritur Sol* (inquit) *& occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat in Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur*, vbi Sanctus Hieronymus *solem spiritum nominauit, siue quod animet, spiret, & vigeat, & annuos orbis cursus expleat*, siuè *quod Luna lucentem globum, & astra Titania Spiritus intus alit*. Quòd si quis metaphoricè loquutum Ecclesiasten dicat, omnia quæ de solis inter tropicos motu hîc censuit, erunt quoque ad metaphoram referenda. Sed frigide ad tropos recurritur, in re plana, & tot sapientum placitis consentiente. Debile telum intentant contra syderum animationem, qui damnatam asserunt à Concilio Constantinopolitano, nam neque Canones huius Erraticæ Synodi vllâ approbatione recepti sunt ab Ecclesia, & si quid in hac re sua censura perstrinxit, eos tantum attigit, qui stellas *Materiales Angelos* cum Origenistis censuere. Huc vsque enim horum error abijt, vt cascũ Philone θεοὺς ὁρατοὺς visibiles Deos crederent, sensu atque anima rationali vigere, capaces virtutum atque vitiorum, & quidem deducendas vsque ad summum Dei tribunal, vt gloriæ cælesti deputentur, aut etiam ad inferos amandentur. Occupauit stupentes animos hæc ab Origine nimis audax opinio: Sanctum quoque Augustinum nonnunquam ambiguitate torsit, qui in Enchiridio scribit, *sed nec illud certum habeo, vtrum Sol, & Luna, & cuncta sydera ad eamdem Beatorum societatem pertineant, quamuis nonnullis lucida corpora esse sine sensu, & intelligentia videantur.*

Sol Spiritus à Salomone dicitur.

Eccles. 1. 5.

Syderum animatio

nusquam ab Ecclesia damnata.

Qua astrorum animatio damnata.

Augustinus Enchyrid. c. 58.

Tùm libro 2. de Genesi ad literam capite vltimo. An Cæli vitaliter animentur, veretur pronunciare pro negatiua: ne fortè, inquit, quod postea veritas patefecerit, propter amorem nostri erroris oderimus. Concludit vero Retract. lib. 1. cap. 11. Nec falsum esse confirmo, nec verum esse comprehendo.

Liberius verò Sanctus Hieronymus Origenistarum dogma exagitauit in Epistola ad Pammachium, exploserant pariter Sanctus Basilius in Hexamero, & Sanctus Cyrillus contra Iulianum, tota mox Theologorum schola in illud infremuit; nec dubium quin eo quo dixi modo intellectum fidei reluctetur. At vero alterius generis animam stellis tribuere, si falsum est, error quidem est (vt aiunt) Philosophiæ multus, Theologiæ nullus: Pro animatione certant antiqui fere omnes Philosophi, & peritissimi cælestium rerum Astrologi, Chaldæi, Hebræi, Ægyptij, Arabes, Algazel, Alpharabius, Ptolomæus,

Basil. hom. 3. in Hexam. Cyril. lib. 3. contra Iul.

Alia Cælorum animatio quæ longe ab Origenis mente discedit, probatur magnis authoribus.

Maximi viri pro animatione certant. Plutarchus de placitis Philosophorum cap. 5. σφαίρας οὐρανοῦ ἔμψυχον ... Arist. lib. 2. de Cælo c. 2. textu 13. vbi docet quòd Cælum habeat sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, quæ hæc omnibus animatis insit.

mæus, Plato, Seneca, ipse denique Naturæ genius Aristoteles, non hæsitanter aut obscurè, sed clarissimè asseruit; ὁ δὲ οὐρανὸς ἔμψυχος καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν, friuolum est detorquere ad intelligentiam assistentem, cum nusquam in tanta voluminum amplitudine animatum quidpiam ab eo dictum fuerit, quod de interno atque indito à natura motus principio, non autem de ascititio intelligatur. Et si hoc valeret, merito plaustra diceremus animata, quia mouentur à iumentis Theophrastus Philosophi nomen denegauit neganti Cælis animam; Petrus Martines Theologus magni nominis, defendi posse illud dogma docuit: Paulus Riccius plane defendit; Cæsar Cremoninus libro de Natura Cæli clarissimè asseruit, ex Lycæi sensu, sect. 5. c. 5 Cælum, inquit, est formaliter animatum anima quæ sit natura secundum Aristotelem, testantibus apertè eius interpretibus Alexandro Aphrodisæo, & Simplicio; Nam in lib. de Motu communi animalium loquitur Philosophus de motu Cæli tanquam de mouente seipsum. & l. b. 12. Metaph. textu 36. habetur *quod eius separatum mouet vt amatum, & desideratum*. Eadem sectione cap. 8. & cap. 9. p. 125 nimis audacter enunciat, *Cælum est animatum anima rationali*, confirmat ex Arist. lib. 2. de Cælo textu 61. vbi loquitur de Cælis, *tanquam participantibus actione* πράξει & vita, at praxis tribuitur Soli animæ rationali. S. Thomas libro 2. contra Gentes, cap. 70 explicans sententiam Aristotelis *secundùm eius principia oportebat dicere quòd intellectus secundùm suam substantiam vniatur corpori cælesti vt forma*. Ego certè nunquam probauerim opinionem hanc quæ ad Origenis placita propiùs videtur accedere, sed longè aliud genus animæ quod tantum in motu consistat, inferioribus præsertim Astris, hoc est Planetis adiciendum multis videtur.

Eadem animatio ratione confirmatur.

Si huic veritati (vt addunt) propalatam fidem denegaret tot illustrium virorum veneratio, ratio tamen satis ipsa apud generosos quosque sensus vendicaret. Nam quod Aristoteles definiuit, argumentum vitæ & animæ est in rebus illis omnibus quæ non ab extrinseco, sed ab interiori principio mouentur; at Cæli & astra licet ab Angelis quod posthæc disceptandum relinquitur, moueri quoad accuratissimas cursus sui leges concederentur; nemo tamen aduersam Aristotelis perspicuam mentem negare debet esse in illis insitam & congenitam à natura sui motus caussam. Nam etsi præcepta ambulandi & saltandi tradi videmus à peritis ad elegantiores corporis flexus, non tamen inficiamur esse in illis qui hæc discunt, naturalem mouendi facultatem. Ex quo plane iudicamus à vi illa motrice tam potenti, tam magna, esse insitam stellis animam.

Ratio Aristotelis argumentum animæ est motus ab interno.

Aristot. lib. 2. de anima cap. 2. Secunda definitio animæ ab Aristotele data Cælis conuenit. τὸ ζῆν, νοῦς, αἴσθησις, κίνησις ἡ κατὰ τόπον, ἔτι κίνησις ἡ κατὰ τροφήν. Aristoteles quadruplicem vitam seu animam agnoscit. Loco moti-

Nec ideò improuidè Philosophus cum dixisset animam esse actum corporis Organici in potentia vitam habentis: aliam intulit eius definitionem qua asserit eam esse principium vegetandi, sentiendi, intelligendi, loco-mouendi: tum ibidem statuit quadruplicem vitam seu animam intellectiuam, sensitiuam, vegetatiuam, loco-motiuam. Apertè hic Pacius fidelissimus Aristotelis interpres quatuor animas ab eodem poni indicat: frustra autem quis hic contendat vim nutriendi & crescendi æque inter species Animarum annumerari posse: hæc enim manifestissime complementa sunt animæ vegetatiuæ at loco motiua ducit agmen, & separatum ac proprium sibi ordinem cum alijs vendicat. Si quidem nutriri & crescere numquam sunt sine anima vegetante. At moueri in stellis sine mente, sensu, & vegetatione sunt.

Deinde sola vt videtur in mundo terra est cum agnatis sibi rebus, stuporis & opa-

cita-

na cæli conueait. Omnia præter terram & eius agnata, sapiunt vitalitatem Seneca Natural. q. lib. 5.

citatis principium. Quæ super extat aqua, iam habet aliquid vitæ, quod tum perennes fluuiorum & fontium lapsus, tum reciprocantes maris æstus satis indicant; Aër autem supra aquam vitalis est. & vt ait Seneca, habet vim naturalem mouendi, sed non aliunde conceptam, vnde modo spissat se, modò expandit, & purgat, aliàs contrahit, alias diducit & differt, inde venti existunt; nec absimili modo fiunt cum aliarum concursu causarum quas in Oceano miramur, alternæ fluctuum contractiones, atque diductiones tanto corpori purgando apprime necessariæ: hæc igitur tenuis aura vitæ quæ in his cernitur elementis, in Cælo longe validior. Nam astra quæque pro sua dignitate plena sunt spiritu igneo, à quo animata mouentur, & se in suos cursus explicant.

Aristoteles lib. 2. de anima c. 2.

Tertio multa virgulta, multa animalia videmus nasci, nullo semine, quæ proculdubio à Sole, & stellis, & deciduis veluti ex Cælo virtutibus existunt: Quæ tamen nullatenus fierent, nisi esset in istis grandis & viuax anima, quæ quicquid vegetatiuum, quicquid sensitiuum in cæteris eminenter contineret. Nam si hæc ab Angelis assistentibus nasci dicamus, commentum est philosopho non ferendum. Neque enim Angeli possunt vllam formam propria virtute imprimere corporibus, nisi applicando, vt vulgo dicitur, actiua passiuis, tantum abest vt substantiam viuentem valeant per se producere. Quod si dicatur corpus cæleste ab intelligentia motum fieri completum ex omni parte instrumentum, quod eleuatur à Deo, vt earum quas diximus rerum productionem attingat. Num satis absurdum videtur, si relictis naturalibus caussis quæ Philosophantibus sunt obuiæ, eleuari quotidie fingamus à Deo, & supra se inscendere quædam corpora, vt ex ijs herbarum aut animalium vilissima, mures puta & ranas insolita virtute procreet, quasi de Sacramentis & non de contemptis vermiculis agatur.

Præposterum, audax, Deo contumeliosum fornicam soli præferre.

Tandem vt disputant, nimis præposterum, & nimis aduersus humani ingenij sensus insolens, tam abiectè, tam prostitutè de maximis summi Molitoris operibus sentire, vt muscas, & culices quòd viuant, anteponamus syderibus, & ipsi quidem soli inuisibilis Dei visibili simulachro, quo tot vitæ spirant, tot animantes viuunt, tot surgunt rerum miracula, & tota se naturæ opulentia explicat, atque profundit. Verendum ne audaces simus & in Philosophiam, & in Deum prope contumeliosi, si de has pulcherrima luce, vnde nomen, vnde cultum, vnde vestem per similitudinem tam sæpe mutuatur in sacris. sic ludimus, vt ei papiliones & formicas anteferamus. Verendum ne non tantum imperiti rerum, sed aduersùs sapientiam præfracti, de rebus superis luteis sensibus iudicemus. Nos quidem tam vili luto compositi, tam caduci, tam nulli, non debemus arroganti fastu contemnere stellas, quæ in nobilissima mundi parte ipsis creatoris manibus positæ in perpetuas æternitates lucent, nunquam veteres, semper nouæ, specie integra, perenni luce, ordinatissimo motu.

Rationes aduersariorum infirma.

At quibus argumentis freti mouentem Spiritum stellis negant? *Anima* (inquit schola peripatetica) *est actus corporis physici, organici, in potentia vitam habentis.* Nunc autem vbi Soli, Lunæ, & stellis organa? vbi caput? vbi pes? vbi arteriæ? vbi venæ? vbi iecur? & stomachus, & pulmo: quomodo comedunt, quomodo bibunt, quando crescunt aut generant?

Ridiculi sumus quando cœlum ad terrena transferimus, res tam altas, tam sublimes, infimarum legibus includere conamur. Imitamur profectò brutum & siluestre mortalium genus, qui nullos esse in or-

be terrarum homines putant, nisi canino ritu, quod ipsi faciunt, viuant. Cælum non putamus Animatum, quia non habet inferioris animæ sæpe miseras semper, pudendas necessitates: infrà hæc iudicamus quia suprà est; nec tamen ignoramus hanc Aristotelis perplexam & vagam definitionem inferiorum animantium, stirpiumque naturas tantum respicere, quarum vtiq; corpora in potentia fuere ad eas quas nunc habent formas, iisdem aliquando caritura. Nam ille ipse qui animationem cœli constanter asseruit, noluit illud hac definitione coërceri, cùm doceat nunquam in potentia ad suam formam fuisse, nec fore, propter cælestium rerum æternitatem.

Anima syderum qua.

Anima syderum non est sensitiua, nec vegetatiua, sed loco motiua, quod genus animæ Aristoteles plane agnoscit, vt supra dictum est, & quidem iuxta eius sensum definiri potest, *actus corporis Ætherei, æternum circa centrum mouens.* Scilicet cum Deum animal sempiternum & optimum appellat, quis credat animam illi denegaturum fuisse, nisi haberet corpus physicum, organicum, formarum etiam, si placet, diuersarum per successionem potens. Non tam crassè de rebus æternis est philosophatus, in quibus etsi animam agnouit, hanc tamen à contagione sentientis vegetantisque naturæ, quàm hic cernimus, apertissime discreuit: Anima quippe cæli longè nobilissima vím vegetandi, atq; sentiendi eminenter continet: non tamen cælum sentit, & vegetat, sicut cœteræ animantes quibus vtrumque impertit. Quæres an igitur stellæ intellectuali anima præditæ, sicut asseruit Iulius Firmicus, cum dixit, *eas puro diuinitatis animatas conceptu, habere proprium sensum & prudentiam, Deoque ad perennis procurationis ordinem infatigabilibus ministerijs obsequi.* Sed tota hæc assertio in lubrico est, quamquam nec aperte fidei obluctatur nisi quis astra in societatem hominum, aut angelorum referat, & exponat in eis meriti, & *demeriti* capacitatem, atque etiam necessitatem æternæ, aut beatitudinis, aut miseriæ; iam enim extra cancellos philosophiæ vagantur illæ propositiones & meritò in Theologorum censuram incurrunt, quæ autem physicè de hac materia pronuntiantur, non militant contrà Theologiam: vnde sapienter Diuus Thomas scribit libri secundi contra gentes, capite septuagesimo, *hoc autem quod dictum est de animatione cali, non dicimus quasi asseramus secundum fidei doctrinam ad quam nihil pertinet, siue sic siue aliter dicatur.* Idem certè asserit quoq; nihil repugnare astra habere animam intellectiuam, nec ideò sequi ea ad videndum Deum esse condita. Est igitur probabile syderum animam formam esse nobilissimam à terrenis contagijs defæcatam, quæ in illis sit fons motus, caloris, potentissimarumque virtutum, quibus in naturam inferiorem influunt. Idipsum voluit Albertus Magnus cum æquiuocas cælis animas permisit. Porro quæ de anima loco motiua hic dicuntur, credunt aliqui hanc in sex Planetis Saturno, Ioue, Marte, Venere, Mercurio, & Luna non inconcinnè poni. At verò, solis stellarumque fixarum alia prorsus ratio est, vtpote naturæ longè excellentioris. Hæc declamatione problematicâ fusius dicta sunt: nunc vt mentem nostram paucis aperiam.

Metaph. 7. lib. cap. 12.

φαμὲν γὰρ τὸν θεὸν ζῶον εἶναι ἀΐδιον καὶ ἄριστον.

Iulius Firmicus Matheseos lib. 1. cap. 3.

Primò, hoc certum est & manifestum, ex sancti Augustini sententia, libro secundo de Genesi ad literam capite vltimo, & Retractationũ libro primo, capite vndecimo, & ex placitis sancti Thomæ libro secundo contra gentes, capite vndecimo hanc opinionem quæ cælis animam tribuit ea lege quam diximus non esse contra fidem.

Secundò, Aristotelis mentem pro animatione esse, non formæ quidem assisten-

tis,

tis, sed informantis eius locus expendenti in clarissima luce est.

Tertiò, animam intellectiuam Cælo & Astris tribuere, etsi hic Aristotelis sit sensus, vt D. Thomas agnoscit, nimis durum est, & Ethnicorum superstitionibus affine, pro sensitiua & vegetatiua militare temerarium, cùm incrementi, decrementi sensus quoque illis inditi, nullum appareat nobis vestigium.

Quartò, restat anima loco motiua quam peculiare genus animæ ex sensu Aristotelis Pacius existimat. Sed quia communis Philosophorum schola hanc animam non recipit, nec videmus separatam ab intellectiua, sensitiua, vegetatiua, in alijs rebus exstare, satius existimo cum de syderum animatione agitur, absolutè negare animata, ne videamur impingere in veterum Philosophorum opiniones, qui de ijs nimis magnificè quasi de Dijs immortalibus sensêre.

Quæ contrà hanc sententiam superius allata sunt argumenta, haud difficili negotio dissolui possunt. Atque imprimis Scripturæ authoritas, quæ solem spiritum esse pronunciauit in Ecclesiaste parum efficit. Quis enim non videt metaphoram esse quæ ad rapidissimum Principis cursum sideris alludat? Negaret scilicet, Salomon corpus esse, quod cæterorum corporum habet dimensiones, quod motu corporali mouetur, quod oculus videt, quod pene manus palpat in radio, quod toties per obiecta refringitur: & si corpus est, quomodo spiritus esse poterit, si de natura quæstio est? Nec refert, quod dixit S. Hieronymus, solem spirare, vigere, animare, quia vndique spiritus æthereos in naturæ gremium inspergit, nunquam tamē asseruit animari, nec alio spiritu quàm Rectoris vniuersi, sicut cætera impleri. Si qui dissentiunt Philosophi haudquaquam sunt audiendi, sint licet antiqui, & magni nominis viri: nam stellis mentem, & diuinitatem erroris prodigi, & parci veritatis tribuêre. Non aliter loquitur Iulius Firmicus, *Habent stellæ proprium sensum, diuinamque prudentiam.* Non aliter Plinius de sole, *Omnia intuens, omnia exaudiens*, inde errorum semina & nefariæ superstitionis virus. *Lib. 2. cap. 6.*

At vrgent animari quicquid ab interiori principio mouetur: Non diffitemur Cælos à sua moueri forma, nec tamen illam quam habent formam, animam esse concedimus, quod animæ definitio illi nullo modo conueniat. Nec si quis de motiua tantum contendat, obtinebit, quod intendit. Anima si quidem illa nusquam solitaria est, nec aliter datur animanti, quā vt eat aut quò sensus rapuerit, aut quò mens impulerit. Iam si à Cælis sensum & mentem excludimus, quid faciet illud animæ spectrum sterilis, & nulli profuturum?

Sed vnde, inquiunt, tot animalia, tot virgulta nascuntur nisi ab anima Cæli? Nascuntur à Sole qui Luce, calore, motu, & occultis viribus, totam inferiorem naturam agit, versat, & in tot rerum generationem coagmentat.

Restat vt indignissimam Soli fieri contumeliam clament, si iam exanimis postponatur culicibus, formicis ac vilissimis quibusque animalibus, sed nunquam nisi insulsè comparantur quæ toto Cælo sunt disparata. An gratias scilicet & virtutes & quicquid est diuinarum rerum, deterius vermiculis existimabo, quod hic substantiæ sint, illæ verò accidentia. Hoc Soli satis est quod sit primarius Dei minister in tot rerum statu, tot generationum continua reuolutione, quod sit principale naturæ regimen, amplissima magnitudine, ac potestate, purus, illibatus, incorruptibilis, immortalis, semper agens & semper quietus, largitor à Deo magnificus & nun-

quam exhaustus, Idem tot sæculis, & eadem præstans, vigore acerrimo, & in tot operibus inconcusso.

Frustra igitur Cælis animam ingerimus quam sapientissimus rerum opifex negauit, quid faceret in membris tam vastis, tam prodigiosis, quæ in proceris hominum corporibus languet? Dedecoramus vniuersum, si tot illi immania tribuimus animalia, vel potius portenta, quæ si nutriri oportet, perire omnia necesse est.

CAPVT VIII.

Quòd lux non sit Solis & stellarum fixarum quæ Soli affines sunt, Anima.

Aristoteles libro 2. de Cælo c. 7. scripsit calorem & lucem generari attrito aere à sphærarum latione; quod nec intelligi, nec probari validè potest. August. lib. 6. super Genesim ad literam Theodoret. q. 7. in Genesim. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 7. Lux non est accidens.

POst denegatam stellis animam vegetantem, sentientem, intelligentem, locomotiuam, occurrit quoque speciosa nobis opinio refutanda eorum qui asserunt, animam in sole & fixis nihil aliud esse præter lucem. De hac re variæ & implexæ sunt opiniones, siquidem ab Academicis lux dicitur corpus, sed materiæ expers. A Democrito & Leucippo materiatum. Alhazeno est primum visibile & colorum hypostasis. Alijs media videtur inter corpoream, & incorpoream substantiam; alijs effluxus à corpore luminoso; alijs manifestatio colorati; alijs accidens intentionale; alijs vt Plotino & Marcilio Ficino forma substantialis, quod post veteres Augustino, Theodoreto, & Damasceno placet.

Nam vt bene æquiores Physici disputant, nullo modo censenda videtur accidens in sole, à quo abesse non potest sine eius detrimento, & vt verius dicam, interitu. Neq; enim facilius concipere solem sine luce, quam naturam hominis sine ratione. Tam repugnat solem esse disiitum à luce quam à seipso exulare. Lux ipsa quæ mundi incunabilis fulsit, sol erat, informis, & in Solem statim est transformata (vt habet S. Dionysius) nusquam rerum est in tota natura, vt quod est principium cuique suarum operationum, censeatur illi accidentale & extrinsecum, quo frui & carere, nullo commodo, nullo incommodo possit. At quis non videt lucem in sole originem esse illuminationis, caloris, motus, & illius genitalis influxus quo totam naturam perfundit? ex quo necesse est vt non sit accidens, sed forma planè interna & substantialis. Inde plerique dulce sibi finxere commentum lucem Solis & stellarum animam esse. At licet forma Solis esse concederetur, non tamen erit anima, alioqui formas omnes in animarum numero reponendas absurde quiuis posset contendere. At verò dicunt animæ nomen tantùm conuenire illis rerum formis quæ subiectis à se informatis intrinseca vi & facultate naturali motum tribuunt, quod vt supra dictum est, Aristoteles formæ globorum cælestium concedit.

Opinio eorum qui asserunt lucem esse spiritum.

Nec refert si quis dicat animas rerum formasque substantiales non videri, cùm tamen lux omnium se oculis prodat. Quod enim cernitur (inquiunt) materia est à luce accensa; lux autem spiritus est lucidi corporis, qui cum non videatur, facit omnia videri, & in aëre producit lumen quasi riuum de fonte, in quo velut in origine residet informatiuus. Atque vt in nobis anima prodit se per sensuum operationem, sic lux per accensas perspicui flammas. Ita plane author Physicæ restitutæ magno, vir ingenio de igne philosophatus est, quem ait ardentibus etiam facibus non cerni, sed aërem quem spiritus igneus depascitur & illuminat. Noua fortasse nonnullis, sed grata ipsis (vt volunt) magnifice philosophantibus opinio.

Nec tamen abnuit, D. Thomas opusculo quinquagesimo primo de natura luminis, *lucē posse dici formam substantialem solis, si quod cer-*

cernitur oculis, veram & germanam esse luminis essentiam negare quis velit. Hanc certè olim fuisse sententiam aliquot philosophorum apertè declarat, nec aliter impugnari eos posse ostendit, qui pro lucis substantia militant, quàm si dicatur forma substantialis non esse sensibilis, sed solo intellectu comprehendi. At si fateamur hunc qui in nostros oculos incurrit, fulgorem non esse id quod formam substantialem appellamus, tota vis argumenti retunditur: sed hoc profiteri non modò (vt asserunt) ad commendationem lucis illustre; verum etiam probabile est.

Lucis encomium. Nam quid tam rationi consentaneum quam pulcherrimo corpori pulcherrimam animam inserere? Lux est quæ prima inter res creatas sacrum os Creatoris Domini suo natali reserauit. Prima quæ veluti iugales tædas Dei naturam desponsantis, consecrauit. Prima boni ab optimo nomen habuit. Nihil illa formosius, nihil amabilius. Hac Cælum ridet, hac loquuntur astra, hac Deus se in vniuerso pingit. Hæc primam, subtilissimam & spiritui propiorem materiam in splendorem immortalitatis quasi oleum inextinguibile ante diuinæ Maiestatis Thronum accendit, mox hunc inferiorem Mundum sua virtute animat, sua pulchritudine vestit.

Inde duo tantum rerum principia statuunt, vnum luminosum, & intelligibili naturæ vicinum, alterum corporeum, & tenebrosum, stuporis sedem & frigoris, quippe hæc materia est quam lucidus (vt aiunt) spiritus subiens aptat & componit. Nullum in mundo indiuiduum est quod naturæ lucis scintillam aliquam in se reconditam non habeat; sed prodit se maxime in præstantissimis quibus est magis sociale cum Deo, cum luce commercium. Certè per lucem, vt dictitant, omnia viuunt, & omnis vita lux est, ipsæ viuentium animæ radij sunt quidam lucis cælestis, qui vim motricem animalibus inspirant. Quæ deficiunt, claudunt oculos, quasi optimæ & amabili hospitæ duro necessitatis imperio ianuam obserare cogantur.

Præclarè quidem Iulianus philosophus Platonicus libro de sole ex Phœnicum philosophia disputans lucem in tres diuidit species. Vna est diuina, imo Deus ipse Pater luminum, de qua Auempace pronuntiauit, *lux & creator essentialiter non differunt:* *Ioan. 1. 15.* Dixit quoque Apostolus Deus lux est, quod tamen non de hac quam cernimus, sed de spiritali luce intelligendum. Altera angelica seu Intellectualis quæ humanis etiam mentibus conuenit. Tertia solaris, diuinæ, inquit, Angelicæque intelligentiæ actus perennis per solis fenestram ad oculos emicans. Ex quo liquet hanc quam intuemur lucem esse, vt aiunt, primæ lucis purissimam emanationem, & spiritum quemdam medium de intellectuali procedentem: vnde etiam ad cælestium corporum animationem aptissimus ideo visus est. Quod verò lux non sit corpus, sed inter corpora, intelligentias & mentes, velut aliquid medium, multa (vt ipsi inferunt,) indicant. Primum penetratio corporum, & motus in instanti quæ nulli corpori licent. Deinde in tanta naturæ simplicitate tanta multiplicitas, sine sui decremento tam largiter, imò infinite exuberans: stante enim in sace materia lux ardet inextinguibilis, nec perenni flammarum profluuio minuitur: obuia quæque illuminat, & quæ concipiendis ignibus apta sunt, accendit, in omnes benefica, & nunquam exhausta. Deinde cum tantæ sit suauitatis vt omnium corporum amœnitas & decor, omnium colorum mater habeatur, est tamen inuicta domitrixque tenebrarum quas statim dissipat, non vi aut contentione hostiliter eluctata, sed blando triumphans imperio, non ex-

expectat vt præparentur, vt disponantur sibi corpora, venit, videt, vincit, vbi cœpit, tota est, vbi desinit, nulla.

Adde quòd vbi descendit inferiùs, infinitos ex se mittit radios in vastam pyramidem diffusos, vbi ascendit cogit se & stipat in conum, in punctum, vnde vis immensa prorumpit. Non tantùm formosa, sed diues est, nullius indiga, omnibus affluens, viuificum in se calorem alit, & continet, quo tranat cunctos mundi tractus, & cunctas permeat naturæ venas, sua cuique pro cuiusque captu impertiens. Nihil hîc corporeæ fecis, nihil egentis semperque mendicæ inest materiæ, omnia supera, omnia diuina, vt iam non pudeat in illa animam pulcherrimi Solis cæterorumque syderum agnoscere.

Hæc sententia, quòd lux sit spiritus, refellitur.

Hæc quidem omnia speciosè dicta sunt, sed tamen aberrant à vero. Nam quicquid est in rebus completis, aut corpus est, aut spiritus planè expers materiæ. Nemo dixerit lucem esse spiritum quales sunt intelligentiæ aut animæ nostræ; Restat igitur vt sit corpus, sed istud tenuissimum atq; præstantissimum. Nec impedit quod dicunt de motu momentaneo & corporum penetratione: nam Iulius Scaliger & alij magni nominis Philosophi lucem in instanti ferri non putant, sed velocissime, nec penetrare corpora, sed per poros mira subtilitate admitti. Quæ verò de lucis simplicitate, incorruptibilitate, fæcunditate, cæterisque perfectionibus adducuntur, excellentissimum corpus lucis formamque rarissimam probant, spiritualem autem essentiam non euincunt. Certè quòd lux sit corpus supra omnia eximium censent magna nomina, & ingentes viri. Philolaus, Zeno, Epicurus, Plato, Anaximander, Pythagoras, Leucippus, Heraclitus & alij. Nec lumen secundum aliud putant quàm Solis effluxum eiusdem cum eo substantiæ. Sicut riuus est cum fonte.

CAPVT IX.

De Incorruptibilitate Cæli.

VINDICANDA etiam si placet à calumnia corruptibilitatis pulcherrima pars vniuersi, hoc præstare debuerat veneratio Domus Dei, nunc rationes quærimus vbi oculi loquuntur, vbi experientia omnium sæculorum pronuntiat.

Mortales nos quotidiana funera, melius probant quàm Philosophorum dissertationes. Creditur oculis, experimentis creditur. Alios morbis etiam immaturos rapi, alios vri, alios mergi, alios secari ferro, toties cernimus, & dolemus. Tot inuenta mortis, tot fatorum portæ, quid sumus & quidnam victuri gignimur clarissimè testantur. Iam tot mundos per tot sæcula funeratos atque sepultos premimus, instant nobis posterorum vestigia, fastus etiam nostros calcatura, nemo de sua mortalitate nisi amens dubitat, nemo de Cælorum Incorruptibilitate nisi veritatis hostis malè iudicat. Ecce nobis ante duo ferme annorum millia stellas annumerauere viri ingentes, quantum vis humani patitur ingenij, illis nomina imposuere, illis orbes, illis motus descripsere, nunc apparent tam seris nepotibus pulcherrima illa sydera, incorrupta luce, decore inconcusso, perenni motu, nihil illis tanta annorum vetustas eripuit, nulla vnquam labes infuscauit, quid argutias & commenta hominum quærimus, vbi Cælum tot aperit ora quod astra numerat?

Stella à multis sæculis numerari cæpta. Earum vigor perpetuus.

Certè si qui nunc in historijs & scriptis celebrantur tot Reges, tot Heroës, tot im-

immortalium librorum conditores extarent & viuerent per tot mutationes rerum nō mutati, nemo nusquam morituros non diceret, quos intactos tanta series æui reliquisset: & dubitamus de Astrorum perennitate quæ non tantùm in Astrologorū monumentis quasi præterita relegimus, sed vbiq; præsentia ex omnium terrarū regionibus intuemur. Si quæ Cælum corruptio tangeret, omnino proderetur in Luna, quæ propius admota terræ eius tantùm vmbris aliquando perstringitur non corruptione fœdatur: nam se in suis orbibus intacta reparat, in suis se speculis ostentat, tam prudenter vaga, tam constanter mutabilis. Adde iam quod vbi est ortus & interitus, ibi necessariò incrementum, ibi diminutio est. *Granum est primò*, inquit, *Tertullianus & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur, deinde rami & frondes inolescunt, & totum arboris nomen expanditur; inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur.* Sic se habent omnia quæ Cælo subiacent: at in cælestibus aliæ leges, alius rerum tenor, solem eadem dies natum vidit & patrem, nulla pueritiæ rudimenta stellæ sensere, agere in illis & nasci simul fuit: post tantam sæculorum vetustatem sunt quæ initio fuere, prima in illis magnitudo non decrescit, non crescit infima: vbi igitur suspicio interitus, vbi nulla mutationes, nulla varietatis argumenta?

Luna terræ propior nihil tamen ex corruptione decerpit. Vbi corruptio, ibi incrementa.

Tertull. lib. de velandis virginibus.

Deinde si Cæli ex naturæ principijs fieri per generationem possunt, & per corruptionem desinere, necesse est vt habeant materiam suomet ingenio per diuersas mutabilem formas, quæ per vicissitudines rerum nouæ semper cupiditati lenocinetur. At nemo ex sole aërem, nemo ex Luna terram, aut aliud quodlibet indiuiduum factum vidit, manet æternum ac manebit syderum materia ijsdem illigata formis, suo contenta coniugio, sua pulchritudine locuples. Quid conamur falcem temporis immittere in illas beatorum sedes, vbi aduersarij nulli, hostilitas nulla, sed iugis & summa tranquillitas.

Materia Cæli non mutat formas.

Respondetur locis scripturæ.

Mouet sola sacrarum literarum authoritas quæ Cælos toties perituros decernit: *opera manuum tuarum sunt Cæli* (ait propheta) *ipsi peribunt, & diuinus Isaias tabescet omnis malitia Cælorum, & Cæli sicut fumus liquescent*: denique vox ipsa Verbi intonat. *Cælum & terra transibunt*, quam sequutus Christi dilectus Apostolus canit, *vidi Cælum nouum & terram nouam*. Plenius etiam diuus Petrus dixit, *adueniet autem dies Domini vt fur in quo Cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur.*

Psal. 101. Isai. 24. Luca. 21. Apoc. 21.

Petr. 2. v. 10.

Meminisse debuerant qui hæc obijciunt, scriptum esse eodem sancto spiritu dictante, *terra autem in æternum stat.* scilicet summus ille & prudentissimus rerum sator huic quam calcamus terræ mundi feci æternitatem tribueret. Cælum autem maiestatis suæ domum tam præpostere dirueret? Numne eius perennitatem asseruit? cùm dixit, *species Cæli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. In verbis sancti stabunt ad iudicium, & non deficient in vigilijs suis.* Tu vis illas emori, at vox Dei ne dormire quidem patitur, sed vigili & indefesso igne stare. Numne regni Messiæ æternitatem demonstraturus comparationem? sumpsit à Sole & Luna. *Thronus eius*, inquit, *sicut Sol & sicut Luna perfecta in æternum*, quod verò de duratione eius intelligat satis ostendit, *addens & permanebit cum Sole.* Vide ne detrahas de Christi gloria qui de Solis perpetuitate detrahere niteris, in eo posuit tabernaculum suum, tu vis demoliri, in facturam violentius, iniurius in factorem.

Eccl. 1. 4.

Eccl. 43. 11.

Psal. 88. 38. Psal. 71. 5.

Pugnantia igitur dices scripturam lo-

loqui, quæ Cælos nunc perituros, nunc in æternum permansuros asserat, non pugnat secum, cum distortis hominum sensibus pugnat. Quoties contraria dici videntur in sacris, considerandum est quid in toto, quid in parte, quid ex rei natura, quid per accidens dicatur, quid secundum modum, quid secundum substantiam. Expendi etiam præstat an ex professo de rebus naturalibus disserat, an per transennam tantùm attingat: vbi de mundo physice loquitur Ecclesiastes, audio nihil permanere sub sole, solem non permanere non audio, gyrare per meridiem, flecti ad Aquilonem intelligo, finire cursum vt incipiat, non finiri. Etiam in illa decretoria die Cælo & terris stupenda, accipio quòd Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, non accipio quòd ipsa luminaria sint interitura, quòd nusquam postea futura sint: non lego, etsi stellæ de Cælo cadere dicuntur, de ijs intelligendum est quas halitus in aëre accensi fingunt, non quas firmamentum alligat, sic locutus est poëta maximus.

Eccl. 1.

Matth. 24.

Sæpè etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites labi Cælo, noctisque per vmbras,
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Cùm audis igitur ex sacris, *Cælum & terra transibunt*, ne mirere, transeunt enim quotidie Cæli dum mouentur, transeunt astra dum reciprocos motus obeunt, & nouos subinde situs acquirunt: transit terra in tot partubus & tam fœcunda sobole, mutantur omnia, sola Dei verba permanent inter tot nouos Cæli vultus, inter tot elementorum concussiones inconcussa. Cùm audis Cælum liquescere, & solui, & perire, intellige de suprema illa aëris parte quæ toties, vt dixi, in scripturis Cæli nomine venit; hæc enim in illa mundi conflagratione qua tot sæculi natiuitates (vt ait Tertullianus) vno igne haurientur, tota volucribus flammis corripietur. Cùm audis Cælum nouum & terram nouam, intellige omnia Cælo terræque meliora: postquam hæc tot sæculorum feces igne cælesti decoxerit, illud vero tot nouis hospitibus auctum, tot radiatum coronis, tot palmis inclytum fuerit. Ita sentit magnus Dionysius de diuinis nominibus, ita Augustinus libro decimo quatto de ciuitate Dei, ita Hieronymus in Isaiam, ita sanctus Thomas libro contrà gentes & tot alij magni nominis viri, à quibus dissentire inani & cæca scripturæ quam peruerse intelligunt reuerentia, non tantum inutile sed pertinaci ignorantiæ proximum.

Dionysius libro quarto de diuinis nominibus August. 14. de ciuitate Dei cap. 24 Hieronymus in Isaiam 51. vide Rubium.

CAPVT X.

Vnde Cometæ & nouæ stellæ si nihil in Cælo generatur & corrumpitur?

RECENTIORES quidem Astrologi qui contra Cæli incorruptibilitatem militant, aiunt stellam quæ superiore sæculo in Cassiopæa fulsit, primum arietem Cælo admouisse, & summoætheri generationem ac corruptionem euidentissimè intulisse. Digna Titane vox magis quam homine, quasi per machinas in astra irrumpere possimus audaciâ proiectæ mentis, non subire veneratione conditoris. Ex Cometis corruptibilitatem ætheris conantur astruere qui mirari potius maiestatem debuerant,

Magna quæstio & exercendis tot sæculorum ingenijs nata, vnde sint, vnde fulgeant? certum est aliquos extemporaneos nasci in prima aëris regione; sicut faces & dolia, dracones & trabes in horam victuros. De ijs non loquor quos ad breue temporis spatium terreni halitus formant, præcipitant turbines, & sua ipsorum natura deuorat: de illis ago qui supra Lunam in æthe-

ætherea regione ad multos ſæpe menſes ardent, compoſita ſpecie, gradu certo, corpore nec ſolubili, nec fluxis vt putantur elementis compacto, qui omnium oculos, omnium ora tandiu tenent affixa Cælo, ipſi ſtupendi & malorum vaticinijs toties ominoſi. Plerique initio pedales, intra paucos dies quartam Zodiaci partem occuparunt, vt teſtatur Cardanus in Ptolomæum. Is qui anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo fulſit, primo die quo apparuit incendium longinqui tugurij ardentis æmulatus, coma viginti quinque graduum, per cuius raritatem ſtellæ tranſparebant. Viſus vigeſimo ſeptimo Nouembris à ſagittario emergens, ad medium Ianuarium durauit. Rariſſime ſex menſes excedunt (ait ille) quamquam Iudaicus qui vaſtitatem Solymis denunciauit, per annum arſit. Sæpe die trigeſima nonnunquam ſeptima finiuntur: caudæ & crines rarioris ſunt ſubſtantiæ, ſidus ipſum denſum. Multi ſiccitatem & maciem terris portendunt: ſiquidem Auguſtinus Nyphus tradit poſt Cometem viſum apud Inſubres, nullos imbres à Ianuario in Nouembrem extitiſſe. Alij diluuia fecere ob calores, & abundantem vim vaporum, terra marique excitam: nulli fere impune Cælo caput exerunt; quales ſub Xerxe, ſub Nerone, ſub Veſpaſiano, ſub Carolo Caluo, ſub Tamerlane, ſub Henrico Angliæ octauo.

Opinio Ariſtotelis refellitur. De ijs igitur cometis quæro vnde ſint? vnde fiant? creditum multis & diu è terra naſci: fecit hoc Ariſtotelis veneratio, traxit deuias & attonitas mentes, nec conuictas argumentis, nec tamen auſas reluctari: ſic magnis authoribus conſecrantur errores, & probantur multa non quia placent, ſed quia pudor eſt diffiteri. Noua illa Caſſiopeæ ſtella quæ anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo tam diuturno tempore ſpectandam ſe orbi terrarum præbuit, magnam opinionum caliginem diſcuſſit, Lycæo non mediocriter concuſſo. Putauit Ariſtoteles Cometam nihil aliud eſſe præter halitus tenaces & viſcoſos quos ſtellarum radij in prima aëris regione accenderent, ſic lacteam viam totam è fumis conſtare credidit quæ nunc per teleſcopia proſpicientibus manifeſtè ſtellulas ſuas prodit à quibus ille lacti ſimilis candor efficitur. Mirum non eſt ſi tantus vir pauca ignorarit, ſed potius glorioſum quod tam multa tam perſpicaciter indagarit. Damnaret ipſe ſi reuiuiſceret, quod nimis craſſe deffendere aliqui ex eius ſectatoribus conantur: multa enim in hac opinione inconcinna, multa intolerabilia ſunt. Aduerſùs eam locus, tempus, materia, forma, motus, ſenſus denique & ratio conſpirant. Viſi quippe omnes qui poſtremis his temporibus arſerunt Cometæ ſupra Lunam, hoc tot lyncæi oculi ſpectarunt, hoc paralaxeon notitia è tam diuerſis plagis intuentibus euidentiſſimè comprobauit; ipſi qui antiquis opinionibus erant ſiderati, cùm negare iſtud non poſſent, dixerunt eſſe quidem illum ignem vnam ex Caſſiopeæ ſtellis antè inuiſam, quæ nunc ſe proderet propter ingentem exhalationum copiam oculis noſtris interfuſam. Ridiculè quæſierunt lucem in tenebris; nam ſi hoc halitus feciſſent, nonne oportuit, totam ſtellarum viciniam ſolito maiorem videri? detrahunt vni quod omnibus circumſtantibus nolunt impendi. Deinde quis ſentiat tantam exſpirationum congeriem, tam vago impetu diſſultantem tamdiu contra naturæ ſuæ legem ad vnum ſidus fuiſſe alligatam? Alij cum hæc diffugia tueri non poſſent, hærebant ambigui ſibi, & ſuæ experientiæ fidem detracturi, ne leuibus ſcholæ concluſiunculis derogarent, ſed contra, huic opinioni obluctantes Cometæ, nuper de Æthereo ſuggeſtu pronunciarunt; nam ſi Cæ-

li (quod Peripatetici volunt) solidissimi sunt, vnde planetarum orbes in modum tecti duratos irrupere? vnde tam firma mundi lacunaria perfregerunt? si liquidi, quis credat terræ fumos tam immanem viam carpsisse, vt super astra conscenderent, nec tot immortalium corporum impulsu reuerberatos, nec tanto solis atque astrorum incendio statim fuisse dissipatos. Nimis præposterum est inferre cœnum in Cælum, nimis stolidum excretas de terra fæces, inter limpidas stellarum faces reponere. Nimis hæc magnus arbiter inter se discreuit, quid auro argillam conglutinare nitimur?

Fac tamen ascendere, quis detinebit in superis? ille qui Cassiopæam illustrauit, per sedecim continuos menses arsit, quis credat terrenos halitus, tam fluxam & tam fragilem materiam internis externisque depastam ignibus tandiu resistere potuisse? Si de draconum saltantiumque caprarum genere fuit, cur non est eorum exitum consequutus? Quicquid est in istis ignium, totum subitaneum est, breui inflammatur, breui desinit; semper enim materia alendæ flammæ capax, aliquid habet terrestre, quod cum ab aëreis partibus per ignem secernitur, decidit, terræque redditur: vnde illi extra patrias sedes alimenta in nouum orbem transcripto? descendere illũ semper oportuit, vt suo pabulo insisteret, & crassiorem aërẽ qui terris propior est, consequeretur.

Iam quis illos terræ fumos ad numerum composuit vt quotidie in absumptorum locum vicario munere succederent, non plures, non pauciores, vt orbem sideris ex æquo per dies multos apparentis iustissima mensura replerent? quomodo per tanta Cæli & aëris interualla non abripiuntur? quomodo non distrahuntur, sed in certum locum ex destinato tanquam per tubos emissi veniunt? omnia insolita, omnia intentata. Sed nihil incredibilius quàm tantam halituum copiam, tam prodigiosa flatuum volumina è terris exspirari. Nam si quis magnitudinem Cometæ vel vnius ex mediocribus consideret, inueniet profectò tantam eius molem esse, vt si tota in fumos tellus fatisceret, vix vni formando atque alendo sufficeret: intercipi oporteret aërem quem tot animalia hauriunt, quasi ad vnius voracissimi animalis saginam, nunquam tamen explendam.

Adde iam formam stellæ compositam, & constantem quæ ex vago exspirationum incursu prodire nequit, adde motum æquabilem & germanum sydus cuius est statos orbes ducere, cum cæteri ignes cæco impetu per abrupta dissiliant. Tandem his postremis temporibus spectantium euicerunt oculi, euicit quicquid est humanæ rationis & coniecturæ non posse Cometas tam fluidis & tam nullis principijs ascribi.

Noua stella aut in Cælo formata.

Fromondus in meteorol. distinguit inter Cometas cælestes & noua sidera.

Quæsiuere alij caussas in cælo, inde nasci, illic interire voluerunt, multi ex ipsa Ætheris materia componi; quidam rem acu tetigisse putant, qui Solis ebullitiones ignem per crateras & spiramenta eructantis dixere: & hic est aries quem Cælo intentasse gloriantur, sed parum oculate viderunt qui in eam abiere sententiam. Nam primum difficile est dicere, quomodo ex illo Æthere tam liquido, tam subtili, & veluti perpetuo syderum verbere incitato, tam nouæ & solidæ rerum species appareant, siquidem formæ crassis demum corporibus imprimi solent, in subtilibus non habent vbi consistant. Ille qui manet aër, potest figurari, qui rapitur & currit, vt ait Seneca, non dat sui potestatem. Deinde si fiunt à sole, aliquas etiam à stellis fieri necesse est. Ex quo solent quærere, cur tam præsenti quotidie materia, tam fœcundis etiam caussis illi in perpetuum incubantibus, tam rari prodeũt Cometæ, quos oporteret in dies generari & innumerabili sobole cælestes orbes complere? maxime verò si sunt solis veluti æstuantis strigmenta, tam commu-

Ait enim æthereos Cometas conflari ex halitibus calestibus quos sidera exspirant.

nes essent mundo quàm igni scintillæ, cum tamen in multos differantur annos, vt eorum raritas sæpe curiositatem indagantium fugiat. Non est credibile ita latere sub sole omnes qui gignuntur vt non aliquando remoti ab eo frequenter emergant & se omnium oculis obijciant. Adde iam quod Cometæ non tantum sub sole, sed in septentrione vbi intensum frigus, & in parte Soli ex diametro aduersa gignantur, quos nemo à Sole eructari prudens dicat, cum maculas & ista omnia eiusdem strigmenta in vicinia magni sideris ardere aduersarij fateantur. Ad hanc obiectionem hæret Snellius vir vtique modesti sensus magis quàm peruicacis, & excerni fortè ab alijs sydetibus, putat, iam de sua sententia dubius, quòd certè abiret in immensum, si cuique stellæ tanta soboles adnascatur.

Antiquorum opinio de Cometis valde probabilis.

Melius fere omnia viderunt antiqui, quorum nobis oracula velut ex sacrario prodeunt non spernenda, sed potius veneranda. Apollonius Myndius quem secutus est Seneca, sagaci vbiq; & diuino ingenio, putat Cometas esse inter perpetua naturæ opera, ignes ab ortu rerum mundo intextos, & propria, suique iuris sidera, quæ altiora mundi secant, & tum demum apparent, cum in imum cursus sui venerint, & à sole fuerint illuminati; habent enim phases suas sicut Luna, quæ aliquando tota, aliquando nulla est. Hanc esse antiquissimorum Chaldæorum sententiam idem tradit qui Cometas in numero stellarum errantium (sicut & Pythagoras) ponunt. Democritus censuit ea quoque sæpius multarum stellarum confinio coalescere atq; extendi. Bene vterque iudicauit: nam credibile est Cometas stellas esse erraticas extra ordinē gregemq. cæterorum, forma motuq; discrepantes, qui statis temporibus apparent, & demum se ex oculis subducunt cum in æthereas altitudines se denuo immerserint, aut extra phasin quàm à Sole habent, fuerint. Quæ autem in illis visuntur caudæ & proiectiones, constant ex ignium ascititiorum aggregatione: permultæ quoq; stellulæ per sphæras cælestes sparsæ, atq; aliàs inuisæ, tum demum se produnt, postquam agmen fecere, & vibrantiores radios virtus vnita sparsit, transmissis etiam fortè per illa corpuscula, haud ita coacta, solaribus radijs. Nec valet quod obijcitur, Cometem si stella stellæ superueniens faceret, momento desiturum, quia summa velocitas siderum transeuntium est, cum cito idem ille cursus qui admouit, abstrahat. Hoc enim in Sole & Luna cæterisque planetis quorum deprehendimus cursus, vsu venit, vt ad modicum tempus cohæreant. Vnde & eorum stare sententia non potuit, qui dixerunt fieri Cometas cum ex errantibus nobis notis alter alteri applicuisset, confuso in vnum duorum lumine. Nam si ita res se haberet, annis omnibus fierent. Sed alia ratio est stellarum istarum quæ sæpius in via lactea Cometis asciti visuntur nec tam citò dissociantur. At verò non tantum stellulis fortè occurrentibus aggregantur, sed ex se vim magnam ignium per accensum Æthereem fundunt, vnde & cum tanto ambitu criniumque suggestu feruntur, & diu se spectandos præbent.

Res tota manifestis experimentis conspicua fuit anno millesimo sexcentesimo decimo-octauo, quo celeberrimus Cometes arsit: Nam Cysatus illustris Mathematicus, vt testatur noster Eusebius, historiæ naturalis libro secundo, vidit eumdem per tubos opticos, & animaduertit constare minimis stellis, nunc coactiùs stipatis nunc laxius distributis, nunc paucioribus & maioribus, nunc pluribus & exiguis.

Christophorus Rotomanus duo contra hanc opinionem obijcit, quorum hoc primum est. Si Cometæ, inquit, essent corpora perpetua, prima creatione cum reliquis stellis condita, atque tunc demum ap-

parerent cum ex altissimo æthere in inferiora descenderent, necessariò à prima apparitione quo propius ad terram accederent, eo magis crescere viderentur, rursumque ascendentes, eadem proportione decrescere, quemadmodum solent planetæ superiores. Nunc autem manet illis prima facies donec incipiant extingui, & plerumque primo apparitionis tempore maximi sunt. Aduersùs hoc respondere promptissimum est, falsum esse quod assumit & opticæ legibus contrarium, quæ apertissimè docet esse istud omnibus corporibus commune vt è longinquo minora appareant, maiora de propinquo, nec vlla ratio persuadet cur soli Cometæ ab hac regula eximantur, imo experimentis reluctatur, attestante Seneca, *hi minuunt augentque lumen suum, quemadmodum alia sidera quæ clariora cum descendunt, sunt, maioraque ex loco propiore visuntur, minora cum redeunt, & obscuriora quia abducunt se longiùs.* Itaque vt ipse scribit, alij paulatim crescere cœperunt, aliorum cum creuissent sensim magnitudo distracta.

Seneca natural qq. lib.7.c.17.

Alterum quod intentat telum, hoc est: si propter ascensum disparerent, nihilominus tamen semper eamdem necessariò retinerent densitatem, nec propter remotionem rariores fierent. At circa *dispersionem*, vt ait non eam retinent densitatem quam initio habuerunt, verum rarissimi existunt instar crinium dispersorum, adeo vt per corpora ipsorum superiora prospici possint. Illusit sibi Mathematicus fumos habens pro sideribus; debuerat animaduertere halitus illos quos fingit, stellas esse ex ascititijs perpusillas, quarum compago dum se laxat, & rarescit, spargi in Cælo crines videntur, & corpora superiora apparent, remotis scilicet inferioribus, quæ viam oculis obstruebant. Existimo igitur Cometas optimè inter perpetuos Cæli ignes reponi, quos naturæ maiestas seruat & mouet ex abdito. Pusilla res mundus est nisi in illo quòd quærat omnis mundus habeat, ait vir diuinus. Sunt qui putant à Deo creari de nouo in ostentum, & cum orbem suum peregerint difflari, atque extingui. Sed nullo hæc fundamento diuinant; & nouas mundo species ingerunt, quem semel omnium prouida mens absoluit, frustra ortus & interitus quærunt in illa sede quam rerum nascentium atque intereuntium vicissitudines nunquam exercent. Hæc Dei potentia est, initio fecisse quod putamus fieri, & apparere tantùm, quod oriri credimus: quoties nos terret ostentis, non solem nouum, non lunam creat nouam, pallorem tantùm illis aut nigredinem inducit: habet & Cometas à mundi constitutione dispositos, quibus generi humano petulantiùs lasciuienti minas intentet, sed timere ista magis quàm discutere conuenit.

CAPVT XI.

An moueatur terra Cælo quiescente. Defensio Communis opinionis.

NIHIL non dubium fecit mortalibus audacia dubitandi: Terram ab exordio mundi quiescentem in motum sollicitarunt plerique veterum. Hanc opinionem iam multis defossam sæculis Copernicus eruit, & in posteris non tantùm approbatores sed etiam defensores inuenit. Nam post Galilæum, Philippi Lansbergij & aliorum pro motu terræ commentationes prodierunt in lucem, quæ non cunctanter asserunt quod difficillime creditur. Certè *digna res contemplatione* (ait Seneca) *vt sciamus in quo rerum statu simus, pigerrimam sortiti an velocissimam sedem? Circa nos Deus omnia, an nos agat?* Primum, inquit, Ptolomaïca Hypothesis de quiete terræ pugnat è diametro.

Lib. 1 cap. 5 de reuolutionibus motuum cælestium.

Lansbergij rationes contra me.

Ptolomæum pro motu terræ refutantur.

metro cùm ordine à Deo in rerum natura constituto, quo fit vt stellæ in minoribus sphæris velociùs moueantur, in maioribus tardiùs: Luna enim minimum Cæli orbem secans, cursum perficit spatio mensis, Saturnus in maximo planetarum positus triginta annis suum iter euoluit. Sed cùm sphæra fixarum infinito penè interuallo Saturno altior sit, aut quiescit, aut certè tardissimus illi motus competet, vt manifesta, inquit, absurditate Ptolomæus huic velocissimum, puta diurnum, videatur assignare.

Nihil erat cur Ptolomæum conuicio proscinderet, tanto hiatu nihil dignum allaturus. Nam quod ait planetas, quo altiores sunt eo lentiores esse, non est necesse; siquidem (vt præclare dixit Seneca) longiùs eunt, non tardiùs. Nam si Saturnus & Luna eumdem orbem decurrerent, hæc vno mense, ille annis triginta, manifestissime vnius velocitas, contra alterius segnitiem probaretur. At verò cùm spatia quæ carpit Luna, breuissima sint, Saturni verò ampla & immania, tota vis rationis hebescit. Non rapidius excurrisse dicam, qui Lutetiâ Rothomagum attigerit quinto die, quàm qui Romam decimo. Ex quo neque Lunam sole perniciorem iudicabo, quòd breuius iter paucioribus diebus absoluat. Atque vt illi totam ratiocinandi licentiam permittamus, non quòd vult efficit: Sphæram quidem octauam lentiùs moueri, haud quaquam probat.

Alterum intorquet argumentum, quo demonstrare contendit Cælum & astra non indigere motu diurno, sed solam terram. *Quid enim (ait) nonne mater ad focum liberis inuoluendis intenta, præpostere ignem circa illos conuertit, quos tranquilliùs & minori cum molestia igni quiescenti exponere atque obuoluere possit: ita etiam ineptam dico naturæ operationem, si solem circa terram quiescentem circumducat, quam oportebat voluere ac conuertere ad quiescentem solem, vt viuifica eius vi cum omnibus quæ gremio sustinent, fruatur.*

Lepida quidem & faceta ratio, sed nutriculis potius digna quàm philosophis? Nimis imperitè, atque etiam sordidè beneficientiam nasci ex indigentia putat. Solem terram stantem circumire, vt illuminet, vt fœcundet non patitur, quia sphæræ, inquit, cælestes hoc motu non indigent, sed indiget terra, cui Deus per solem prouideri voluit. Hanc maxima quæque legem habent, vt impertiant se minimis. Ipse qui nobis impensus est Deus, ad nos quotidie venit, nullius indigus, largitor omnium. Non expectat vt ad eum voluamur, præit ipse, & sæpe inuitos adoritur, sequitur reluctantes. Dare semet inferis superà iubentur, ita misericors pater auaritiam à cælestibus exclusit. Deinde putat nobis minuta similitudine quasi præstrictis illudere? Mater, inquit, infantem obuertit igni, non expectat vt circa ipsum circumnoluatur focus. Nempe insana esset si expectaret, vt muri, & lapides camini, vt ligna circa se choream ducerent. At nos scimus astra circuire terram quia hæc iners & immota, illa volucri corpore & plena spiritu igneo.

Tertio loco proponit *infallibile* quod vocat argumentum, ex Mathematicis principiis colligit ingentem primi Cæli magnitudinem; quod si motu diurno intra viginti quatuor horarum spatium circumuoluatur, necesse est, inquit, tanta velocitate moueri, vt intra diem vnum conficiat milliaria 5562864617, intra scrupulû. 643848. cùm terra tantum intrà idem tempus numeret 5400. intra momentum decimam sextam partem milliaris. Inde infert motum magis terræ competere quàm C[illegible] vt quæ ad mouendum se propter [illegible] corporis molem sit magis exp[illegible] Longæ hic verborum am[illegible] quas breuiter

uiter ſoluimus, negando quod aſſumit, primam ſphæram diurno motu tantum ſpatij decurrere, & ſi quidem decurrit, ex præſtātiſſima vi à Deo illi indita fieri. Abſurdè autem probat mouendi impotentiam à magnitudine corporis: ſic enim formicā perniciorem eſſe gigante contendere, ſic globulum plumbeum ſuapte natura immobilem, & celerrimis etiam equis velociorem demonſtrare poſſem, quæ omnia inconcinna ſunt: non enim à paruitate corporis, ſed à vi motrice tota mouendi ratio deſumitur, quæ cum in Cælis maxima ſit, in terra nulla, non eſt mirū hanc illo moto quieſcere. Reſtant quædam argumenta quæ à motu Lunæ cæterorumque planetarum eliciunt Mathematici; ſed cùm omnes fateantur ſiue ſtare Cælum dicamus mota terra, ſiue Cælum moueri terra quieſcente, eaſdem in Cælo prorſus exhiberi apparentias, fruſtra confugiunt ad errantium ſtellarum curſus quæ nihil illorum fauent errori. Nam Ptolomæus & Tycho-Brahe ille in antiquis, hic in recentioribus peritiſſimi, cum pro motu Cæli ſteterint, omnes tamen omnium ſyderum curſus ad iuſtiſſimas leges compoſuere, vt ſuperuacaneum ſit fundatiſſimas opiniones leuibus argutiolis fatigare.

Rationes pro quiete terræ.

Ludicra ſunt ergo quæ aduerſarij ad tātæ opinionis patrocinium obijciunt, contra verò ſtant Philoſophorum & mathematicorum, omnium denique hominum ſenſus qui terram in medio mundi ſtabilē conſtantiſſimè poſuere. Stat diuinarum literarum authoritas quæ Eccleſiaſtæ primo ſolem oriri & occidere, gyrare in meridiem, flecti ad Aquilonem apertiſſimè te[ſt]atur. Quod autem reſpondet Lanſbergius hæc tantùm apparenter fieri, periculo[ſa re]ſponſio eſt: ſic enim rebelles lumini fidem [ma]iorem conuellere nituntur, dum myſterij[s ...] figuras illudunt. Quid ſi ſemel hæc *apparentia* diſtinctio in rebus etiam notiſſimis admittatur, nihil erit quod tentare audacia aduerſus fidem non poſsit.

Addo etiam cùm corpori ſimplici vnus tantùm & ſimplex conueniat motus, vt præclarè Ab Ariſtotele libro primo de Celo diſſetitur, certum eſt omnino terram quæ vtique elementum eſt, vno tantùm modo moueri: at cum hic motus ſit ad medium, & ad centrum, vt clariſsimè experientiâ conſtat, ſuperfluum eſt alium comminiſci motum, eumque naturalem quem nemo niſi ſomnians ſentiat. Habent hoc elementorum partes vt ſe ad totius normam componat. Ita modicus ignis, aut aër, ſurſum nititur, ita effuſæ pauimento aquarum guttæ ſe in orbem componunt, Oceani rotunditatem imitare, ita decerptæ de terra particulæ, ſi permittantur ſuæ naturæ, ſtatim deorſum cadunt, & ſe ad ſui elementi motum componunt. Quis vllam vidit vnquam circulariter moueri, & orbem circa nos naturali motu ducere?

Præterea fatentur aduerſarij pondus de excelſa turri demiſſum, intra ſuum perpendiculum cadere, quod quidem nullo pacto fieret, ſi terra in gyrum raperetur. Nam dum lapis deſcenderet, terra interim commota locum illum cui antea lapis imminebat, deſereret: Reſpondet Lanſbergius turrim, terram, aërem & pondus ſimul promota eumdem ad ſe mutuò ſeruare ſitum, ſed quis credat molam aut incudem ex alto deſcendentem, & recta linea vergentem in centrum, ab aëre etiam ſupero, in tranſuerſum ferri per longinqua ſpatia, & rapidiſsimum quem fingunt, terræ motum comitari.

Si ita eſt, quæro, cur orbe terræ ab occidente in orientem (vt volunt) agitato, nobis in occidentem euntibus validiſsimus aër non obſiſtit? cur leuiſsima cor-

corpora non reuerberat, qui potest etiam immania ferri pondera à cursu suo detorquere?

Denique si terra quod etiam palam asseuerant, à septentrione in meridiem, aut contra mouetur, necesse est vbique & per momenta singula poli altitudines variari. Nam quotidianâ experientiâ planum est ad septentrionem ambulantibus sensim polum eleuari. Nil hîc interest vtrum agamus aut agamur, certè qui nos admoueret Aquiloni terræ globus, suprà nos magis ac magis arcticum polum erigeret, antarcticum, si ad meridiem volueretur: at nihil horum experimur, idem manet nobis situs, idem ad polos aspectus, siue ad cancrum, siue ad capricornum terra adrepat? Quid hîc ergo garriunt? Quid strepunt, nouitatis auidi, expertes veritatis? Sed tamen ignoscendum illis, si cum singulis noctibus vsque ad antipodas eant, & immania mundi spatia dormientes ementiantur, graui laborent vertigine, cui nullæ Machaonum artes possint subuenire.

COROLLARIVM DE MOTV TERRÆ,

Aduersus eos qui ne diuina quidem potentia fieri potuisse contendunt, vt manente hoc rerum ordine terra moueretur.

Motus terræ si ex hypothesi disputetur, probabiles rationes habet.

QVIETEM igitur terræ superiori dissertatione probare placuit, quod hæc sententia Scripturæ, Ecclesiæ, & piorum hominum sensibus sit magis consentanea. Sed longè abeunt à vero qui motum terræ ita absurdum putant, ita contradicentibus propositionibus implicatum, vt ne diuina quidem potentia, manente vniuersi ordine fieri potuisse credant. Non ea mens fuit S. Augustini, cui cum hæc quæstio proposita fuisset à fratribus, neque fidei, neque naturę aduersam iudicauit: Sed tantùm respondit multum subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, nec sibi iam tempus esse, nec ijs esse debere, quos ad salutem suã, ex sanctæ Ecclesiæ necessaria vtilitate cuperet informari. Si quis igitur tantùm ex hypothesi disputet, & dicat, quòd si Deo ita placitum fuisset ab exordio mundi terram mobilem, Solem verò, & orbem stellarum fixarum immotum constituere, non deesse rationes quibus hoc nihil aduersus Dei potentiam impeditum, nihil aduersus naturam inconcinnum continere, possit ostendi, non omnino certè à scopo aberrabit, sunt enim non contemnendæ.

De Genesi ad litteram libro 2. c. 10.

Copernic. lib. 1. de reuolutionibus cap. 5.

Prima est Copernici quod nobilior sit, & diuinior conditio immobilitatis. Hæc nobis à Deo lex, hic ordo describitur, qui inter tot rerum inferiorum vicissitudines semper immotus stat, & inconcussus, vnde non immeritò dixit Boëtius.

stabilisque manens dat cuncta moueri.

Itaque cum sol inuisibilis Dei sit visibilis imago, omnium quæ intra naturæ corporeæ limites continentur præstantissima, optimè in centro mundi immobilis inter terram & planetas mobiles constituitur sua luce perfundens, & sua vi penetrans vniuersa. Vnde & tellus & cæteri orbes planetarum illi continuò adrepunt, & in illum quasi per æternam choræam feruntur, tamquam ad viuicum fontem, à quo Deo ita dispensante hauriunt omnia: orbis quoque fixarum quia septum est totius mundi & clarissima domus Dei infinitis collustrata stellis, quæ vt credibilius sapientibus viris videtur, à se lumē habent post Deum, non immeritò quoque statum habet & quietem perpetuam.

Secunda est eiusdem authoris, cum Cælum sit quod continet & celat omnia, commu-

munis vniuersorum locus, non satis apparet, cur magis continenti quàm contento, locanti quàm locato, motus attribuatur. Absurdum quippe esset caueam volare & vbique discurrere, auem verò in ea positam quiescere.

Tertia Galilæi, Kepleri, & cæterorum, natura nunquam facit per plura quod meliùs facere potest per pauciora. At si dicas Cælum moueri, terra quiescente, infinitæ ambages occurrunt: primum enim voluenda sunt continuò immania atque immensa fixarum stellarum corpora, circa vnum & vile punctum. Deinde contra ordinem naturæ assignandi vni corpori naturali & simplici duo motus contrarij, quibus vnà & simul rapi in ortum & occasum planetæ dicuntur: committenda est æterna quædam pugna inter cælestes domos, vbi summa pax: concedenda est in illis maxima motuum inæqualitas, quæ cogit fingere eccentricos, epicyclos, stationes, retrogradationes, tot labyrinthos rerum; at si globum terræ ad id & paruitate sua & rotunditate satis compositum, ipsaque necessitate vtilitatis suæ satis compulsum moueri fatearis, omnia non solùm commodissimè fiunt, sed clarissimè etiam intelliguntur, vt in accuratis Astrologorum obseruationibus patet. Quis ferat ob tantillum terræ punctum tam immensa Dei opera laborare, & perpetuò impediri, idem profectò, ac si quis concionem audiens, nolit in concionatoris suggestum caput obuertere, sed totam templi machinam ad se conuerti.

Quarta iam superiùs perstricta, est Lansbergij qui contendit non solùm rationi consentaneum esse Cælum quiescere, terram moueri, sed aliter fieri non posse. Nam si sphæra fixarum motu diurno circa terram raperetur, oporteret eam vno momento (vt mathematicè probat) plusquam sexcenta millia milliariorum Germanicorum percurrere, quod est extra corporis physici naturam: at verò terra mouendo se eodem temporis scrupulo decimam sextam milliaris partem tantùm absoluit, quod est mensura temporis globuli è tormento emissi, vnde citatissimus eius motus, & tamen rationi non aduersus statuitur. At si contrarium dicas extra omnem vim concipiendi, & humani sensus legem inuenietur.

Quinta ex eodem iam libata: quò altior sphæra eò tardiùs cursum obit, sic Luna celerius Zodiacum percurrit, quia omnium infima, & intra vnius mensis spatium suum decurrit pensum. Sol vnum annum obtinet, Mars duos, Iupiter duodecim, Saturnus quia omnium editissimus, triginta. Hoc est igitur naturæ leges peruertere, & ordinem statutum Cæli diuellere, si dicamus esse aliquod primum Cælum idque mobile, Saturno infinitis fere partibus excelsius, quod tamen proprio sibi motu & non alieno, intra vnum diem naturalem cursus suos tam immensos absoluat.

Sexta ex Keplero: primum Cælum vel est extrorsum infinitum, vt vult Guilliel. Gilbertus, vel finitum: si infinitum, absurdum est vt finito tempore totum euoluatur: si finitum, extra tamen illud nihil est quiescens, quod eidem præstet locum. Vbi verò nihil est quod quiescat, ibi motus nullus est. Nam motus est separatio mobilis quatenus mobile de loco suo quiescente, & translatio in locum alium. Quod si dicas esse Cælum empyreum, supra Cælos mobiles quietum, iam istud extra physicam est, & captum humani sensus, neque ex scriptura aut fide conuincitur esse aliam sedem beatorum præter purissimum & amœnissimum locum qui est supra conuexam superficiem firmamenti.

Obiectiones autem variæ hypothesi quam

Obiectiones contra

motum terræ ex hypothesi disputantibus soluuntur. Eccles. 1. Iosue 10.

quam dixi semel constituta, sic ab eis soluuntur.

Prima vrgetur maximè ex varijs scripturæ locis qui terram in æternum stare, Solem oriri & occidere, gyrare in meridiem flecti in Aquilonem manifestissimè dicunt, vt est apud Ecclesiastem. Adde quod in libro Iosue Sol semel tantùm stetisse, non natura quidem, sed miraculo dicitur. Sed Focarinus eruditissimus Carmelitanus conciliationem Mathematicæ cum Theologia libello singulari edidit, qua diluuntur argumenta quæ ex sacris militare aduersus hanc sententiam videntur.

Primùm enim sic statuendum est, nequaquam fuisse sancti spiritus aut Christi Dñi in sacris paginis institutum, vt nos Astrologiam doceret, sed in istis prudentissimè ex communi hominum sensu, & consueto intelligendi modo locutus est, alia longè diuiniora mente agitans: vt enim Seruator noster licet omnium linguarum peritissimus, Syriaco & quidem barbaro sermone vtebatur, non ad Hebraicam elegantiam composito, vt se vulgi consuetudini commendaret: ita & in physicis authores sacri non quærunt abstrusa rerum, ambagesque opinionum, sed vsitatissima inter mortales pene omnes forma contenti sunt: nec tamen deflectunt à vero, si libeat etiam commode & sapienter intelligere. Nam quòd ait Ecclesiastes terram in æternum stare, verissimè dixit de statu consistentiæ, quo tot mixtis nascentibus & intereuntibus, ipsa perpetuò remanet immutata, nec tamen inde statum quietis contendit asserere. Non dissimiliter optime dicitur Sol oriri, cùm terra se in eum conuertente, nobis promitur, & occidere, cum eadem se auertente celatur. Ite in meridiem & Aquilonem cùm in eas plagas radij eius qui terræ currenti adhærent, sparguntur, ita & sub Iosue stante videlicet terra, radius Solis non commouebatur, ex quo stationem astri nouam & inusitatam inferre liquidissimum erat & in vsu communis sermonis receptissimum: sapit igitur scriptura vbique diuinis moribus, sed in physicis se ad notitias hominum tritas accommodat, ne magis Philosophiam quàm sacra oracula pandere videatur. Ita planè S. Hieronymus in Matthæi caput 14. *Consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorum sic narret Historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur.* Sic lunam luminare maius appellat, cùm tamen stellæ omnes longè maiores sint, & terram super aquas fundatam memorat, cùm reipsa vbique subsit Oceano.

Secunda obiectio est ex sensibus qui motum illum terræ nullo modo discernunt.

Respondent, vt inæquale non cognoscitur nisi per æquale, ita nec motum cerni nisi per quietem. Cum terra, igitur & aqua, & sphæra quoque aëris, & omnia mixta agitentur circà nos, & nos ipsi eodem motu eoque velocissimo & suauissimo agamur, nihil putamus moueri: sic in naui vectores promoueri se non perspiciunt, nisi ad stantes scopulos, aut pagos, aut vrbes, à quibus diuelluntur, aspiciant.

Tertia cur ædificia igitur omnia tam rapido motu concussa non discerpuntur? cur non cadunt animantes? Sed hoc sibi fingere puerile est, cum iste terræ motus non sit hostilis & violentus, verum suauis, & ex communi naturæ bono ordinatus. Vrbes autem, & castra, & domus, & animalia nullo modo lædi possunt, quia vbique suo centro nempe terræ regulariter hærent, & cum ea placidissimos circuitus ducunt.

Quarta cur arborum folia quæ modicum quemque ventorum susurrum sentiunt, & aguntur, in tanto commoti orbis strepitu manent immota? Facilis ad hanc responsio est, moueri arborum folia leuissime

quoque zephirorum flabello, quia tunc al-li[illegible] est corporis alieni, nempe vaporis aut halitus ex aduerso impingentis. At hic motus terræ illi à Deo ad commune bonum ingenitus, non impingit, non allidit, non solum mitissimus, sed etiam æquabilissimus est. Non est timendum ne nos tanquam mobili globo ægrè insistentes concutiat & percellat semper titubantes, semper lapsuros. Cur istud miremur cum in nauigijs etiam rapide currentibus videamus, nec qui vehuntur distrahi, nec folia, nec flores in immensa positos agitari, nec facis accensæ flammam obuerti, nec scyphos fundi. Certè motus hic quem terræ adscribunt, instar est temporis intra nos labentis, quo nemo se incursari, nemo allidi sentit.

Tacitisque (vt ait ille) *senescimus annis*, inde quoque fit vt terrâ ab occasu in ortum motâ, qui ab oriente veniunt, nullo modo se reuerberari sentiant, quia cum iste motus sit generalissimus & maximè naturalis, agatque nos & circa nos omnia, priuatis & particularibus cuiusque rei motibus nullo modo resistit; sed vt vectores naui in orientem rapidissime incitata, æquabili facilitate in occidentem discurrunt, & pisces intra eamdem nauim motam si in vase aqua pleno ponantur, circumquaq; non impediti saliunt: ita nos in omnem orbis partem commeamus, nec illa agitatio tam blanda, & naturæ visceribus indita cuiquã officit.

Quinta quid de lapide aut sagitta dicetur quæ sursum intorta in eumdem terræ locum ad perpendiculum recidit, quod nõ faceret, si dum mouetur, terra se interim promouendo surripuisset?

Respondetur aërem & lapidem simul aut sagittam proiectam sursum, moueri interim motu terræ; hæc est enim lex proiectorum, quod experientia satis docet, vt in altũ etiã subuecta nõ desinant moueri motu quẽ terra aut vir inhærens terræ impressit.

Sexta cur terra inclinante motu annuo modò in aquilonem, modò in austros non mutantur poli, cum certè euntibus à meridie in septentrionem contingat polum eleuari, contra verò à septentrione in meridiem tendentibus deprimi.

Responsum est non mutari nobis polos, quia hic motus non est rectus vt ijs qui in diuersas mundi plagas ambulantes commeant, sed circularis, terra super eumdem axem, & super eosdem polos vbique se vertente, ipsoque axe eumdem situm, & axi mundano parallellum constantissimè seruante. Quod si conuoluta per spiras describit aliquos breues circulos, hoc tamen ratione paruitatis terræ ad cælum comparatæ, non est perceptu facile. Vt enim in horologijs condendis euenit vt quisque, vbicumque est, sibi centrum terræ etiam in tanta locorum differentia statuat, nec tamen operatio fallit: ita & si qua eueniat in polis mutatio, ex hac terræ conuolutione, non est tamen sensibilis.

Septima si terra ab occasu in ortum tenderet, continuò nubes & aues nobis in contrariam cæli partem ire cernerentur, quod tamen non apparet. Respondetur rectè inde colligi Planetas, stellas fixas, & cætera eiusmodi ire apparenter ab ortu in occasum, quia extra terram sunt: At verò aërem, & quæ in aëre sunt, quia ad globum terræ pertinent, cum terra ab occidua parte in orientalem rapi motu generali, nec tamen inde particulares cuiusque rei motus inhiberi, quominus ad destinatum sibi cursum placidè deferatur.

Octaua, corpori simplici vnus tantum simplex motus conuenit: cùm igitur terra suo pondere deorsum rapiatur, absurdum est circularem illi motum ascribere. Respondetur grauitatem non inesse toti terræ globo, sed tantùm partibus, vt tendant ad cen-

centrum. Itaque ex natura sua perpetuò in orbem mouetur tota, sed quæ per accidens ab ea diuulsæ sunt partes, rectà in centrum suum redeunt, vt circuitus suos cum tota mole obeant. Si orbis terræ tam grauis esset ac ponderosus, qualem prædicant, longè mirabilius esset in aëre pendentem æterna vi distineri, quàm suaui & placido quem diximus motu circumferri.

Nona: duæ Bombardæ per omnia æquatæ, quarum vna in ortum, altera in occasum displosa, idem prorsus spatium conficiunt, quod non eueniret, si terra moueretur: nam quæ ab occasu in ortum iret, longiùs progrederetur terræ motu adiuta. Quæ verò ab ortu in occasum transgrederetur, terræ ex aduerso venienti occurreret reuerberata, & minus viæ emensa. Respondetur hoc verum esse ratione spatij mundani immobilis & fixi, vnum altero plus spatij decursurum, non autem respectu subiecti mobilis qualis est terra: eâ enim motâ, omnia quæ in illa sunt pariter mouentur, non citius ibit globus Bombardæ in ortum quàm in occasum motu terræ, quia æqualiter hoc modo mouentur omnia. Habent autem singula suos particulares motus inter alios terminos qui non impediuntur à motu generali. Sic rectores in naui, sic muscæ in rota currente, sic planetæ mouentur à se & à primo mobili.

Hæc illi, quæ speciem habent rationis non contemnendam, nec insciè probant motum terræ extra diuinam potentiam non esse, actu autem existere nunquam euincent.

Celeberrimum illud est Archimedis ad Hieronem regem dictum. Da mihi vbi stem, & mouebo terram. Stare primum quærebat antequam moueret: illi autem moti mouere volunt, & continuo turbine versati agitant quæ vel maximè quietos fatigare atque impedire possunt. Nihil in rebus magnis atque insolitis temerè credendum est, nisi aut fides imperet aut ratio demonstret.

Contra omnium mortalium sensum, contra omnium placita sæculorum, pauci & antea ignoti homines aciem struxere, ipsi inter se pugnantibus commissi sententijs.

Nicetas stare omnia supera voluit, solam terram moueri. Philolaus & Aristarchus duo immota constituunt, Solem & stellatum fixarum Sphæram, cæteros planetas mobiles faciunt. Alij terram in centro mundi reliquere, alij gigantæis conatibus tulerunt in Cælum. Magnæ hîc ambages, & lymphatæ mentis supra Prometheum audacia.

Quantò modestiùs audimus *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Stant cuique agello sui limites, non stabunt per vagam hominum curiositatem mundi mœnia & valla quæ diuina prouidentia disposuit? obstat istis opinionibus Religio, obstat ratio, obstat sensus. Clamat Propheta, *fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Ratio suadet non esse consilij diuini, homines & animalia, & quicquid fixum esse volumus, in desultoria sede collocari, nihil per tot sæcula simile quid sensus aduertir, nimis tenue est obijcere motum Cælo non competere quod naturæ sit præstantioris, cùm Angeli excellentissima conditione nati tam sæpe moueantur: nimis pusillum Sphæram fixarum caueæ, terram aui comparere, vt hanc volare illam quiescere credamus: nimis fictitium tam prodigiosa facere in Cælo corpora, tam immensa constituere spatia, vt pertransiri motu non possint: nimis iniustum, dissimulare tardissimum esse octauæ Sphæræ motum, iuxta ordinẽ vniuersi, si quod Tycho probat viginti quinque annorum millibus absoluitur. Quæcumque militant in com-

Prouer. 22. 28.

Psal. 103. 5.

omnem sententiam rationes, debilissimi victes deprehenduntur, quibus tam operosam molem etiam Archimedæa vis non possit impellere. Sinamus igitur terram quiescere ipsi in eâ quieti. Quò sapit quis altius, eò sæpe desipit profundiùs, innocentes nos esse lex, non curiosos iubet.

CAPVT XII.

A quo Cæli & Astra moueantur.

Cælos esse moles crystallinas immensas quæ continuò motu torqueantur ab Angelis creditum olim magno Scholarum ambitu, sed hæc opinio nunc paucos sectatores habet, postquam Ætheris asserta liquiditas, & euidentissimis experimentis demonstrata. Haud quidem negamus Aristotelem, Deum rectorem vniuersi, & administras Intelligentias agnouisse, sed non eo modo quo multi prædicant. Non laboramus de motu Cæli, quia nullus est, nisi cum secatur ab Astris, quemadmodum aër ab auibus: stellæ sunt quæ mouentur; vtrum ab Angelis, deliciosa plerisque res est ita sentire, sed probare, operosa. Pleno vbique ore citatur Aristoteles quasi huius author commenti, nusquam tamen apertè de hac re pronunciasse legitur, nec Angelos quidem aut Intelligentias externas siderum motrices nominasse. Nam physicorum liber octauus ad quem nos schola remittit, nihil aliud dicit, quàm *si motus est æternus, motorem quoque immobilem atque æternum existere. Præterea esse vnum, quia cùm vnus sufficiat ad efficiendum æternum motum, non debemus frustra multos ponere; siquidem iuxta Homerum, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.* Hæc siquidem vnum & stabilem & sempiternum rectorem vniuersi præclarissimè asserunt, non tamen ab extrinseco mouentem, de angelis motoribus nihil dicunt, imò potius negant, cùm tollant illam quam alij fingunt mouentium multitudinem. Inde ad Metaphysicorum duodecimum confugium est, qui nec aduersarijs fauet. Siquidem philosophus repetit quæ eodem libro Physicorum octauo scripsit, asserens *motus cælestes à per se immobili & æterna substantia fieri, deinde addit stellarum naturam hanc esse perpetuam substantiam, & mouens æternum.* Ex quo longè euidentius est Aristotelem censuisse astra à natura sua siue forma moueri, quàm ab angelis administris, quos hîc nec appellauit, nec cogitauit quidem, vt mirandum mihi videatur quomodo ipsius sententiæ propugnatores, in locis tam sterilibus, tam nullis sibi plaudere, sibi gratulari possint. At fortè arripiunt quod in extremo huius capitis de Dijs obiter intexuit, & per istos significari Angelos volunt; sed hæc à mente authoris longè discrepant. Nam cùm de vnitate & pluralitate Cælorum disseruisset, subdit. *Tradita sunt autem quædam à maioribus nostris & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi dij sunt, vniuersamque naturam diuinam continent: cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum ac eius quod confert opportunitatem iam illata sunt: hominiformes namque & aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia.*

Ex toto illo contextu nihil aliud à perspicacibus colligi potest, quàm veterum quædam opinio, qui Deos, Solem, Lunam, cæterasque stellas censuere, præter quos, inquit, dij postea ex hominum animaliumque genere ab Ægyptijs, Græcisque sunt inuecti magis ad populares sensus quàm ad rei veritatem. Non audet hîc apertè in Atheniensium religionem inuehi, & tot Deorum monstra refellere, quanquam satis innuit, diuinius antiquos de dijs iudicasse, qui primas illas & æternas substantias: nempe stellas hoc nomine dignarentur, quàm

An Aristoteles censuerit Cælos moueri ab Angelis? Physic. lib. 8. cap. 6. textu 12.

Metaphys. lib. 12. cap. 8.

ἔστι γὰρ τῶν ἄστρων φύσις ἀΐδιός τις οὖσα καὶ τὸ ἀΐδιον κινοῦν.

quàm qui mortales homines aut etiam animalia. Ipse autem Aristoteles magis propendet in vnum & sempiternum motorem, quem ait in suprema Cæli superficie residere, & vim suam per vniuersum diffundere: ex quibus satis indicat opinari se Deum tamquam animum mundo affusum, vt libro octauo physicorum, capite decimo.

Quis in toto hoc discursu motores per motum localem Angelos etiam somnians diuinet? imò absurde inferret, quòd habet libro primo de Cælo, capite secundo, Solem esse primum & perfectissimum corpus, quia obtinet primum & perfectissimum motum, si ab extrinseco moueretur. Certè pugnantia loqui eum crederem, si postquam inesse stellis animam apertissimè dixit, & habere illas inditum sui motus principium, statim externam vim à qua mouerentur, quæreret.

Quod Cæli à sua forma moueantur.

Nec verò multum adiuuat ratio quos authoritas destituit. Incongruum est (aiunt) stellas à principio intrinseco moueri, quia repugnat dari naturalem inclinationem ad motum, nisi respectu alicuius formæ determinatæ, vel termini per eum comparandi, sed motus Cæli non tendit in aliquem terminum definitum in quo quiescat, quemamodum cætera corpora consueuere, ex quo inferunt non esse illi formam inditam à qua moueatur.

Sed hoc argumentum parum habet ponderis: nam ea tantùm respicit quæ à medio feruntur aut ad medium, quibus in determinatos locos vbi quiescant, impetus est. At verò Cælestium corporum alia dignitas, alia quoque ratio est: vt enim constant materia & forma quæ nostra hæc elementa longè superat, ita etiam peculiarem sibi vendicant motum; nempe circularem, qui est omnium perfectissimus. Non est enim ex indigentia corporis appetentis locum in quo consistere & hærere in aliquod tempus possit; sed ex ordine & conseruatione vniuersi, quod longe nobilius est.

Adde quòd hic motus in orbem mobile vbicumque sit in proprio loco constituit, nunquam vagum, numquam indigum, totum in se, totum sui. Et certè mirari subit quod illi ipsi qui motricem formam à stellis excludunt, & se cum Aristotele sentire dicunt, non viderint quàm clare & nitide ostendat libro primo de Cælo, omne corpus naturale secundum locum moueri, motum autem aut esse simplicem, aut mixtum. Simplicem diuidi in rectum & orbicularem. Rectum subdiuidi in ascensum & descensum. Orbicularem esse circa medium, ascensum à medio, descensum ad medium. Mixtum ex recto & orbiculari constare, vt animalium incessum. Ecce omnes tibi corporis naturalis motus ponit ob oculos, in his circularem qui Cælis proprius est, annumerat, neque minus naturalem sideribus censet, quàm lapidi motum ad centrum. Quid restat si Cælum ab intrinseco non mouetur, nisi vt dicamus non esse corpus naturale, sed phantasticum, idque perpetuo esse in violento statu, præter naturam actum in spiras tam multiplices, quod quidem satis absurdum est.

Aristotel. lib. 1. de Cælo cap. 2.

Aliud præterea obijciunt ab ordinatissimo Solis cæterorumque siderum motu, & quærunt si non mouentur ab angelis, cur postquam ad tropicos deuenêre, per aduersa vestigia reflectunt iter, & non vltra progrediuntur, nemo dicet hîc exhaustas eorum vires, aut obice aliquo in alteram partem reuerberari, ex quo fateri necesse est non à forma intrinseca, sed ab assistente Intelligentia illos flexus & reflexus circumscribi.

Sed ad hæc respondere promptissimum est, statuta esse à mundi constitutione Cæ-

lo, sicut elementis à Deo leges, & hunc astrorum cursum opus esse sublimis prouidentiæ, quem tamen Deus non per se, non per angelos, sed per naturales formas exequitur. Videtur quid Atlantis fabulæ quam irridet Aristoteles, non absimile exteros Cælo motores affigere. Nemo terram ab intelligentia sustineri dicit, ne in aduersum aërem ruat. Nemo maris æstus ab Angelis cieri, & intra suos terminos componi prædicat: non quærimus cur sol nobis ab orientali parte fulgeat, & in occiduum vergat. Hic rerum ordo, hæc natura est. Non absimili modo cùm videmus astra per signiferum viam carpere, ire redire, & reciprocos exercere cursus, frustra sciscitamur vnde sit. His illa terminis circumclusit Deus, has regiones incolendas distribuit, vt auibus aërem, mare piscibus, habent ad sua quæque loca inditas propensiones, & in ijs sentiunt conditoris maiestatem. Quapropter cùm tam parui sunt momenti quæ pro motoribus Angelis dicuntur, longè melius est cum Aristotele, Alberto, Vallesio, alijsque celeberrimis Philosophis censere orbes cælestes à propria forma moueri & rapi. Contraria enim sententia ad errores Arabum propius accedit, qui dictitabant solem non lucere, sed Deum; verùm suam cuique rei formam ad naturæ proprias functiones molitor æternus distribuit. Nullus in pratis flosculus, nullum terra marique animalculum, quod se suosque effectus per formam sibi inditam non promat, atque explicet. Non dicimus Angelos assistere hirundinibus, cùm nidos tanta industria componunt, non apibus, cùm admirabiliter respublicas constituunt, non tot animantibus, dum similia prodigijs faciunt. Ignis sublime iter siue intellectu carpit, flumina mare repetunt sine pædagogo, tot miranda inferior natura sine magistro facit, cur terris rudiores fingimus Cælos? An solas oportuit stellas quasi pupillas æternas tutoribus commendari? aut quasi infantes gerulis & nutricibus credi? certè & hoc indignum Deo est, qui nulli rerum à se conditarum naturæ suæ dotem negat, & stellis ipsis pudendum, si aliena semper ope indigeant. Quid facit in ipsis forma iners & indigesta, quasi gladius in vagina perpetuò reconditus, si non agit & mouet? cur non etiam dicunt eas per Angelos lucere qui per Angelos moueri disputant? An quia lucere minus est quàm moueri, sed ignobilia etiam animalium motum habent, lucem à natura inditam quasi in fonte, nisi diuinis simillima non obtinent.

Deinde quam audacter imponimus Angelis labores baiulorum, quos nec sacræ literæ, nec vlli conciliorum canones agnouere: nam qui apud Iobum portare orbem dicuntur, non sunt Angeli, sed superbi ac potentes viri qui rerum humanarum clauum obtinent, vt ait Mariana. Magnis illos in hac æterna Dei contemplatione distringimus curis, si etiam quotidie ab ortu in occasum à primo mobili rapiuntur, vt ex Aristotele par est colligi, si hæc eius sententia est. Multa profectò hîc inconcinna, multa violenta. At nostra assertio nihil affectatum habet, nihil detortum, ordinem obseruat vniuersi, legem sequitur Dei. Haud tamen inficias imus Angelos à summo rerum opifice, non tantum Cælis, sed ipsis etiam elementis propositos, qui mirabiles illos mundi concentus indefessâ opera contineant: sic Angelum mari tribuit Ecclesiasticus, capite quadragesimo tertio, iuxta editionem Græcam Complutensem, Δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ἄγγελος αὐτοῦ,

Iob. 9. 13.

Phys. lib. 8. cap. 6.

CA-

CAPVT XIII.

De ordine mundi, vbi tria systemata proponuntur, & Copernici sensus declaratur, nec tamen probatur quod scripturæ, doctis quoque & pijs viris videatur aduersari.

MVNDVS qui Vniuersi nomine melius censetur, est tota rerum natura, constans ex Cælis, sideribus, elementis ac mixtis, suoque circumflexu ambiens omnia. Huius systema siue ordo variè ab excellentibus ingenijs traditum, ita rerum difficultas facilitatem dissidiorum facit. Ptolomæi sententia diu sedit, sedetque apud multos semper immota, hoc ordine: Primum locum obtinet Firmamentum, tot stellis pictum, deinde Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Terra, cum qua aër & Oceanus. Thyconis Systema post fixas, Saturnum similiter ponit, Iouem & Martem: Deinde Venerem & Mercurium: Postremò Solem & Lunam. Copernicus statuit Solem in centro mundi, vbi Ptolomæus & Thyco terram collocant. In superioribus planetis nihil mutat. Venus & Mercurius iuxta illum agmen, claudunt. Certè si motus terræ scripturæ esset consentaneus, probabilis admodum videretur Kepleri eruditissimi viri opinio, qui totius mundi systema imaginem Trinitatis esse memorat. Atque vt in sanctissima Trinitate Pater est veluti centrum omnium, quomodo Synesius appellat. Filius circumferentia, intermedium verò spiritus sanctus. Ita in mundi compositione Sol centri vicem obtinet in medio collocatus & stabilis: Sphæra fixarum stellarum est circumferentia, & vallum immobile, quo omnia clauduntur; intermedium verò obtinent planetæ inter quos & ipsa terra circa solem mobilis. Mundi autem perfectio vt ipse ait, consistit in luce, calore, motu, & harmonia motuum, quæ sunt analoga facultatibus animæ, lux sensitiuæ, calor vitali & naturali, motus animali, harmonia rationali: & in luce quidem mundi consistit ornatus, in calore vita & vegetatio, in motu quædam quasi actio, in harmonijs contemplatio, in qua beatitudinem Aristoteles posuit. Iam cùm ad omnem affectionem tria necessariò concurrant, causa à qua, subiectum in quo, & forma sub qua, Sol per omnes affectiones mundi, vicem sustinet efficientis, fixarum regio formantis, continentis & terminantis, intermedium rationē obtinet subiecti.

Keplerus in Epitome Astronomiæ lib. 4. p. 438. Copernici Systema declarat sublimi comparatione.

Habent hoc omnes commune quòd nullos Cælos supra firmamentum agnoscunt, quod fixis stellis Saturnum, Iouem, Martem, consequenti ordine subijciunt. Thyco discessit à Ptolomæo Solem post Venerem & Mercurium collocans, Lansbergius ab vtroque, terram in sede Solis, Solem in loco terræ constituens. Hæc opinio multis prodigij instar videtur, habet tamen suas rationes quas sibi haud contemnendas fingunt.

Primò nemo æstimet (aiunt) Solem à præstantiori sede in inferiorem ablegari: Sic enim in medio mundi collocatur tamquam rex in Regni medullio, in vrbe clarissima atque frequentissima, ad quam facili negotio omnes prouinciæ appellunt. Constituitur in ipsius vniuersitatis centro, vnde luce, motu, calore, in omnes Cælos commodissimè influat: nam cum sit Dei Vicarius, & patens occultæ maiestatis imago, per quem omnia naturæ dona affluentissimâ liberalitate distribuit, vbinam melius constituatur quàm in eo ipso loco vnde omnia ex æquo respiciat, omnibus beneficus, & salutaribus radijs infusus? Si Saturni sedem obtineret, rigerent hæc infima à vitali loco longissimè remota;

Rationes pro Systemate Copernici.

ta: si propiùs nobis instaret in loco Mercurij aut Lunæ, cuncta volucribus flammis absumeret. Nunc autem quàm apposité constitit in medijs, in ipsius naturæ vitalibus, quasi cor in animantis visceribus. Atque vt cordi natura pulmones, pericardion, humore iugi completum, ad eius calores temperandos attribuit: sic ad moderandas flagrantissimi sideris flammas Deus illi stipatores perpetuos Venerem & Mercurium addidit, quorum hic aëreâ naturâ præditus, illa genitali rore madens iucundissimâ temperie concentum faciunt, & in totius vniuersi vtilitatem dispensant.

Denique cùm sancto Augustino teste Sol nobis veluti perpetuum Augustissimæ Trinitatis simulachrum sit propositus, quem quoties intuemur, calentem, fulgentem, currentem, toties nobis fœcundam vim patris, fulgorem filij & spiritus sancti indeficientem in Ecclesia motum repræsentamus, decebat certè illum in throno naturæ magis aspectabili sedere, vt omnibus obuius, omnibus fieret intimus.

Iam verò terræ nulla fit iniuria, si in ipsa Solis sede media inter cæteros planetas collocetur, sic enim in illam inferiores superioresque stellæ diuitias suas quasi ad commune penu transmittunt. Deinde sic supremo viciniores Cælo, sic propiores euadimus Deo. Nimis remoti videbamur ab hoc beatorum cuius nos futuros esse ciues speramus, domicilio, si nos ad inferiora Deus ablegasset, si propius Saturno admouisset, timenda regni torpentis frigora, & à beneficio Solis exilium. At hîc & hæreditatem nostram de propinquo magis suspicimus, & vitali sidere commodè perfundimur.

Addit Lansbergius quod terra diurno motu suis nos veluti pia mater vlnis gestat, & luculento Solis foco quotidie obuertit, annuo verò per Eclipticam veluti triumphali curru circumuehit, vt per varias anni tempestates admirando rerum operumque Dei spectaculo recreemur, & Authorem vbique grati celebremus.

Nemini autem inuisum atque insolitum videatur si terra super planetas aliquot cõstituatur: nam & Cæli dimidiam partem singulis horis habemus sub pedibus, & terra ab antiquis vna ex planetis credita Luna præstantior, quam velut comitem indiuiduum habet, & prope ancillam. Nam pari motu perpetuo per Eclipticam procedit, nunc præit, nunc sequitur, nunc humidi vitalis salubritatem suggerit, nunc ad dispergendas noctis tenebras ministrat facem.

His ferè rationibus instat Lansbergius, libro de motu terræ, quam opinionem quia doctis & pijs viris non placet, aliquot supra rationibus confutari.

CAPVT XIV.

An plures mundi intrà firmamentum, sicut & plures Cæli? Dissertatio Pythagorica præmittitur, deinde sensus authoris aperitur.

VNICVM esse mundum, nec fides absolutè definiuit, nec Philosophia demonstrauit, nec vlla opinor argumenta vnquam euincent. Ad hunc scopulum allisa mens Aristotelis in cæteris tam pugnax, tam perspicax, siquidem non tantum vnum esse mundum asserit, sed nec plures fieri posse, tota materia in hunc, & ab æterno exhausta. Deinde eam esse naturalem corporum propensionem, vt ad sibi similia sponte inclinent, ex quo fieret vt terra vnius mundi in alium orbem dilaberetur. Ratio vtrinque imbellis & infirma. Prima ignorauit opificem totius materiæ Deum, cuius thesauros habet in potentia sem-

Arist. lib. 1. de Cælo cap. 8. & 9. Arist. te:is sententia infirmis rat onibus nixa.

ſemper immenſa in exhauſtos & quoties voluerit affluentes. Secunda ludit magis quàm pugnat, dum vult vnum vltro à ſua ſede moueri mundum, vt in alium incurrat. Nam ſi creatoris vis infinita plures mundos procreauit, non dubium quin ſuis quemque limitibus ſapientia conſtrinxerit, vt contenti ſuis, in aliena non irrumpant. Dependentium hæc commercia ſunt vt alter alteri accedat: at hîc nullam inferiorum erga ſuperiora ſeruitutem, nullum mutuæ communionis nexum agnoſcimus, pacata vbique ſingulis mundis regna, & ſua, ſic æterna lege ſanciente, ſic diſpenſante prouidentia: non exilit vitellus oui ad alium vitellum ſibi oblatum, ſua enim teſta quiſque concluſus cohibetur, nec dubium quin vallis quiſque ſuis, orbes ſi multi ſunt, ſcite contineantur.

Platonis mens.

Sublimius Plato nec tamen efficacius, contendit vnitatem mundi ab vnitate exemplaris Dei. Sed nec iſtud neceſſe omnia eſſe vna quia Deus vnus eſt, alioqui nec duo oculi faciem colluſtrarent, nec luminaria multa Cælum accenderent, vno Sole contentum. Sanctus Thomas idem probat quia omnia debent eſſe ordinata vno ordine ad vnum: ſed nec ſi mundi multi ſint, ſuus ordo cuique deerit, & omnes in decorem vniuerſi vnius (quod multorũ orbium aggregationem ſtoici agnouere) conſpiraturi ſunt, vt nec ipſa appetentibus vnitas deſit.

Antiquiſſima ſententia intra vnum firmamentum plures orbes quaſi totidem mundos eſſe Plutarchus de placitis Philoſophorum cap. 13.

Ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν.

Antiquiſſima ſententia eſt, quam Heraclides, Pythagoræi, & Orphei ſectatores viri ingentes tradidere, plures mundos eſſe, non quidem extra firmamentum nemini viſos, quod temeritatis eſt aſſerere, ſed ſingulos Planetas, & affines Planetis ſtellas quas hîc tam remoti inſtar clauorum ſuſpicimus, totidem mundos eſſe, mira rerum varietate ab opifice Deo contextos, & rebus naturiſque nobis ignotis (vt Democritus innuit) refertos. Vicit in hac opinione omnes hominum curas Endymionum curioſiſſimus Ioannes Heuelius, qui magna vitæ parte per ſingulas noctes Lunæ affixus, deprehendit in ea plana vallium, eminentia montium, rupium, ſiluarum, Maris & aquarum fluuiorumque ſpecies, quorum phaſes edidit ingenti & è laborioſo volumine.

Non temere oportet opiniones phyſicas in fidei dogmata transferre.

Rident hîc non imperiti rerum, & quod pauci capiunt, plurimi ſemper reprehendunt: occupant incurioſas mentes falſæ de Cælo & mundo opiniones, quas vbi ſchola Peripateticorum, arripuit, tenaciſſimis vinculis alligat, & ſi qui Theologorum in iſtis ſæpe rudes applaudunt, phyſicorum ſcita in fidei dogmata transferunt, & conſcientiam ex ſcientia faciunt, contra ipſius Eccleſiæ placita, quæ nihil in iſtis temere decernere conſueuit Prudentiſſime S. Auguſtinus libro 2. cap. 10. de geneſi ad literam. Nos autem ſeruata ſemper piæ grauitatis moderatione, nihil credere de re obſcura temere debemus, ne fortè quòd poſtea veritas patefecerit, quamuis libris ſanctis nullo modo poſſit eſſe aduerſum, propter amorem noſtri erroris oderimus.

Antipodum mentio in fabula habita fidei contraria.

Quæ de Antipodibus ferebantur olim credita ſimillima fabulis, & certe Lactantius clariſſimam experimentis veritatem non dubitat *ſtultitiam & portentum*, appellare. *Quid illi, inquit, qui eſſe contrarios veſtigijs noſtris Antipodas putant? num aliquid loquuntur? Aut eſt quiſquam rerum ineptus qui credat eſſe homines quorum veſtigia ſint ſuperiora quàm capita, aut ibi quæ apud nos iacent inuerſa pendere? fruges & arbores deorſum verſus creſcere, pluuias, niues, & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? quid dicam de ijs neſcio, qui cum ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant, & vanis vana, imo portenta defendunt.* Ita vir eloquentia & pietate inſignis ſed Mathematicorum expers, veriſſimam ſapientiam

Lact. l. 3. diuinarum inſtitut. cap. 24.

non

parerent cum ex altissimo æthere in inferiora descenderent, necessariò à prima apparitione quo propius ad terram accederent, eo magis crescere viderentur, rursumque ascendentes, eadem proportione decrescere; quemadmodum solent planetæ superiores. Nunc autem manet illis prima facies donec incipiant extingui, & plerumque primo apparitionis tempore maximi sunt. Aduersùs hoc respondere promptissimum est, falsum esse quod assumit & opticæ legibus contrarium, quæ apertissimè docet esse istud omnibus corporibus commune vt è longinquo minora appareant, maiora de propinquo, nec vlla ratio persuadet cur soli Cometæ ab hac regula eximantur, imo experimentis reluctatur, attestante Seneca, *hi minuunt augentque lumen suum, quemadmodum alia sidera quæ clariora cum descendunt, sunt, maioraque ex loco propiore visuntur, minora cum redeunt, & obscuriora quia abducunt se longiùs.* Itaque vt ipse scribit, alij paulatim crescere cæperunt, aliorum cum creuissent sensim magnitudo distracta.

Seneca natural qq. lib. 7. c. 17.

Alterum quod intentat telum, hoc est: si propter ascensum disparerent, nihilominus tamen semper eamdem necessariò retinerent densitatem, nec propter remotionem rariores fierent. At circa *dispersionem*, vt ait non eam retinent densitatem quam initio habuerunt, verum rarissimi existunt instar crinium dispersorum, adeo vt per corpora ipsorum superiora prospici possint. Illusit sibi Mathematicus fumos habens pro sideribus; debuerat animaduertere halitus illos quos fingit, stellas esse ex ascititijs perpusillas, quarum compago dum se laxat, & rarescit, spargi in Cælo crines videntur, & corpora superiora appareant, remotis scilicet inferioribus, quæ viam oculis obstruebant. Existimo igitur Cometas optimè inter perpetuos Cæli ignes reponi, quos naturæ maiestas seruat & mouet ex abdito. Pusilla res mundus est nisi in illo quòd quærat omnis mundus habeat, ait vir diuinus. Sunt qui putant à Deo creari de nouo in ostentum, & cum orbem suum peregerint difflari, atque extingui. Sed nullo hæc fundamento diuinant; & nouas mundo species ingerunt, quem semel omnium prouida mens absoluit, frustra ortus & interitus quærunt in illa sede quam rerum nascentium atque intereuntium vicissitudines nunquam exercent. Hæc Dei potentia est, initio fecisse quod putamus fieri, & apparere tantùm, quod oriri credimus: quoties nos terret ostentis, non solem nouum, non lunam creat nouam, pallorem tantùm illis aut nigredinem inducit: habet & Cometas à mundi constitutione dispositos, quibus generi humano petulantiùs lasciuienti minas intentet, sed timere ista magis quàm discutere conuenit.

CAPVT XI.

An moueatur terra Cælo quiescente. Defensio Communis opinionis.

NIHIL non dubium fecit mortalibus audacia dubitandi: Terram ab exordio mundi quiescentem in motum sollicitarunt plerique veterum. Hanc opinionem iam multis defossam sæculis Copernicus eruit, & in posteris non tantùm approbatores sed etiam defensores inuenit. Nam post Galilæum, Philippi Lansbergij & aliorum pro motu terræ commentariones prodierunt in lucem, quæ non cunctanter asserunt quod difficillime creditur. Certè *digna res contemplatione* (ait Seneca) *vt sciamus in quo rerum statu simus, pigerrimam sortiti an velocissimam sedem? Circa nos Deus omnia, an nos agat?* Primum, inquit, Ptolomaïca Hypothesis de quiete terræ pugnat è diame-

Lib. 1 cap. 3 de reuolutionibus motuum cælestium.

Lansbergij rationes contra

Ptolomæum pro motu terra refutantur.

metro cùm ordine à Deo in rerum natura constituto, quo fit vt stellæ in minoribus sphæris velociùs moueantur, in maioribus tardiùs: Luna enim minimum Cæli orbem secans, cursum perficit spatio mensis, Saturnus in maximo planetarum positus triginta annis suum iter euoluit. Sed cùm sphæra fixarum infinito penè interuallo Saturno altior sit, aut quiescit, aut certè tardissimus illi motus competet, vt manifesta, inquit, absurditate Ptolomæus huic velocissimum, puta diurnum, videatur assignare.

Nihil erat cur Ptolomæum conuicio proscinderet, tanto hiatu nihil dignum allaturus. Nam quod ait planetas, quo altiores sunt eo lentiores esse, non est necesse; siquidem (vt præclare dixit Seneca) longiùs eunt, non tardiùs. Nam si Saturnus & Luna eumdem orbem decurrerent, hæc vno mense, ille annis triginta, manifestissime vnius velocitas, contra alterius segnitiem probaretur. At verò cùm spatia quæ carpit Luna, breuissima sint, Saturni verò ampla & immania, tota vis rationis hebescit. Non rapidius cucurrisse dicam, qui Luteriâ Rothomagum attigerit quinto die, quàm qui Romam decimo. Ex quo neque Lunam sole perniciorem iudicabo, quòd breuius iter paucioribus diebus absoluat. Atque vt illi totam ratiocinandi licentiam permittamus, non quòd vult efficit: Sphæram quidem octauam lentiùs moueri, haud quaquam probat.

Alterum intorquet argumentum, quo demonstrare contendit Cælum & astra non indigere motu diurno, sed solam terram. *Quid enim* (ait) *nonne mater ad focum liberis inuoluendis intenta, prapostere ignem circa illos conuertit, quos tranquilliùs & minori cum molestia igni quiescenti exponere atque obuoluere possit: ita etiam ineptam dico natura operationem, si solem circa terram quiescentem circumducat, quam oportebat voluere ac conuertere ad quiescentem solem, vt viuifica eius vi cum omnibus quæ gremio sustinent, fruatur.*

Lepida quidem & faceta ratio, sed nutriculis potius digna quàm philosophis? Nimis imperitè, atque etiam sordidè beneficientiam nasci ex indigentia putat. Solem terram stantem circumire, vt illuminet, vt fæcundet non patitur, quia sphæræ, inquit, cælestes hoc motu non indigent, sed indiget terra, cui Deus per solem prouideri voluit. Hanc maxima quæque legem habent, vt impertiant se minimis. Ipse qui nobis impensus est Deus, ad nos quotidie venit, nullius indigus, largitor omnium. Non expectat vt ad eum voluamur, præit ipse, & sæpe inuitos adoritur, sequitur reluctantes. Dare semet inferis superâ iubentur, ita misericors pater auaritiam à cælestibus exclusit. Deinde putat nobis minuta similitudine quasi præstrictis illudere? Mater, inquit, infantem obuertit igni, non expectat vt circa ipsum circumuoluatur focus. Nempe insana esset si expectaret, vt muri, & lapides camini, vt ligna circa se choream ducerent. At nos scimus astra circuire terram quia hæc iners & immota, illa volucri corpore & plena spiritu igneo.

Tertio loco proponit *infallibile* quod vocat argumentum, ex Mathematicis principijs colligit ingentem primi Cæli magnitudinem: quod si motu diurno intra viginti quatuor horarum spatium circumuoluatur, necesse est, inquit, tanta velocitate moueri, vt intra diem vnum conficiat milliaria 55628464617, intra scrupulũ. 643848. cùm terra tantum intrà idem tempus numeret 5400. intra momentum decimam sextam partem milliaris. Inde infert m[illegible] tum magis terræ competere quàm C[illegible] vt quæ ad mouendum se propter [illegible] corporis molem sit magis exp[illegible]

Longæ hic verborum am[illegible] quas breuiter

uiter ſoluimus, negando quod aſſumit, primam ſphæram diurno motu tantum ſpatij decurrere, & ſi quidem decurrit, ex præſtātiſſima vi à Deo illi indita fieri. Abſurdè autem probat mouendi impotentiam à magnitudine corporis: ſic enim formicā perniciorem eſſe gigante contendere, ſic globulum plumbeum ſuapte natura immobilem, & celerrimis etiam equis velociorem demonſtrare poſſem, quæ omnia inconcinna ſunt: non enim à paruitate corporis, ſed à vi motrice tota mouendi ratio deſumitur, quæ cum in Cælis maxima ſit, in terra nulla, non eſt mirū hanc illo moto quieſcere. Reſtant quædam argumenta quæ à motu Lunæ cæterorumque planetārum eliciunt Mathematici; ſed cùm omnes fateantur ſiue ſtare Cælum dicamus mota terra, ſiue Cælum moueri terra quieſcente, eaſdem in Cælo prorſus exhiberi apparentias, fruſtra confugiunt ad errantium ſtellarum curſus quæ nihil illorum fauent errori. Nam Ptolomæus & Tycho-Brahe ille in antiquis, hic in recentioribus peritiſſimi, cum pro motu Cæli ſteterint, omnes tamen omnium ſyderum curſus ad iuſtiſſimas leges compoſuere, vt ſuperuacaneum ſit fundatiſſimas opiniones leuibus argutiolis fatigare.

ationes o quiete rra.

Ludicra ſunt ergo quæ aduerſarij ad tātæ opinionis patrocinium obijciunt, contra verò ſtant Philoſophorum & mathematicorum, omnium denique hominum ſenſus qui terram in medio mundi ſtabilē conſtantiſſimè poſuere. Stat diuinarum literarum authoritas quæ Eccleſiaſtæ primo ſolem oriri & occidere, gyrare in meridiem, flecti ad Aquilonem apertiſſimè teſtatur. Quod autem reſpondet Lanſbergius hæc tantùm apparenter fieri, periculoſa reſponſio eſt: ſic enim rebelles lumini fidem maiorem conuellere nituntur, dum myſterijs per figuras illudunt. Quid ſi ſemel hæc *apparentia* diſtinctio in rebus etiam notiſſimis admittatur, nihil erit quod tentare audacia aduerſus fidem non poſſit.

Addo etiam cùm corpori ſimplici vnus tantùm & ſimplex conueniat motus, vt præclarè Ab Ariſtotele libro primo de Celo diſſeritur, certum eſt omnino terram quæ vtique elementum eſt, vno tantùm modo moueri: at cum hic motus ſit ad medium, & ad centrum, vt clariſsimè experientiâ conſtat, ſuperfluum eſt alium comminiſci motum, eumque naturalem quem nemo niſi ſomnians ſentiat. Habent hoc elementorum partes vt ſe ad totius normam componat. Ita modicus ignis, aut aër, ſurſum nititur, ita effuſæ pauimento aquarum guttæ ſe in orbem componunt, Oceani rotunditatem imitate, ita decerptæ de terra particulæ, ſi permittantur ſuæ naturæ, ſtatim deorſum cadunt, & ſe ad ſui elementi motum componunt. Quis vllam vidit vnquam circulariter moueri, & orbem circa nos naturali motu ducere?

Præterea fatentur aduerſarij pondus de excelſa turri demiſſum, intra ſuum perpendiculum cadere, quod quidem nullo pacto fieret, ſi terra in gyrum raperetur. Nam dum lapis deſcenderet, terra interim commota locum illum cui antea lapis imminebat, deſereret: Reſpondet Lanſbergius turrim, terram, aërem & pondus ſimul promota eumdem ad ſe mutuò ſeruare ſitum, ſed quis credat molam aut incudem ex alto deſcendentem, & recta linea vergentem in centrum, ab aëre etiam ſupero, in tranſuerſum ferri per longinqua ſpatia, & rapidiſsimum quem fingunt, terræ motum comitari.

Si ita eſt, quæro, cur orbe terræ ab occidente in orientem (vt volunt) agitato, nobis in occidentem euntibus validiſsimus aër non obſiſtit? cur leuiſsima

cor-

corpora non reuerberat, qui potest etiam immania ferri pondera à cursu suo detorquere?

Denique si terra quod etiam palam asseuerant, à septentrione in meridiem, aut contra mouetur, necesse est vbique & per momenta singula poli altitudines variari. Nam quotidianâ experientiâ planum est ad septentrionem ambulantibus sensim polum eleuari. Nil hîc interest vtrum agamus aut agamur, certè qui nos admoueret Aquiloni terræ globus, suprà nos magis ac magis arcticum polum erigeret, antarcticum, si ad meridiem volueretur : at nihil horum experimur, idem manet nobis situs, idem ad polos aspectus, siue ad cancrum, siue ad capricornum terra adrepat? Quid hîc ergo garriunt? Quid strepunt, nouitatis auidi, expertes veritatis? Sed tamen ignoscendum illis, si cum singulis noctibus vsque ad antipodas eant, & immania mundi spatia dormientes emenciantur, graui laborent vertigine, cui nullæ Machaonum artes possint subuenire.

COROLLARIVM DE MOTV TERRÆ,

Aduersus eos qui ne diuina quidem potentia fieri potuisse contendunt, vt manente hoc rerum ordine terra moueretur.

Motus terræ si ex hypothesi disputetur, probabiles rationes habet.

QVIETEM igitur terræ superiori dissertatione probare placuit, quod hæc sententia Scripturæ, Ecclesiæ, & piorum hominum sensibus sit magis consentanea. Sed longè abeunt à vero qui motum terræ ita absurdum putant, ita contradicentibus propositionibus implicatum, vt ne diuina quidem potentia, manente vniuersi ordine fieri potuisse credant. Non ea mens fuit S. Augustini, cui cum hæc quæstio proposita

De Genesi ad litteram libro 2. c. 10.

fuisset à fratribus, neque fidei, neque naturę aduersam iudicauit: Sed tantùm respondit multum subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, nec sibi iam tempus esse, nec ijs esse debere, quos ad salutem suã, ex sanctæ Ecclesiæ necessaria vtilitate cuperet informari. Si quis igitur tantùm ex hypothesi disputet, & dicat, quòd si Deo ita placitum fuisset ab exordio mundi terram mobilem, Solem verò, & orbem stellarum fixarum immotum constituere, non deesse rationes quibus hoc nihil aduersus Dei potentiam impeditum, nihil aduersus naturam inconcinnum continere possit ostendi, non omnino certè à scopo aberrabit, sunt enim non contemnendæ.

Prima est Copernici quod nobilior sit, & diuinior conditio immobilitatis. Hæc nobis à Deo lex, hic ordo describitur, qui inter tot rerum inferiorum vicissitudines semper immotus stat, & inconcussus, vnde non immeritò dixit Boëtius.

Copernic. lib. 1. de reuolutionibus cap. 5.

stabilisque manens das cuncta moueri.

Itaque cum sol inuisibilis Dei sit visibilis imago, omnium quæ intra naturæ corporeæ limites continentur præstantissima, optimè in centro mundi immobilis inter terram & planetas mobiles constituitur sua luce perfundens, & sua vi penetrans vniuersa. Vnde & tellus & cæteri orbes planetarum illi continuò adrepunt, & in illum quasi per æternam choræam feruntur, tamquam ad viuicum fontem, à quo Deo ita dispensante hauriunt omnia: orbis quoque fixarum quia septum est totius mundi & clarissima domus Dei innumeris collustrata stellis, quæ vt credibilius sapientibus viris videtur, à se lumẽ habent post Deum, non immeritò quoque statum habet & quietem perpetuam.

Secunda est eiusdem authoris, cum Cælum sit quod continet & celat omnia, commu-

motum terræ ex hypothesi disputantibus soluuntur. Eccles. 1. Iosue 10.

quam dixi semel constituta, sic ab eis soluuntur.

Prima vrgetur maximè ex varijs scripturæ locis qui terram in æternum stare, Solem oriri & occidere, gyrare in meridiem flecti in Aquilonem manifestissimè dicunt, vt est apud Ecclesiastem. Adde quod in libro Iosue Sol semel tantùm stetisse, non natura quidem, sed miraculo dicitur. Sed Focarinus eruditissimus Carmelitanus conciliationem Mathematicæ cum Theologia libello singulari edidit, qua diluuntur argumenta quæ ex sacris militare aduersus hanc sententiam videntur.

Primùm enim sic statuendum est, nequaquam fuisse sancti spiritus aut Christi Dñi in sacris paginis institutum, vt nos Astrologiam doceret, sed in istis prudentissimè ex communi hominum sensu, & consueto intelligendi modo locutus est, alia longè diuiniora mente agitans: vt enim Seruator noster licet omnium linguarum peritissimus, Syriaco & quidem barbaro sermone vtebatur, non ad Hebraicam elegantiam composito, vt se vulgi consuetudini commendaret: ita & in physicis authores sacri non quærunt abstrusa rerum, ambagesque opinionum, sed visitatissima inter mortales pene omnes forma contenti sunt: nec tamen deflectunt à vero, si libeat etiam commode & sapienter intelligere. Nam quòd ait Ecclesiastes terram in æternum stare, verissimè dixit de statu consistentiæ, quo tot mixtis nascentibus & intereuntibus, ipsa perpetuò remanet immutata, nec tamen inde statum quietis contendit asserere. Non dissimiliter optime dicitur Sol oriri, cùm terra se in eum conuertente, nobis promitur, & occidere, cum eadem se auertente celatur. Ite in meridiem & Aquilonem cùm in eas plagas radij eius qui terræ currenti adhærent, sparguntur, ita & sub Iosue stante videlicet terra, radius Solis non commouebatur, ex quo stationem astri nouam & inusitatam inferre liquidissimum erat & in vsu communis sermonis receptissimum: sapit igitur scriptura vbique diuinis moribus, sed in physicis se ad notitias hominum tritas accommodat, ne magis Philosophiam quàm sacra oracula pandere videatur. Ita planè S. Hieronymus in Matthæi caput 14. *Consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorum sic narret Historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur.* Sic lunam luminare maius appellat, cùm tamen stellæ omnes longè maiores sint, & terram super aquas fundatam memorat, cùm reipsa vbique subsit Oceano.

Secunda obiectio est ex sensibus qui motum illum terræ nullo modo discernunt.

Respondent, vt inæquale non cognoscitur nisi per æquale, ita nec motum cerni nisi per quietem. Cum terra, igitur & aqua & sphæra quoque aëris, & omnia mixta agitentur circà nos, & nos ipsi eodem motu eoque velocissimo & suauissimo agamur, nihil putamus moueri: sic in naui vectores promoueri se non perspiciunt, nisi ad stantes scopulos, aut pagos, aut vrbes, à quibus diuelluntur, aspiciant.

Tertia cur ædificia igitur omnia tam rapido motu concussa non discerpuntur? cur non cadunt animantes? Sed hoc sibi fingere puerile est, cum iste terræ motus non sit hostilis & violentus, verum suauis, & ex communi naturæ bono ordinatus. Vrbes autem, & castra, & domus, & animalia nullo modo lædi possunt, quia vbique suo centro nempe terræ regulariter hærent, & cum ea placidissimos circuitus ducunt.

Quarta cur arborum folia quæ modicum quemque ventorum susurrum sentiunt, & aguntur, in tanto commoti orbis strepitu manent immota? Facilis ad hanc responsio est, moueri arborum folia leuissime quo-

quoque zephirorum flabello, quia tunc allisio est corporis alieni, nempe vaporis aut halitus ex aduerso impingentis. At hic motus terræ illi à Deo ad commune bonum ingenitus, non impingit, non allidit, non solum mitissimus, sed etiam æquabilissimus est. Non est timendum ne nos tanquam mobili globo ægrè insistentes concutiat & percellat semper titubantes, semper lapsuros. Cur istud miremur cum in nauigijs etiam rapide currentibus videamus, nec qui vehuntur distrahi, nec folia, nec flores in immensa positos agitari, nec facis accensæ flammam obuerti, nec scyphos fundi. Certè motus hic quem terræ adscribunt, instar est temporis intra nos labentis, quo nemo se incursari, nemo allidi sentit.

Tacitisque (vt ait ille) *senescimus annis*, inde quoque fit vt terrâ ab occasu in ortum motâ, qui ab oriente veniunt, nullo modo se reuerberari sentiant, quia cum iste motus sit generalissimus & maximè naturalis, agatque nos & circa nos omnia, priuatis & particularibus cuiusque rei motibus nullo modo resistit; sed vt vectores naui in orientem rapidissime incitata, æquabili facilitate in occidentem discurrunt, & pisces intra eamdem nauim motam si in vase aqua pleno ponantur, circumquaq; non impediti saliunt; ita nos in omnem orbis partem commeamus, nec illa agitatio tam blanda, & naturæ visceribus indita cuiquã officit.

Quinta quid de lapide aut sagitta dicetur quæ sursum intorta in eumdem terræ locum ad perpendiculum recidit, quod nõ faceret, si dum mouetur, terra se interim promouendo surripuisset?

Respondetur aërem & lapidem simul aut sagittam proiectam sursum, moueri interim motu terræ; hæc est enim lex proiectorum, quod experientia satis docet, vt in altũ etiã subuecta nõ desinant moueri motu quẽ terra aut vir inhærens terræ impressit.

Sexta cur terra inclinante motu annuo modò in aquilonem, modò in austros non mutantur poli, cum certè euntibus à meridie in septentrionem contingat polum eleuari, contra verò à septentrione in meridiem tendentibus deprimi.

Responsum est non mutari nobis polos, quia hic motus non est rectus vt ijs qui in diuersas mundi plagas ambulantes commeant, sed circularis, terra super eumdem axem, & super eosdem polos vbique se vertente, ipsoque axe eumdem situm, & axi mundano parallellum constantissimè seruante. Quod si conuoluta per spiras describit aliquos breues circulos, hoc tamen ratione paruitatis terræ ad cælum comparatæ, non est perceptu facile. Vt enim in horologijs condendis euenit vt quisque, vbicumque est, sibi centrum terræ etiam in tanta locorum differentia statuat, nec tamen operatio fallit: ita & si qua eueniat in polis mutatio, ex hac terræ conuolutione, non est tamen sensibilis.

Septima si terra ab occasu in ortum tenderet, continuò nubes & aues nobis in contrariam cæli partem ire cernerentur, quod tamen non apparet. Respondetur rectè inde colligi Planetas, stellas fixas, & cætera eiusmodi ire apparenter ab ortu in occasum, quia extra terram sunt: At verò aërem, & quæ in aëre sunt, quia ad globum terræ pertinent, cum terra ab occidua parte in orientalem rapi motu generali, nec tamen inde particulares cuiusque rei motus inhiberi, quominus ad destinatum sibi cursum placidè deferatur.

Octaua, corpori simplici vnus tantum simplex motus conuenit: cùm igitur terra suo pondere deorsum rapiatur, absurdum est circularem illi motum ascribere. Respondetur grauitatem non inesse toti terræ globo, sed tantùm partibus, vt tendant ad cen-

centrum. Itaque ex natura sua perpetuò in orbem mouetur tota, sed quæ per accidens ab ea diuulsæ sunt partes, rectà in centrum suum redeunt, vt circuitus suos cum tota mole obeant. Si orbis terræ tam grauis esset ac ponderosus, qualem prædicant, longè mirabilius esset in aëre pendentem æterna vi distineri, quàm suaui & placido quem diximus motu circumferri.

Nona: duæ Bombardæ per omnia æquatæ, quarum vna in ortum, altera in occasum displosa, idem prorsus spatium conficiunt, quod non eueniret, si terra moueretur: nam quæ ab occasu in ortum iret, longiùs progrederetur terræ motu adiuta. Quæ verò ab ortu in occasum transgrederetur, terræ ex aduerso venienti occurreret reuerberata, & minus viæ emensa. Respondetur hoc verum esse ratione spatij mundani immobilis & fixi, vnum altero plus spatij decursurum, non autem respectu subiecti mobilis qualis est terra: eà enim motà, omnia quæ in illa sunt pariter mouentur, non citius ibit globus Bombardæ in ortum quàm in occasum motu terræ, quia æqualiter hoc modo mouentur omnia. Habent autem singula suos particulares motus inter alios terminos qui non impediuntur à motu generali. Sic rectores in naui, sic muscæ in rota currente, sic planetæ mouentur à se & à primo mobili.

Hæc illi, quæ speciem habent rationis non contemnendam, nec inscitè probant motum terræ extra diuinam potentiam non esse, actu autem existere nunquam euincent.

Celeberrimum illud est Archimedis ad Hieronem regem dictum. Da mihi vbi stem, & mouebo terram. Stare primum quærebat antequam moueret: illi autem moti mouere volunt, & continuo turbine versati agitant quæ vel maximè quietos fatigare atque impedire possunt. Nihil in rebus magnis atque insolitis temerè credendum est, nisi aut fides imperet aut ratio demonstret.

Contra omnium mortalium sensum, contra omnium placita sæculorum, pauci & antea ignoti homines aciem struxere, ipsi inter se pugnantibus commissi sententijs.

Nicetas stare omnia supera voluit, solam terram moueri. Philolaus & Aristarchus duo immota constituunt, Solem & stellarum fixarum Sphæram, cæteros planetas mobiles faciunt. Alij terram in centro mundi reliquere, alij gigantæis conatibus tulerunt in Cælum. Magnæ hìc ambages, & lymphatæ mentis supra Promethe-um audacia.

Quantò modestiùs audimus. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Prouer. 22. 28. Stant cuique agello sui limites, non stabunt per vagam hominum curiositatem mundi mœnia & valla quæ diuina prouidentia disposuit? obstat istis opinionibus Religio, obstat ratio, obstat sensus. Clamat Propheta, *fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Psal. 103. 5. Ratio suadet non esse consilij diuini, homines & animalia, & quicquid fixum esse volumus, in desultoria sede collocari, nihil per tot sæcula simile quid sensus aduertit, nimis tenue est obijcere motum Cælo non competere quod naturæ sit præstantioris, cùm Angeli excellentissima conditione nati tam sæpe moueantur: nimis pusillum Sphæram fixarum caueæ, terram aui comparere, vt hanc volare, illam quiescere credamus: nimis fictitium tam prodigiosa facere in Cælo corpora, tam immensa constituere spatia, vt pertransiri motu non possint: nimis iniustum, dissimulare tardissimum esse octauæ Sphæræ motum, iuxta ordinē vniuersi, si quod Tycho probat viginti quinque annorum millibus absoluitur. Quæcumque militant in commu-

quàm qui mortales homines aut etiam animalia. Ipse autem Aristoteles magis propendet in vnum & sempiternum motorem, quem ait in suprema Cæli superficie residere, & vim suam per vniuersum diffundere: ex quibus satis indicat opinari se Deum tamquam animum mundo affusum, vt libro octauo physicorum, capite decimo.

Quis in toto hoc discursu motores per motum localem Angelos etiam somnians diuinet? imò absurde inferret, quòd habet libro primo de Cælo, capite secundo, Solem esse primum & perfectissimum corpus, quia obtinet primum & perfectissimum motum, si ab extrinseco moueretur. Certè pugnantia loqui eum crederem, si postquam inesse stellis animam apertissimè dixit, & habere illas inditum sui motus principium, statim externam vim à qua mouerentur, quæreret.

Quod Cæli à sua forma moueantur.

Nec verò multum adiuuat ratio quos authoritas destituit. Incongruum est (aiunt) stellas à principio intrinseco moueri, quia repugnat dari naturalem inclinationem ad motum, nisi respectu alicuius formæ determinatæ, vel termini per eum comparandi, sed motus Cæli non tendit in aliquem terminum definitum in quo quiescat, quemamodum cætera corpora consueuere, ex quo inferunt non esse illi formam inditam à qua moueatur.

Sed hoc argumentum parum habet ponderis: nam ea tantùm respicit quæ à medio feruntur aut ad medium, quibus in determinatos locos vbi quiescant, impetus est. At verò Cælestium corporum alia dignitas, alia quoque ratio est: vt enim constant materia & forma quæ nostra hæc elementa longè superat, ita etiam peculiarem sibi vendicant motum, nempe circularem, qui est omnium perfectissimus. Non est enim ex indigentia corporis appetentis locum in quo consistere & hærere in aliquod tempus possit; sed ex ordine & conseruatione vniuersi, quod longe nobilius est.

Adde quòd hic motus in orbem mobile vbicumque sit in proprio loco constituit, nunquam vagum, numquam indigum, totum in se, totum sui. Et certè mirari subit quod illi ipsi qui motricem formam à stellis excludunt, & se cum Aristotele sentire dicunt, non videtint quàm clare & nitide ostendat libro primo de Cælo, omne corpus naturale secundum locum moueri, motum autem aut esse simplicem, aut mixtum. Simplicem diuidi in rectum & orbicularem. Rectum subdiuidi in ascensum & descensum. Orbicularem esse circa medium, ascensum à medio, descensum ad medium. Mixtum ex recto & orbiculari constare, vt animalium incessum. Ecce omnes tibi corporis naturalis motus ponit ob oculos, in his circularem qui Cælis proprius est, annumerat, neque minus naturalem sideribus censet, quàm lapidi motum ad centrum. Quid restat si Cælum ab intrinseco non mouetur, nisi vt dicamus non esse corpus naturale, sed phantasticum, idque perpetuo esse in violento statu, præter naturam actum in spiras tam multiplices, quod quidem satis absurdum est.

Aristotel. lib. 1. de Cælo cap. 2.

Aliud prætere a obijciunt ab ordinatissimo Solis cæterorumque siderum motu, & quærunt si non mouentur ab angelis, cur postquam ad tropicos deuenêre, per aduersa vestigia reflectunt iter, & non vltra progrediuntur, nemo dicet hîc exhaustas eorum vires, aut obice aliquo in alteram partem reuerberari, ex quo fateri necesse est non à forma intrinseca, sed ab assistente Intelligentia illos flexus & reflexus circumscribi.

Sed ad hæc respondere promptissimum est, statuta esse à mundi constitutione Cæ-

lo, ſicut elementis à Deo leges, & hunc aſtrorum curſum opus eſſe ſublimis prouidentiæ, quem tamen Deus non per ſe, non per angelos, ſed per naturales formas exequitur. Videtur quid Atlantis fabulæ quam irridet Ariſtoteles, non abſimile exteros Cælo motores affigere. Nemo terram ab intelligentia ſuſtineri dicit, ne in aduerſum aërem ruat. Nemo maris æſtus ab Angelis cieri, & intra ſuos terminos componi prædicat: non quærimus cur ſol nobis ab orientali parte fulgeat, & in occiduum vergat. Hic rerum ordo, hæc natura eſt. Non abſimili modo cùm videmus aſtra per ſigniferum viam carpere, ire redire, & reciprocos exercere curſus, fruſtra ſciſcitamur vnde ſit. His illa terminis circumcluſit Deus, has regiones incolendas diſtribuit, vt auibus aërem, mare piſcibus, habent ad ſua quæque loca inditas propenſiones, & in ijs ſentiunt conditoris maieſtatem. Quapropter cùm tam parui ſunt momenti quæ pro motoribus Angelis dicuntur, longè melius eſt cum Ariſtotele, Alberto, Valleſio, alijſque celeberrimis Philoſophis cenſere orbes cæleſtes à propria forma moueri & rapi. Contraria enim ſententia ad errores Arabum propius accedit, qui dictitabant ſolem non lucere, ſed Deum; verùm ſuam cuique rei formam ad naturæ proprias functiones molitor æternus diſtribuit. Nullus in pratis floſculus, nullum terra marique animalculum, quod ſe ſuoſque effectus per formam ſibi inditam non promat, atque explicet. Non dicimus Angelos aſſiſtere hirundinibus, cùm nidos tanta induſtria componunt, non apibus, cùm admirabiliter reſpublicas conſtituunt, non tot animantibus, dum ſimilia prodigijs faciunt. Ignis ſublime iter ſiue intellectu carpit, flumina mare repetunt ſine pædagogo, tot miranda inferior natura ſine magiſtro facit, cur terris rudiores fingimus Cælos? An ſolas oportuit ſtellas quaſi pupillas æternas tutoribus commendari? aut quaſi infantes gerulis & nutricibus credi? certè & hoc indignum Deo eſt, qui nulli rerum à ſe conditarum naturæ ſuæ dotem negat, & ſtellis ipſis pudendum, ſi aliena ſemper ope indigeant. Quid facit in ipſis forma iners & indigeſta, quaſi gladius in vagina perpetuò reconditus, ſi non agit & mouet: cur non etiam dicunt eas per Angelos lucere qui per Angelos moueri diſputant? An quia lucere minus eſt quàm moueri, ſed ignobilia etiam animalium motum habent, lucem à natura inditam quaſi in fonte, niſi diuinis ſimillima non obtinent.

Deinde quam audacter imponimus Angelis labores baiulorum, quos nec ſacræ literæ, nec vlli conciliorum canones agnouere: nam qui apud Iobum portare orbem dicuntur, non ſunt Angeli, ſed ſuperbi ac potentes viri qui rerum humanarum clauum obtinent, vt ait Mariana. Magnis illos in hac æterna Dei contemplatione diſtringimus curis, ſi etiam quotidie ab ortu in occaſum à primo mobili rapiuntur, vt ex Ariſtotele par eſt colligi, ſi hæc eius ſententia eſt. Multa profectò hîc inconcinna, multa violenta. At noſtra aſſertio nihil affectatum habet, nihil detortum, ordinem obſeruat vniuerſi, legem ſequitur Dei. Haud tamen inficias imus Angelos à ſummo rerum opifice, non tantum Cælis, ſed ipſis etiam elementis propoſitos, qui mirabiles illos mundi concentus indefeſſâ opera contineant: ſic Angelum mari tribuit Eccleſiaſticus, capite quadrageſimo tertio, iuxta editionem Græcam Complutenſem, Αἰ αὐτὸν εὐοδοῖ ἄγγελος αὐτοῦ.

Iob. 9. 13. *Phyſ. lib. 8. cap. 6.*

CA-

Caput XIII.

De ordine mundi, vbi tria systemata proponuntur, & Copernici sensus declaratur, nec tamen probatur quod scripturæ, doctis quoque & pijs viris videatur aduersari.

Mundus qui Vniuersi nomine melius censetur, est tota rerum natura, constans ex Cælis, sideribus, elementis ac mixtis, suoque circumflexu ambiens omnia. Huius systema siue ordo variè ab excellentibus ingenijs traditum, ita rerum difficultas facilitatem dissidiorum facit. Ptolomæi sententia diu sedit, sedetque apud multos semper immota, hoc ordine: Primum locum obtinet Firmamentum, tot stellis pictum, deinde Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Terra, cum qua aër & Oceanus, Thyconis Systema post fixas, Saturnum similiter ponit, Iouem & Martem: Deinde Venerem & Mercurium: Postremò Solem & Lunam. Copernicus statuit Solem in centro mundi, vbi Ptolomæus & Thyco terram collocant. In superioribus planetis nihil mutat. Venus & Mercurius iuxta illum agmen, claudunt. Certè si motus terræ scripturæ esset consentaneus, probabilis admodum videretur Kepleri eruditissimi viri opinio, qui totius mundi systema imaginem Trinitatis esse memorat. Atque vt in sanctissima Trinitate Pater est veluti centrum omnium, quomodo Synesius appellat. Filius circumferentia, intermedium verò spiritus sanctus. Ita in mundi compositione Sol centri vicem obtinet in medio collocatus & stabilis: Sphæra fixarum stellarum est circumferentia, & vallum immobile, quo omnia clauduntur; intermedium verò obtinent planetæ inter quos & ipsa terra circa solem mobilis. Mundi autem perfectio vt ipse ait, consistit in luce, calore, motu, & harmonia motuum, quæ sunt analoga facultatibus animæ, lux sensitiuæ, calor vitali & naturali, motus animali, harmonia rationali: & in luce quidem mundi consistit ornatus, in calore vita & vegetatio, in motu quædam quasi actio, in harmonijs contemplatio, in qua beatitudinem Aristoteles posuit. Iam cùm ad omnem affectionem tria necessariò concurrant, causa à qua, subiectum in quo, & forma sub qua, Sol per omnes affectiones mundi, vicem sustinet efficientis, fixarum regio formantis, continentis & terminantis, intermedium ratione obtinet subiecti.

Keplerus in Epitome Astronomia lib. 4. p. 438. Copernici Systema declarat sublimi comparatione.

Habent hoc omnes commune quòd nullos Cælos supra firmamentum agnoscunt, quod fixis stellis Saturnum, Iouem, Martem, consequenti ordine subijciunt. Thyco discessit à Ptolomæo Solem post Venerem & Mercurium collocans, Lansbergius ab vtroque, terram in sede Solis, Solem in loco terræ constituens. Hæc opinio multis prodigij instar videtur, habet tamen suas rationes quas sibi haud contemnendas fingunt.

Rationes pro Systemate Copernici.

Primò nemo æstimet (aiunt) Solem à præstantiori sede in inferiorem ablegari: Sic enim in medio mundi collocatur tamquam rex in Regni medullio, in vrbe clarissima atque frequentissima, ad quam facili negotio omnes prouinciæ appellunt. Constituitur in ipsius vniuersitatis centro, vnde luce, motu, calore, in omnes Cælos commodissimè influat: nam cum sit Dei Vicarius, & parens occultæ maiestatis imago, per quem omnia naturæ dona affluentissimâ liberalitate distribuit, vbinam melius constituatur quam in eo ipso loco vnde omnia ex æquo respiciat, omnibus beneficus, & salutaribus radijs infusus? Si Saturni sedem obtineret, rigerent hæc infima à vitali loco longissimè remota;

ta: si propiùs nobis instaret in loco Mercurij aut Lunæ, cuncta volucribus flammis absumeret. Nunc autem quàm appositè constitit in medijs, in ipsius naturæ vitalibus, quasi cor in animantis visceribus. Atque vt cordi natura pulmones, pericardion, humore iugi completum, ad eius calores temperandos attribuit, sic ad moderandas flagrantissimi sideris flammas Deus illi stipatores perpetuos Venerem & Mercurium addidit, quorum hic aëreâ naturâ præditus, illa genitali rore madens iucundissimâ temperie concentum faciunt, & in totius vniuersi vtilitatem dispensant.

Denique cùm sancto Augustino teste Sol nobis veluti perpetuum Augustissimæ Trinitatis simulachrum sit propositus, quem quoties intuemur, calentem, fulgentem, currentem, toties nobis fæcundam vim patris, fulgorem filij & spiritus sancti indeficientem in Ecclesia motum repræsentamus, decebat certè illum in throno naturæ magis aspectabili sedere, vt omnibus obuius, omnibus fieret intimus.

Iam verò terræ nulla fit iniuria, si in ipsa Solis sede media inter cæteros planetas collocetur, sic enim in illam inferiores superioresque stellæ diuitias suas quasi ad commune penu transmittunt. Deinde sic supremo viciniores Cælo, sic propiores euadimus Deo. Nimis remoti videbamur ab hoc beatorum cuius nos futuros esse ciues speramus, domicilio, si nos ad inferiora Deus ablegasset, si propius Saturno admouisset, timenda regni torpentis frigora, & à beneficio Solis exilium. At hîc & hæreditatem nostram de propinquo magis suspicimus, & vitali sidere commodè perfundimur.

Addit Lansbergius quod terra diurno motu suis nos veluti pia mater vlnis gestat, & luculento Solis foco quotidie obuertit, annuo verò per Eclipticam veluti triumphali curru circumuehit, vt per varias anni tempestates admirando rerum operumque Dei spectaculo recreemur, & Authorem vbique grati celebremus.

Nemini autem inuisum atque insolitum videatur si terra super planetas aliquot cõstituatur: nam & Cæli dimidiam partem singulis horis habemus sub pedibus, & terra ab antiquis vna ex planetis credita Luna præstantior, quam velut comitem indiuiduum habet, & prope ancillam. Nam pari motu perpetuo per Eclipticam procedit, nunc præit, nunc sequitur, nunc humidi vitalis salubritatem suggerit, nunc ad dispergendas noctis tenebras ministrat facem.

His fere rationibus instat Lansbergius, libro de motu terræ, quam opinionem quia doctis & pijs viris non placet, aliquot supra rationibus confutari.

CAPVT XIV.

An plures mundi intrà firmamentum, sicut & plures Cæli? Dissertatio Pythagorica præmittitur, deinde sensus authoris aperitur.

VNICVM esse mundum, nec fides absolutè definiuit, nec Philosophia demonstrauit, nec vlla opinor argumenta vnquam euincent. Ad hunc scopulum allisa mens Aristotelis in cæteris tam pugnax, tam perspicax, siquidem non tantum vnum esse mundum asserit, sed nec plures fieri posse, tota materia in hunc, & ab æterno exhausta. Deinde eam esse naturalem corporum propensionem, vt ad sibi similia sponte inclinent, ex quo fieret vt terra vnius mundi in alium orbem dilaberetur. Ratio vtrinque imbellis & infirma. Prima ignorauit opificem totius materiæ Deum, cuius thesauros habet in potentia sem-

Arist. lib. 1. de Cælo cap. 8. & 9. Arist. telis sententia infirmus rat. omnibus nixa.

sem-

semper immensa in exhaustos & quoties voluerit affluentes. Secunda ludit magis quàm pugnat, dum vult vnum vltro à sua sede moueri mundum, vt in alium incurrat. Nam si creatoris vis infinita plures mundos procreauit, non dubium quin suis quemque limitibus sapientia constrinxerit, vt contenti suis, in aliena non irrumpant. Dependentium hæc commercia sunt vt alter alteri accedat: at hîc nullam inferiorum erga superiora seruitutem, nullum mutuæ communionis nexum agnoscimus, pacata vbique singulis mundis regna, & sua, sic æterna lege sanciente, sic dispensante prouidentia: non exilit vitellus oui ad alium vitellum sibi oblatum, sua enim testa quisque conclusus cohibetur, nec dubium quin vallis quisque suis, orbes si multi sunt, scite contineantur.

Platonis mens.

Sublimius Plato nec tamen efficacius, contendit vnitatem mundi ab vnitate exemplaris Dei. Sed nec istud necesse omnia esse vna quia Deus vnus est, alioqui nec duo oculi faciem collustrarent, nec luminaria multa Cælum accenderent, vno Sole contentum. Sanctus Thomas idem probat quia omnia debent esse ordinata vno ordine ad vnum: sed nec si mundi multi sint, suus ordo cuique deerit, & omnes in decorem vniuersi vnius (quod multorũ orbium aggregationem stoici agnouere) conspiraturi sunt, vt nec ipsa appetentibus vnitas desit.

Antiquissima sententia intra vnum firmamentum plures orbes quasi totidem mundos esse Plutarchus de placitis Philosophorum cap. 13. *Ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν.*

Antiquissima sententia est, quam Heraclides, Pythagoræi, & Orphei sectatores viri ingentes tradidere, plures mundos esse, non quidem extra firmamentum nemini visos, quod temeritatis est asserere, sed singulos Planetas, & affines Planetis stellas quas hîc tam remoti instar clauorum suspicimus, totidem mundos esse, mira rerum varietate ab opifice Deo contextos, & rebus naturisque nobis ignotis (vt Democritus innuit) refertos. Vicit in hac opinione omnes hominum curas Endymionum curiosissimus Ioannes Heuelius, qui magna vitæ parte per singulas noctes Lunæ affixus, deprehendit in ea plana vallium, eminentia montium, rupium, siluarum, Maris & aquarum fluuiorumque species, quorum phases edidit ingenti & è laborioso volumine.

Non temere oportet opiniones physicas in fidei dogmata transferre.

Rident hîc non imperiti rerum, & quod pauci capiunt, plurimi semper reprehendunt: occupant incuriosas mentes falsæ de Cælo & mundo opiniones, quas vbi schola Peripateticorum, arripuit, tenacissimis vinculis alligat, & si qui Theologorum in istis sæpe rudes applaudunt, physicorum scita in fidei dogmata transferunt, & conscientiam ex scientia faciunt, contra ipsius Ecclesiæ placita, quæ nihil in istis temere decernere consueuit Prudentissime S. Augustinus libro 2. cap. 10. de genesi ad literam. Nos autem seruata semper piæ grauitatis moderatione, nihil credere de re obscura temere debemus, ne fortè quòd postea veritas patefecerit, quamuis libris sanctis nullo modo possit esse aduersum, propter amorem nostri erroris oderimus.

Antipodum mentio olim fabula habita fidei contraria.

Lact. l. 3. diuinarum instit. cap. 24.

Quæ de Antipodibus ferebantur olim credita simillima fabulis, & certe Lactantius clarissimam experimentis veritatem non dubitat *stultitiam & portentum*, appellare. *Quid illi, inquit, qui esse contrarios vestigijs nostris Antipodas putant? num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus qui credat esse homines quorum vestigia sint superiora quàm capita, aut ibi quæ apud nos iacent inuersa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere, pluuias, niues, & grandinem sursum versus cadere in terram? quid dicam de ijs nescio, qui cum semel aberrauerint, constanter in stultitia perseuerant, & vanis vana, imo portenta defendunt.* Ita vir eloquentia & pietate insignis sed Mathematicorum expers, verissimam sapientiam

non tantùm derisit, sed stomacho quoque amarulentus excepit. Dolemus in eadem naui esse (vt alibi dixi) sanctum Augustinum qui sic in Astrologos inuehitur. *Quod verò & Antipodas esse fabulantur, id est homines à contraria parte terra, vbi sol oritur, quando occidit, nobis aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est.* Quod si causam inquiras, *nullo modo, (inquit) scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem eo quod eius prædicta complentur, nimisque absurdum est vt dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem oceani immensitate traiecta nauigare, ac peruenire potuisse vt etiam illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum.* Deinde ex Mosis Geographia argumentatur, inferens. *Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per septuaginta duas gentes & totidem linguas colliguntur fuisse diuisi, quæramus si possumus inuenire illam in terris peregrinantem ciuitatem Dei quæ vsque ad diluuium arcamque perducta est.*

August. lib. 16. cap. 9 de Ciuitate Dei.

Ex his apparet quam periculosum sit Mathematicam ex scriptura probare, aut refellere. Nam hæc quidem (vt ait sanctus Paulus, *diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* In iustitia dixit, non in Geometria, aut Astrologia, quas primis temporibus sancti longe alijs rebus intenti, ignorare magis quàm profiteri voluere. Aiunt tamen Virgilium Salisburgensem in Germania Episcopum, non alia de caussa ab Episcopatu propè deiectum quàm quod Antipodes esse in concione docuisset: sic enim Bonifacio Archiepiscopo Moguntino videbatur nouum orbem condere, eique redimendo alium Christum fingere: sed certe Zacharias papa quod plerique *Astrologorum* obijciunt, nihil in istis tamquam ex Cathedra definiuit, nouitatem quæstionis auertisse contentus, nequid inde de timenti Ecclesiæ nasceretur. Baronius rem aliter exponit quam Auentinus author suspectæ fidei, dum ait Virgilium per calumniam accusatum, quòd diceret nouum reperiri mundum, qui alio Sole, atque alia Luna illustraretur: idque falso cum illi esset impositum, Episcopatu minimè excidisse, sed si istud de Antipodibus intellexit, nec tamen damnatus auditur: non debemus (vt putant) Pythagoræorum de pluralitate mundorum temere damnare sententiam, tanquam à fide & sacris litteris alienam, neque veluti Philosophiæ aduersam extrudere: si quis enim (vt aiunt) penitus inspicere & maturiùs examinare voluerit, inueniet eam certè multum habere probabilitatis.

Auentinus Batau. 9. 711. Hic Bonifacius conuenit Zachariam Papam de ijs qui ignem excitarent per specula ardentia quæ crystalla vocat, quasi de re illicita. Zacharias respondet nullam de hac re esse traditionem. Zacharias Papa opinionem de Antipodibus non damnauit, quod quidam hæretici obijciunt. Baron. t. 9. anno Domini 748. p. 244.

Primo euincit illa quæ à Philippo Lansbergio ex elementis Euclidis probata est siderum magnitudo, vbi ait stellam Saturni, quadragies sexies continere terram, stellam Iouis vigesies quinquies; stellas fixas primæ magnitudinis sexagies septies, aliæ eandem æquant, aliæ minores quidem sunt, sed omnes supra sensus nostros grandes & vastæ. Quorsum igitur tot corpora tam immensa, tam speciosa? an vacua æstimamus tot regna qui vacuum à nostro scilicet orbe tam constanter explodimus? an hæc tantum nobis condita vt terram illuminent opinamur? Ecquis pater-familias facem tota Domo maiorem in domesticorum vsum accendit? Nimis arrogantes sumus si putamus tanti esse hoc quod incolimus punctũ, vt tot illi stellarum millia, quarum magna pars toto orbe maior est, seruire debeant.

Quo temperamento probabilis esse videatur.

Rationes eorum qui Pythagoræorum sententiæ fauent.

At dices tam magnas esse stellas quia longè à nobis remotæ, non apparerent si exiliores essent. Non poterat igitur eas nobis propiùs admouere conditor omnium Deus, si nostra tantum caussa fecisset.

Quid

Quid quod verendum nobis est, ne in summum numen iniurij simus, dum beneficentiam eius ad tam paucos restringimus. Terram tam sæpe audimus vniuersi comparatam instar puncti esse, quid igitur putamus fore tot homunciones ex luto conflatos? *Ecce gentes quasi stilla situlæ & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: Ecce insulæ quasi puluis exiguus*; & nos exundantem istam in immensum potentiam, ad tam pusillum opus, ad hunc pugillum animarum coarctatam censebimus?

Isaia 40. 15.

Adde quod repugnat ætheris prodigiosa capacitas, si dicamus Deum huic vnum affixisse mundum quasi in vastissima sylua nidulum, aut certè in latissimis agrorum iugeribus vnam frumenti spicam; non tam pauper est qui abundat omnibus, non tam restrictus, cuius bonitas donis extra se perennibus effluit.

Sed illic (dices) sunt tot stellæ, tot sidera: quid sunt ista nisi moles vacuæ, & impedimenta, si nullæ illic vitę spirant, nullæ mentes sapiunt, nulla Deum ora prædicant? At verò habitatoribus gaudent Angelis; sed quid tam vastæ Angelis domus, qui vtique spiritus sunt, nonne sibi Empyreum vendicant cælum, à quo eos perpetuò exulare vt in planetis habitēt, nemo nostrorū credit.

Iam vide quantum tribuatur creatori, si mundi pene innumerabiles concipiantur, iijque naturis excellentibus referti: fac non esse aliquos de genere nostro, sed fortè erunt præstantiori quadam specie intelligentibus animis, corporibus Æthereis, iisque non morituris. Quid cogitas necessitatem redemptoris, si nulla seruitus? quid medicum, si nulli plane morbi? Quid caducitatem, si qui illic bonis Angelis haud absimiles viuunt? Certè dum hæc mens reputat, rapitur in immensum, & cælatam pulcherrimis lineamentis, omnipotentis Dei concipit effigiem. Gaudet tot illi opera refundi, tot lustrare præsentiâ mundos, tot regere, tot vni thura, tot tributa vndique affluere. Intramus ipsi in magnam & gloriosam societatem rerum, multos habemus obsequij adiutores, officiorumque participes, incipimus numerosiorem Domini censere familiam, & tot fratrum accessione lætari: pusillarum gentium hoc est, & valde agrestium solas se credere ciues vniuersi: eunt in abdita, & propè infinita, qui Deum, qui mundum sagaciùs norunt.

At timendum ne hoc fidei aduersetur, ita est si extra naturæ cancellos egrediamur, & velimus illuc nostri plane generis homines, nouum Christum, noua etiam mysteria inferre. Sed quid opus est ista comminisci? An non istud imbecillæ mentis omnia ad se referre, omnes suo modulo metiri, & hoc ita æstimare, vt ne Deo quidem liceat facere naturas intelligentes quæ nec isti quam speramus beatitudini destinentur, nec nostris sacramentis egeant, cùm alia prorsus fuerint conditione genitæ.

Obijcitur quod est actuum cap. 17. *fecitque ex vno omne genus hominum*. Sed in promptu responsio est; nos haud quaquam asserere illic esse homines nostra omnino specie, nostro statu progenitos, qui filij Adami non sint: fortè meliorem naturæ censum habent, forte etiam in aliquot mundis deteriorem. Hoc prouidentiæ opus est mirifico textu varietatis vniuersi molem distinguere, nec semper idem in tam multiplici potestate, voluntate tā libera facere. Quid igitur respondebis Moysi asserenti, *requieuisse Deum die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*? Quid toti scripturæ mundum singulari semper nomine appellanti? Quieuisse ab hoc instaurando quem incolimus mundo Deum Moyses memorat, ante hunc alios fecisse non negat. Nimis deinde morosi sumus, si Cosmographiā omnem & Astrologiam in scriptura quærimus. Tota magis vi-

Gen. 2. 2.

viuendo est quam sciendo: fidem & vitam instituit, curiositatem non alit. Leges huic mundo scribebat Moses non alteri, hunc nosse, hunc solum instituere dominus volebat. At quæ intra & extra lunam fiunt, nec eius curæ, nec fortasse scientiæ commissa erat: nam nec Prophetarum est omnia scire, sed quæ ad eorum munus attinent. An si tantum Solem, & Lunam, Hyadas, Orionem, Arcturum scriptura nominat, aliæ stellæ non erunt? An etsi terras tam sæpe pluraliter enunciat, è fide iam contendemus esse, multiplices dari terræ globos, quod Philosophiæ magis quàm Ecclesiæ negotium est. An si quod aliquando accidit, mundum regionem aliquam aut prouinciam vocat, aut cùm dicit totum mun-
Ioan. 12. dum abijsse post Christum, cùm tamen aliquot tantum è Iudæis ipsum sequerentur, continuò asseremus nullas extra Iudæam prouincias, nullos homines fuisse. De notis scriptura loquitur, vsitato more, ad captum & vsum hominum, in Cosmographorum aut Astrologorum placita non iurat. Addo quod etsi multiplices mundos in Planetis & stellis ponamus, vnum tamen vniuersũ cuius septo cohibeantur omnes, profitemur: omnes communem habent Ætherem, communem Solem, circa quem in centro huius vniuersitatis positum mira conuersione voluuntur; in cæteris quisque pro suo situ, sua natura, sua conditione, maximam varietatem habet, quam suspicari possumus, dicere non possumus, siquidem opinari in istis hominum est, Dei scire.

Hæc ex sua sententiâ acuti viri ita disputant, quæ vt orthodoxæ fidei planè aduersa damnare non audeo, nec vt se habeant satis comprehendo, vnum certissimum est illic ingentes globos, nec vacuos esse.


Sed nimis temerarium est asseuerare illic homines planè nostri similes esse, cum plerosque in tot nouis orbibus inuentos, tam dissimiles simus experti, vt sagacioribus dubitandum reliquerint, an in nostra specie numerandi forent. Non aliter sacræ literæ in illa Mosis Cosmographia, non aliter Patres vniuersi loquuntur quàm de orbe vno; Nulla multiplicium illis suspicio est. Quid imus in immensa, & vnius ignari in mundos fundimur infinitos. Periculosa omnis scientia est quam Deus voluit ignorari.

Mirum est quàm leui fundamento tanta totque mundorum machinatio construatur. Antonius Diogenes in incredibilium libris dicit Diniam ignotum quemdam & filium terræ hominem accessisse ad Lunam, eamque vidisse tanquam purissimam tellurem. Sinamus istos incredibilium libros vti sorte sua, & nunquam credi qui tam absurdi, tam ridiculi sunt. Vnde insanus iste potuit ad Lunam accedere quæ à nostro scilicet orbe plusquam sexaginta millium Leucarum spatio diuisa est? An passibus, an equis, aut curribus, aut alatis draconibus nostræ mortalitati incognitis atque inconcessis? An tubis opticis quorum istis temporibus qui nunc est vsus non fuit. Opiniosi ista homines commenti sunt, & quisque de Luna pro suo sensu philosophatus. Pythagoras vt habet Theodoretus ser. 4. de Prouidentia, saxeum corpus in illa finxit, Heraclides terram nebula circumseptam, Anaxagoras & Democritus ignitam soliditatem: Audacius Xenophanes habitari dixit in Luna eamque esse terram multarum vrbium & montium. Qui nunc ista commentare nouant, quid habent præter tubos vitream scientiam? Et nos fragili vitro fidem humani generis tot sapientum placitis fultam, tot sæculis roboratam committemus? Quorsum igitur, inquiunt, tantæ in stellis moles si mundi non sunt? Sufficiat illis lucida esse corpora siue sua, siue aliena luce niteant, & quidem

mag-

magna ad ingentis vniuersi decorem constituta, nec vacua, cum administratorios spiritus habeant à quibus mouentur, reguntur, ordinantur qui scilicet mundo intenti nunquam exulant à Deo. At pauper erit Deus (vt aiunt) nisi multos habeat mundos. Scilicet egestatem in eo timeamus qui antè mundum erat ipse sibi mundus, & diuitiarum thesauros in sinu portat infinitos. At nimis gloriosi sumus si putamus nos in hac vniuersitate rerum solos esse, & omnia pro nostra caussa in nostrum vsum esse facta. Sed nemo iam vereatur omnia homini impendere cui Deus
1. Corint. 3. v. 22. impensus est. *Omnia enim vestra sunt*, ait Apostolus, *siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et quis iam miretur si Sol & astra omnia huic mundo militent, cui Christus ministrauit? Vbi alia pectora melius Deum sapient, vbi alia ora sanctius Deum loquentur, quam quæ Christi gratia perfudit, Christi sanguis irrigauit? Quid facerent homines in Saturno, intra Cæli semper rigentis inclementiam? Quid facerent in Luna tot illustres quos illic Michael Florentius posuit? Quæ voluptas illic perpetuo turbine circumuolui, & longa pati lucis exilia? Nimis prodigi malorum sumus, si tot miseros facimus, quos Deus nullos esse voluit.

Finis libri primi.




R.P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS
DE DOMO DEI

LIBER SECVNDVS.
De septem Planetis, & stellis fixis

CAPVT PRIMVM.
De Sole.

Ac primùm de eius præstantia, & pulchritudine.

Hunc per flammeum paradisi gladium significatum putat Philo Iudæus; sicut per duo Cherubim duo Hemisphæria.



QVæstiones de Cælo præcipuas emensis occurrunt Astra, & imprimis Sol allicit, quem nemo potest dicere, nemo permittitur tacere. Prima est & optima quæ in mortales oculos influit pulchritudo, cor totius vniuersi, & fons vitæ, à quo omnis vigor æthereus in naturæ sinus emanat. Hic benefici numinis Vicarius, luce, motu, & calore omnia cælestis aulæ munera distribuit, vbique largus & semper æquus. Hic est oculus creatoris, quo nos, quo omnia intuetur, quo se spectandum exhibet, vix peruius humanæ menti, & Solus sui conscius, nisi tam illustrem, tam formosum naturæ sponsum, sua veluti glo-

gloria indutum prodidisset. In hoc se pinxit, in hoc sculpsit, quicquid mens miratur in Deo, sensus stupet in Sole, nec immeritò grandi (vt solet) ore dixit sanctus Dionysius, Θείας ἀγαθότητος ἐμφανὴς εἰκὼν, ὁ μέγας, καὶ ὁλολαμπὴς, καὶ ἀείφωτος ἥλιος. Non aliter aperiunt se ora prophetarum, non aliter Apostolorum, Deum locuturi statim lucem concipiunt. *Deus lux est*, (ait qui in ipso Dei recubuit sinu) *& tenebræ in eo non sunt vllæ.*

Ioan. 1.

Quatuor Dei præcipua attributa in Sole sunt expressa Raynerus Pisanus in Pantheologia.

Quatuor sunt, vt Theologi disputant) quæ maximè perfectissimam Dei naturam exhibent. Primum est notitiæ inuestigabilis quædam altitudo, quam nulla mens cogitando assequi satis possit, *Deus quod sit, sufficit scire, vt scribit Chrysologus, qui requirit vnde sit, & quantus sit Deus, quid sit, nescit.* Alterum est in omnes diffusa partes & nullis circumscripta terminis immensitas, *vbique enim est, quia nullibi est, supra omnia, infra omnia, intra & extra.* Tertium est inexhaustæ vis potentiæ, cui nihil deesse, nihil etiam obluctari potest, *Vniuersorum Deus*, attestante sancto Irenæo, *simul vt cogitauit, perficit id quod cogitauit, & simul ac voluit, & cogitat hoc quod voluit, tunc cogitans cum vult, & tunc volens cum cogitat, cùm sit totus cogitatus, totus sensus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum*, Denique inest illi æternitas, qua *nec de nouitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur.*

S. Petrus Chrysologus serm. 61.

Porphyrius.

Iren. lib. 1. cap. 6.

Licet istorum expressa quædam vestigia in Sole agnoscere! Nam si occultæ & omnibus propalatæ maiestatis celsitudo quæritur, nihil fere obscurius luce à qua rerum omnium claritas, ita nos inaspectabilis fulgor obruit, si quod immensum est rapit, incredibilis est Solis magnitudo & virtus, summa, ima, dextra, sinistra, potentissimo afflatu peruadit. Nihil obseratum illi, nihil clausum, intrat in abstrusas terræ venas, & ipsos accendit inferos: si de potestate quæstio est, tot partus sæculorum, tam fœcundis debentur ignibus, quos nec multitudo rerum minuit, nec fatigat labor, nec edacitas temporum absumit: si perrennitas placet, vnum tot ætates à mundi exordio vultum videre, vnam vim inconcussam, & inter tot opera mortalium, nunquam mortalem, elementa sensere.

Tertull. lib. 1. in Marcionem.

Adde iam quòd Sol vnus est, sicut Deus vnus est, *Vnicum sit necesse est* (ait Tertullianus) *quod fuerit summum, vt in vnum summitas magnitudinis eliquetur.* Adde quod Deus simplex, & vt Irenæi verbo vtar, *similis membris*: Sol vero impartibilis, & totus sui, in orbem quæ præstantissima omnium figura est, circumscriptus. Atque vt in Deo nihil est nisi Deus, ita in Sole nihil nisi lux, & æterna pulchritudo.

Parce, ô rerum sator, ijs qui te dum quærerent, in eam imaginem tui impegere, suspicari potuerunt quid maius, formosius his oculis videre nihil potuerunt. Nos autem nec contemptores artis, sed magis miratores artificis, te in Sole summum agnoscimus, sed supra Solem, & quicquid est rerum cælestium positum, solum & verum numen intimis sensibus veneramur. In hoc igitur Sole prima omnium species est, quia si (quod Platonici censent) ipsa nihil aliud est quàm diuinæ mentis radius, vbique sparsus, & per omnia splendens, tantò certè pulchrior habendus est, quantò celata summi opificis in eo effigies expressiùs nitet. Quæ in istis inferioribus corporibus exurget membrorum concinnitas, pulchritudini materiam sternit, pulchritudinem ipsa non facit. Nam illius flos & anima in radio est, quem fax Solis omnium colorum mater accendit. Quæ in multarum partium congerie forma est, res infimas spectat: supera quæque vt simplicitati Dei propriora, non incongestu ma-

materiæ, sed in luce formositatem suam sibi vendicant: Sol speciosissimus omnium, qui sine textu membrorum pulcher est, quia æternùm pulcher est, & ab eodem pulchra sunt omnia. Nulli in tam formoso corpore sunt næui, & si quæ ope telescopiorum deprehensæ sunt circà illum maculæ, longè ab illo sunt, & nihil aliud perhibentur esse præter opaca velut quarumdam stellarum corpora, quæ circà ipsum haud stato & æquabili motu circumuoluuntur.

Quicquid ridet in iride, quicquid in pauone floret, quicquid in adamante radiat, quicquid mulcet in fæminis, inde est. Amantur corpora tam citò in fœdum abitura, quæ morbi diripiunt, quæ senectus exedit, quæ mors horrenda strage populatur, toties fucata, toties interpolata. Non hoc forma, sed fascinatæ veneris rabies imperat. O quàm sæpe libidinis initia continebit, qui finem istorum cogitabit! Quin imus per Solis oculum & aspectum; in primam & æternam pulchritudinem quam non amant nisi purgati, non possident nisi beati.

DE SVBSTANTIA SOLIS.

An Sol sit flamma contra Xenophanem.

APPENDIX.

Vicit omnem opinionum audaciam quæ de *Sole flamma*, ex figmentis veterum aliquot Philosophorum maximè verò Xenophanis, sparsa est in vulgus fabula. Multiplex hic error, & per varios consequentiarum nodos inuolutus.

Primò Solem fingit non iam vnum numero, vt tot sæculis creditum, sed Soles infinitos, qui quotidie nascantur & pereant, nunquam nobis idem putat Sidus affulgere, sed instar fluuiorum aquis semper nouis affluentibus variari: ita vt eumdem amnem nemo bis transeat, nemo eumdem Solem bis videat. Secundò Solem constare ex vaporibus terræ marisve accensis, velut tractus tormentarij pulueris immisso igne fusim accenduntur.

Tertiò ex ijsdem vaporibus ali, & continuò sustentari, qui si affluere desinant, Solem nullum fore.

Quartò planè corruptibilem esse, & corrumpi in dies vt ex maculis constat, quæ in eo, modò plures, modò pauciores, inæquali magnitudine, figurisque varijs apparent.

Quintò falli omnium oculos qui Solem rotundum existimant, esse enim figuræ oblongæ vel potius vagæ, atque incertæ, prout vapor funditur.

Sextò Tria tantùm Soli competere, illuminare, calefacere, inflammare, nec plura; generationes siquidem animalium, plátarum, metallorum, & cæterorum omnium quæ in aëre, in terris, in mari fiunt, à sole per se sumpto non esse.

Septimò si flamma ingens & pura apud nos esset, quæ rectè applicaretur, vicem subiret Solis, atque in eosdem partus fœtusque prorumperet.

Hæc tam absurda, hæc tam inconcinna, vt fannas potius quàm censuras expectare debeant. Sunt enim sumpta ex deliramentis Xenophanis & somniantium aliquot Philosophorum, qui ab excrementis terræ stellas ali censuerunt, & maculas Lunæ, quas intuemur, sordes esse ex humo raptas. *Plutarchus de placitis Philosoph. libro 2. cap 20.*

Tota hæc errorum compages tribus argumentis subsistit.

Primùm est quod Ecclesia quam non oportet falli, canat. *Quarta die qui flammeam Solis rotam constituens.* Vnde constat Solem

lem nihil aliud præter ignem esse. Secundum desumptum est ab vnius Mathematicis tubis opticis, per quos vidit (vt ipse ait) totam Solaris hemisphærij apparentis superficiem heterogeneam ex vmbris atq; luculis conflatam, tamquam mare fluctibus asperum: Ac velut si quis ex editissimo loco in terram despiciens multos, ac diuersimodos hinc inde intueatur lacus.

Tertium, quod paret flamma & habet omnes & solos effectus flammæ, est flamma. Atqui Sol paret flamma, & habet omnes ac solos effectus flammæ illuminare, calefacere, & inflammare: igitur est flamma.

Sed hæc refutare cuiuis procliue est. Primò enim satis friuolum existimare omnia quæ in sacris paginis dicuntur, ad rigorem literæ esse intelligenda, cum infinitis constent metaphoris. Si solem igneum dixere, Deum quoque ignem consumentem, & Angelos, *ignem vrentem*, manifeste appellauere, quæ omnia non secundum substantiam, sed per similitudinem dicta. Nunquid Sol spiritus? Nunquid Aquilo loricatus? Nunquid nebulæ puluis pedum Dei vt sacræ arguunt literæ? Simulachra hæc rerum sunt non ipsæ res, nihil habet hic mundus similius luci Solis quàm ignem: quid mirum si per ignem, exprimit quod per se satis explicari non potest.

Deut. 4. 24. Psalm 103. 4. Eccl. 1. 6. Ecclesi. 43. 22 Nahum. 1. 3.

Secundum totum est in coniectura opinosi hominis, qui somnians vidisse putat quæ non vidit. Totum habet opinionis fundamentum in tubis, quæ cùm sint eius principia, eoque manifestissima esse debeant, cur librum secundum totum impendit in asserenda inuenti à se instrumenti veritate, quæ quò probatur operosiùs, eò magis dubia est. Tam multi vbique per tubos opticos Solem sunt contemplati, consentiunt omnes in ijs quæ periti rerum Soli tribuunt? An ipse solus audiendus, cùm piscinas & lacus in sole somniat? Quis credat homini à se dissentienti qui vno in loco maculas Soli inesse contendit, nec stellas esse, in alio, ita concludit, *Reliquum est vt sint partes Cæli densiores, aut corpora per se existentia solida & opaca. Hoc ipso erunt stellæ non minus ac Luna Venus, quæ ex auersa à Sole parte, nigræ apparent.* Magna deinde fides structilem nobis & solubilem Solem propter istas maculas fabricanti. p. 147. p. 120.

Ad tertium argumentum possum iuxtà eius principia probare, candelam esse Solem: si dicam. Quod habet omnes & solos effectus Solis, est Sol. Sed candela habet omnes & solos effectus Solis, qui sunt illuminare, calefacere, inflammare: igitur est Sol. Hæc ridicula & sophistis digna: an si homo habeat intelligere, & velle quod habet Deus, quod habet Angelus, ideo Deus erit, aut Angelus? Intelligit homo, vult homo, sed longe inferiori modo quàm Deus & Angelus. Ignis illuminat, calefacit, inflammat. Sed per Solem, & longè demissiùs quàm Sol ipse qui est Dei vicarius, & omnium operum artifex in natura tamquam caussa generalis, quæ omnes caussas particulares mirum in modum exsuperat.

Itaque exsibilanda omnibus modis fabulosissima opinio, quæ se falsum Solem de Cælo deiecisse, verum reposuisse gigantæa quadam audacia prædicat.

Quî fieri potest vt ex ascititijs vaporibus Sol constet, & sit solubilis, cùm sit ipsissima lux de qua celeberrimum omnium Philosophorum axioma pronunciat. *De luce nihil perit.* Vide an radium Solis possis gladio secare, igni comburere, aquis mergere, aut vllo modo diuidere, etsi istud in riuo, quanto magis in fonte? Cùm lux incipit, tota est, cùm desinit nulla, quia simplex, & *impartibilis?* Victrix est omnium semper in-

ui-

uicta, non iactatur à ventis, non dissipatur à procellis; cùm cessat esse, non interit, tota semper in corpore luminoso est etiam cùm illuminare desinit, vt membro exciso non perditur anima, sic nec face extincta lux interimitur.

Si Sol ex vaporibus conflatus est, quid prius extitisse dices vapores an Solem? Si Solem, priuas eum corpore suo, substantia sua: Si vapores, quomodo ante Solem esse potuere qui à Sole sunt, & per Solem fiunt?

Duo sunt omnino rerum omnium in natura principia, vnum luminosum, quod est Sol, alterum opacum, quod est materia. At cùm principia nec ex sese, nec ex alijs fiant, incongruum & falsum, Solem ex vaporibus fieri.

Terminos Dei prouidentia constituit in rebus qui non abeant in infinitum. Ac velut terram posuit grauitatis, stuporis & opacitatis elementum: ita Solem aptauit leuitatis, celeritatis, & lucis initium. Non est extrà terram alia tellus, à qua sustentetur & alatur. Ita creatura nulla est post Solem, à qua & fiat & nutriatur. Actiuorum omnium in natura efficacissimum est Principium, nullius indigum, omnium prodigum: supra quod nihil est præter Deum, beatosque spiritus. Insulsa res putare fumos quos calcamus, supra caput nostrum in lucem ardere statam & perpetuam: & tantam, tamque imperturbabilem, quam in Sole vidimus speciem, ex rebus fluxis nasci.

Si Soles multi sunt, iniuria scripturæ est, quæ toties vnum prædicat. Si Sol partilis, iniuria Sanctorum Patrum est qui Dei vnius trini constantem & indiuisam imaginem faciunt. *Diuide si potes Solem*, (ait S. Augustinus) *& tam demum diuides trinitatem.* Si Sol corruptibilis, iniuria est Prophetæ qui æternitatem regni Messiæ statuens non aliud exemplum quærit quàm in Sole. Chimeræ affine est existimare flammam, si magna & applicita daretur, facturam vices Solis, somnia sunt Chymicorum, qui post aurum, & homines ex carbonibus nasci facient.

Serm. 1. de verbis Apostoli.

Psalm. 88.

18. Fortenuscensis fuit Sol.

Psalm. 71. 5. Permanebit cum Sole.

Non est igitur Sol ignis qualis hic noster, sed flamma æthærea, purissima, incorruptibilis, inextinguibilis, vel potius lux immensa, rerum sublunarium principale principium.

CAPVT II.

De Solis Magnitudine.

SVSPICIMVS pusilli grandia, vnde & nos magnitudo Solis stupore perfundit. Hîc sensus obruuntur, hîc mens laborat sub tantæ maiestatis mole, & vix satis credit sibi: libuit certè maximi sideris antiquis mensuram scrutari, audax opus, sed homine dignum, cui soli datum est discutere, quem cæteræ tantum animantes sentiunt. Inde immortales experimur animos, & perennis illius lucis candidatos, de qua solicitè in terris quærimus, labore non tantùm improbo, sed inutili, nisi ad nos pertineret.

Antiqui vt Solis magnitudinem scrutati.

At priori æuo rudior hæc cognitio fuit, nondum aduersus assuetudinem sensus eluctata ratione, demonstrare oportuit Solem pedalem non esse, antequam quantus esset ostenderetur. Primùm hæc Ægyptijs incubuit cura, qui Solis limbo horizontem stringente fluere clepsydram iubebant, donec totus emersisset: hoc deinde quod collegerât spatium ad totius diei curriculum comparabant, proportione inuenta quæ est vnius ad 750. ex quo conijcere in procliui erat, si pedis magnitudinem tantùm Sol æquaret, futurum vt toto illo itinere quo circa terram quotidie vertitur,

titur, septingentos tantum & quinquaginta pedes absolueret, quod ridiculum esset asserere, Cæli vastitatem suprà terram etiam nobis tam latè diffusam cogitantibus. Alij sub exortum quoque solis equum incitatissimo cursu mittebant è carceribus, donec totum se suprà finitorem extulisset: decursum deinde ab equo in campi planitie saltem vnius milliaris ambitum percensebant, quò tantò maiorem esse solem intulere, quantò eius motus suprà omnium quadrigarum effusos impetus esset rapidior. Alij quibus verticalis Sol imminet, cum viderent per longos terræ tractus, nullas sibi vmbras spargi, totum hunc quem lustrabant & tot milliarium circuitum impendentis Solis corpore tegi, haud quaquam dubitabant. Vnde irridere popularis sensus errorem in promptu erat, qui tantæ Magnitudini tam paruos limites assignaret.

Cleomedes Solis magnitudinem ab vmbris ex principijs opticis sagaciter rimatus.

Hæc rudiori adhuc Minerua, donec Cleomedes Solem terra Maiorem ex vmbris euicit: omne enim, vt ait, corpus lucidum lumen ab se per lineas rectas quoquò versum emittit: hoc diaphana quidem corpora admittunt, sed non reflectunt, opaca verò sistunt, ac detinent, vnde non tantum illuminantur, sed in parte lumini auersa vmbram efficiunt quæ nihil aliud est quàm ipsius luminis negatio. Tres autem sunt vmbrarum differentiæ, quippe si lucidum corpus aliud sibi æquale irradiat, tum vmbra columnæ in modum per immensum proijcitur. Si quod illuminat, illuminato minus est, protenditur in calathum, amplo tractu & infinito: cùm autem fax accensa in minorem se sphæram incidit, tum quicquid est vmbræ, in conum gracilescit, ex quo fit, vt cum terræ vmbra quæ nostra nox est, Sole ex altero Hemisphærio proijciente radios, acuminata sit, & in nihilum desinens, necessarium esse, Solem ipsum illuminantem toto qui ab illo illuminatur terræ globo longe Maiorem esse.

Post Cleomedem inferioribus sæculis Astrologi subtilius Solis magnitudinem indagarunt Tychonis opinio.

Non contenta fuit ars nostri sæculi hæc crassiori studio indagare; sed in ipsa Cæli adyta penetrauit, vt siderum magnitudines ad iustos numeros percenseret. Huic operi cum diu probatissimus Tycho insudasset, collegit tandem Solem adeo magnum esse, vt terram centies & quadragies contineat, neque ista (vt aiunt) vanis elusi commentis effutiunt Astrologi: nam ex notis deducunt nos ad ignota, mensuras prius ineunt eorum quæ magis sensibus obuia sunt, comparationes angulorum & laterum in triangulis faciunt, sphæram sphæræ componunt, eliciunt proportiones ex doctrina & principijs geometricis, & demonstrant quod volunt.

Blancanus p. 205.

In hac igitur propositione asserenda conficiunt figuram in qua Solem, Lunam, terram quoque ipsam exhibent, ostendunt quam rationem habeat dimetiens solis ad terræ dimetientem, quæ fere est vt 5. $\frac{1}{5}$ ad 1. hoc est diameter Solis continet terræ diametrum quinquies, cum quinta eiusdem parte, qua proportione habita mutuam sphærarum inter se habitudinem cognoscunt. Primò enim mechanicè duos globos ex eadem materia conficiunt, habentes Solis & terræ diametros, deinde vel pondere, vel mensura expendunt, videntque maiorem ad minorē esse vt 140. ad 1. Idem geometricè assequuntur, & declarant quo pacto sphæræ habeant triplicatam suorum diametrorum proportionem. Cùm igitur diameter Solis ad diametrum terræ sit vt 5. $\frac{1}{5}$ ad 1. siue vt 26. ad 5. si accipiantur quatuor numeri, in continua eorum ratione; quales sunt hi 703. 135. $\frac{1}{5}$ 26. 5. erit ratio primi 703. ad vltimum 5. eadem, quæ Solis

ad

ad terram. Continet autem ille numerus hunc centies & quadragies, vt patet diuidendo 703. per 5. quotiens enim est 140. $\frac{3}{5}$ Sol igitur terram tanto quo diximus spatio excedit. Hæc omnia subtilissimè Blancanus noster prosequitur de mundi fabrica, parte tertia, capite tertio. Sed tamen Lansbergius lib. de motu terræ, ait. Sol *est non 166. vicibus vt voluit Ptolomæus, sed 433. & amplius terra maior, vt in vranometria nostra euidenter ostendam.* Ingens in hac re discrimen opinionum, ex quo licet asserere, opinari omnes, nullum scire. Quisque sibi ex diuersis principijs male plerumque stabilitis, & fluxis fundamentis, quicquid vult auguratur. Nemo tamen vnquam demonstrabit: hoc tantum verissime scimus Solis magnitudinem supra terram esse immensam, & humanis mentibus imperuiam.

Quid hic mirer? quid stupeam? an immensas conditoris manus, è quibus tantum & tam magnificum sidus, non vi, non machinis, sed vno tantum verbo prodijt in lucem, vt omnia suis radijs illustraret? An homines incusem ad hæc stupidos, ad hæc ingratos? O dementiam arbitrantium se sub hoc Cælo, sub his astris, ad superbiam genitos! Ecce tibi hæc terra quam incolimus, decem & vltra leucarū millia suo ambitu colligit, hanc centies & quadragesies Sol capit, percellimur vndique rerum magnitudine, quæ nostram paruitatem arguant. Nos tamen in Cælum, in Cæli Dominum tam vasta mente, tam nullo sensu quotidie iactamur. Non tantum reges sceptris tument, quæ ludicra puerorum æstimes, si cum cælesti regno comparentur, sed quiuis etiam contemptissimi agelli dominus attollitur in fastus, & ruit in furias, omnium Dei beneficiorum oblitus, iniuriarum æternum memor.

O curuæ in terra animæ & cælestium inanes! Quid putemus nos esse visuros, si nunc liceret ad Solem propiùs accedere, si vacaret aciem oculorum in tantam, tam immensam lucem è vicino defigere. Speculum è cristallo si in centum aut mille stadiorum spatium extenderetur, omnes hîc attoniti spectaremus: Quid censemus fore cùm ad hunc purissimi luminis fontem deuenerimus, in quo contemplari licebit semper vibrantes, & nunquam defectos primæ pulchritudinis radios. Iam non miror si se Soli natum dictitabat Anaxagoras, si huic semel propius viso immori Eudoxus cupiebat. Quid enim in tota rerum natura maius est aut suauius? O si quæ essent, quod sibi finxerunt antiqui, in Sole Heroüm Animæ quæ Æthereos (vt aiunt) annos illic viuerent, quàm viles, quàm despectos etiam qui maiore gloriantur fastu, omnes æstimarent semper in carne, & sanguine, semper in cœno volutatos. O quando vacabit ire in eam regionem, in qua hæc prædicare, hæc intueri, non iam sub nube, sed in mera & innocenter flagranti luce perpetuò liceat!

CAPVT III.

De Solis altitudine.

Præstantissimi Astronomi docent Solem hodie viciniorem esse terræ quam tempore Ptolomæi, & quidem milliaribus Germanicis nouies millenis nongentis. Stofler.

PRODIGII similia sunt quæ de Solis Astrorumque altitudine dicuntur: nec dubium quin multa ambigua pro veris: hoc certum, Solem esse omnium Planetarū centrum excepta Luna, ita vt circa ipsum per ingentes Epicyclos, & spirales ductus, Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius que moueantur. Hunc ordinem esse Planetarum, partim Eclipses, partim vmbræ, partim ipsi planetarum motus, sed certissimè omnium parallaxes euincunt. Lunam infimo ordini omnes deputarunt. Nam ex omnibus sola in vmbram terræ incurrit;

[C]operni- [c]um se- [c]utus po- [n]it millia- [r]ia Ger- [m]anica [d]ecies se- [p]ties mille, [t]rigenta, [e]t sexa- [g]inta, [s]tationes [p]ro altitu- [d]ine Solis.

elementari naturæ obnoxia. Nefas erat Solem ipsius luminis fontem ab hac infici. ideo longe excelsior est, quod & vtriusque sideris vmbræ declarant. Nam si diuersis licet temporibus obseruentur ambo eadem altitudine supra horizontem Astronomicum, inuenietur Sol longè minorem vmbram gnomonis si præsertim conspicuę cuiusdam magnitudinis sit, in plano spargere quàm Luna. Ex quo apparet hanc propiorem terris, illum verò eruditiori fastigio consistere.

Addunt qui primi mobilis raptum prædicant, Planetam qui eius motui magis aduersetur, tantò etiam longiùs ab eo abscedere. Ille autem magis obsistit qui proprio motu ab occidente in orientem velociùs fertur. Quamobrem cum Luna intra mensis spacium Zodiacum decurrat, quem Sol annuo tantum cursu peragrat, necesse est illam à supremo Cælo magis remotam, hunc autem illi viciniorem, atque adeo altiorem multis partibus esse.

Sed hæc ratio mihi non placet, quia neque primi mobilis supra fixas existentiam neque motum raptus amplector, neq; probari satis puto Planetam illum velociùs moueri, qui suum orbem paucioribus diebus decurrat, nisi de æquali orbium inter se tracta quæstio sit. Itaque iudico certiùs inferri stellam illam superiorem esse alia quæ laxiori ambitu exspatietur, vnde cùm in manifesto sit ex Solis annuo cursu, & menstruis Lunæ reuolutionibus circulum Solarem Lunari vndeuicies esse ampliorem, apparet quoque illum immensis propè spatijs super hanc existere.

Denique à Ptolomæo cæterisque Astrologis constanti fide traditum, Planetas tantò maiorem paralaxin seu aspectus diuersitatem habere, quantò fuerint terræ propiores, atque tantò minorem quantò remotiores ab ea extiterint, quod intelligi oportet ipsis sub eodem loco, in eademve linea constitutis. Cùm igitur maior sit paralaxis in Luna quam in Mercurio, in Mercurio quam Venere, in Venere quam in Sole, ex eo liquet extare supra illos primam & purissimam lucem cuius radijs collustrantur.

Solis à terra distantia quot semidiametris terra constet.

Si quis autem curiosiùs ex Geometricorum præceptis indagare velit Solis à terra distantiam, inueniet Lunam in mediocri abscessu distare tantum à centro terrę semidiametris ipsius terræ 56. Solem verò 1142. semidiameter auté terræ milliaribus 3436. definitur, ambitus 21600. ita vt vni gradui cælesti in terra respondeant sexaginta milliaria seu leucæ triginta. Itaque aiunt terræ ambitum peragrari posse intra triennium, annos autem 27. vix suffecturos vt quis ad concauum Lunæ accederet, si modo illuc tamquam per alta montium inscendi posset. At verò vt quis in orbem Solis deueniret, plusquam quingentorum octoginta annorum spatium euoluendum illi esset: ad firmamenti apicem obtinendum, vix tredecim sæcula sufficerent, quod neque Phenicis neque omnium qui diutissimè ante diluuium vixerunt Patriarcharum anni præstare vnquam mortalitati nostræ possent.

Quot annis quis ad Lunam, ad solem ad firmamentum perueniret ambulando, si fas esset.

Lansbergius p. 42. & 43 de motu terræ.

Lansbergius libro de motu terræ, omnia immaniter augens, Lunæ à terra maximam distantiam vult esse semidiametrorum terræ 64. Solis 1550. $\frac{52}{60}$ semidiametrorum terræ, semidiametrum Solis 7. $\frac{14}{60}$ semidiametrorum terræ; & semidiametrorum Lunæ $\frac{17}{60}$ partium, vnius terræ semediametri minus sexagesimæ parte quinta: ex quo ait se conclusisse Solem esse maiorem terra vicibus 433 $\frac{1}{4}$ terram luna vicibus 45 $\frac{1}{2}$ Solem Luna 19735.

Dei proui-

Ex his licet mirari diuinæ mentis proui-

de sagacitate in situ Solis.

uidam vim, atque sagacitatem, quæ terram & animantes ab æterni illius ignis ardoribus tanta intercapedine discreuerit, vt molles eius & beneficos afflatus suscipiant; immensos autem calores, atque illius voracis flammæ impetum omnia si feriret de propinquo peremptarum commodissimè declinent. Deinde quantum hoc nostræ tenuitatis argumentum tam stupendis atque immanibus spatijs distare nos ab ea regione vnde lucet, ab ea præstantissima Dei domo, vnde vis & pulchritudo, & quicquid in rebus humanis conspicuum effluit. Vbi hic dominantium fastus? vbi arces? vbi palatia? in tam abiecta mundi fece positis? vbi illa quæ de luto colligitur gloria? quin conamur ire contemplando atque amando in eam patriam, in quam nullis pennis, nullis machinis subuehi datum est mortalibus.

CAPVT IV.

De motu Solis.

Sol omnium motuum mensura.

PRIMVS atque optimus totius naturæ concentus motus est Solis, tam compositis, tam statis legibus à summo motore dispensatus. Hunc non tantum homines obseruant, sed brutæ quoque animantes spectant: norunt arbores, & læta camporum sata; quicquid spirat vt viget, in hunc scopum se dirigit, hoc signum tota rerum vniuersitas exspectat, vt prodeat, vt agat, vt se explicet suisque operibus insudet; hinc præcipua spectandi sideris omnium maximi apud homines cura. Qui terram mobilem faciunt, facile se hîc expediunt; contraria sentientibus multæ occurrunt ambages. Nullus in diurno motu inuestigando labor, quo Solem oriri quotidie, & occidere cernimus, diuiso sacræ moderationis examine dierum noctiumque interuallo: aiunt sic illum horis singulis decurrere milliaria 1027800. At mirabiles illi flexus quos inter meridiem septemtrionemque implicat, torserunt ingenia ambiguitate varia: videbant illum quippe nunquam in eodem finitoris puncto apparere, aut mergi: sed nouas subinde mutare sedes, aspiciebant quibus inclinata sphæra est, ipsum hyeme veluti repere humilem & terræ propiùs admotum, longissimis noctibus fatigantem lucis auidos: mox paulatim assurgere, auctum vigore & lumine, Cæli media conscendere. Deinde nobis æstate in Aquilonem ferri, præaltum ac fortem caloris acerrima vi, inde etiam redire primum sensim (vt videtur) veluti testudineo gradu, hinc celerius repedare suis insistentem vestigijs, iterum æquatorem, iterum Austrum inuisere & reciprocantes æternum exercere cursus. Putauerunt igitur antiqui, non posse Solem duobus cieri motibus, nisi partem externa vi raperetur, partim etiam sua obnixus aduersum iret.

Quot milliaria singulis horis conficiat. Blancanus p. 215.

Eius meandri.

Placuit idcirco primum mobile constituere, cuius agitatione diurna omnes Planetæ ab ortu torquerentur in occasum, dein motu proprio obluctati ab occasu remearent in ortum. Diutissimè sedit hæc opinio, & ignaros veri animos occupauit. At certè nimis durum est in Cælo à quo omnis concentus, violentum quidpiam illudque perpetuum constituere: offendit cautas iam contemplatione mentes hæc æterna rapientium & obluctantium siderum rixa. Longe aptiùs iam concipimus Solem sua natura, sua forma, per liquidum & permeabilem Ætherem volui, non quidem directè, sed obliquè per flexus, spirasque continuas. Inde tota illa in planetis Epicyclorum, Eccentricorum, deferentium, æquantium otiosa machinatio deperit, & ab ergastulis quibus eum ignaræ homi-

Vnde Solis in tus meandri.

minum mentes constrictum tenebant, expeditur Rex Astrorum, & pater luminum: fertur enim tranquilla maiestate per duodecim signa Zodiaci, nunquam ab Ecclip-tica linea excedens, & per singulos dies vno ferme gradu promouetur, cui sexaginta milliaria respondent in terris, singulis autem annis sidereis conficit dies 365. 6. horas cum scrupulis 9.

Blancanus p. 270. Anni mensura. Exercuit hæc quæstio priscorum ingenia & nunc etiam recentiorum detinet, exactissimam dierum ac minutorum quantitatem in anno communi requirentium. Philolaus Pythagoricus ad dies trecentos sexaginta quinque definiuit, diem dimidium addidit Harpalus, nouem horas Oenopides, Meton Sex. Placuit Iulio Cæsari & Sosigeni temporum reformatoribus hic calculus, quem iustum tamen excessisse numerum postera ætas deprehendit, anno iussu Gregorij XIII. ad iustos limites reuocato Pleriq. contendunt frustra in hac accuratissima minutorum & secundarum ratione desudare omnium curiositatem: Solem enim ad istas minutias inæqualiter volui, & nunquam deprehendi, vt in eo omnis ætas habeat quod ignoret. Is autem qui sic definitur annus, vocatur Astronomicus, vertens temporalis, naturalisque & tropicus quidem si ad tropicos, æquinoctialis si ad Æquinoctialem referatur.

Æquinoctia varie obseruata. Sed momentum Solis ingressus in puncta æquinoctialia non semper idem, vnde cũ apparatu & cura denunciatur ab Astrologis. Anno ante Christum 142. æquinoctium vernum statuitur 25. Martij. Anno Christi primo 23. Martij, anno 140. Ptolomæus, posuit 22. Concilium Nicænum 21. anno 831. Thebit obseruat die 17. Martij, Alpharaganius die 16. Arzaël anno 1090. die 15. anno 1516. die 13. nostro æuo die 11. & demptis diebus 10. die 21.

Annus Distinguunt quoq; ipsi annum sidereum à tropico, & illum esse censent circuitum, quo Sol ad eamdem stellam fixam reuerti tur, vnde cum stellæ fixæ motu proprio quamquam tardissimo moueantur versus ortum, fit vt Sol ad eas tardiùs reuertatur, quàm ad stabile Æquinoctij punctum: quamobrem & huic anno dies 365. horas 6. minuta 9. assignant, faciuntq; illo quem vertentem & naturalem diximus longiorẽ. *tropicus & sidereus.*

Solis erga nos indulgentia. Sed neque silentio prætermittenda est benefici sideris erga nos indulgẽtia, quod in parte Zodiaci Boreali, vnde nobis æstas amœnitasque temporis, amplius octo diebus immoratur, quàm in Australi vt diutius nos suo veluti contubernio recreet.

Solis circuli. Inde liquet iuxta veterum placita, Solem habere vnum circulum per quem mouetur in superficie lineæ Eclipticæ, eumque Eccentricum, quia non habet centrum cum centro terræ commune. Punctus in Eccentrico qui maxime accedit ad firmamentũ, appellatur *Aux* seu maxima eleuatio, Punctus ex aduerso respondens, *oppositum Augis*. Solis autem ab occidente in orientem duo sunt motus, quorum vnus est ei proprius in circulo suo Eccentrico, quo mouetur omni die ac nocte minutis 59. 8. secundis. Alius verò tardior est motus Sphæræ ipsius, supra polos Axis circuli signorum, & est æqualis motui sphæræ stellarum fixarum scilicet in 100. annis gradu vno. Ex his duobus motibus colligitur cursus eius in circulo signorum ab occidente in orientem, per quem abscindit circulum signorum in 365. diebus & quarta vnius diei parte, præter rem modicam quæ est nullius sensibilitatis. Hæc Sacrobosco sphæræ cap. 4 alij tamen tribuunt Soli tres circulos, vnum Eccentricum, & duos quos vocant deferentes, Augem, & oppositum Augis.

Quilibet autem planeta, si Solem excipias, (inquit hic author) tres habet circulos Æquantem, Deferentem, & Epicyclum,

clum, Æquans quidem Lunæ, est circulus concentricus cum terra, & est in superficie Eclipticæ, eius vero deferẽs qui idẽ Eccentricus nominatur, Æquantem intersecat in duobus locis ad Aquilonem & Austros, qui caput & caudam Draconis constituũt.

Præterea erronum quisque præter Solem habet Epicyclum, qui est circulus paruus per cuius circumferentiam defertur corpus Astri. Nam planetæ (vt ait Clauius cap. 4. sphæræ omnes, excepto Sole, existentes in Auge Eccentrici, licet in eodem puncto, non eodem se modo habent ad terram: nunc enim sublimiores, nunc depressiores feruntur, inde immersus intra crassitiem Eccentrici concipitur Epicyclus, qui per eumdem Eccentricum seu deferentem circulum mouetur, modò attollens, modò deprimens inditum sibi planetam. Planetarum autem Epicycli dempta Luna in parte superiori mouentur secundum successionem signorum ab occasu in ortum, puta ab ♈ in ♉ & tunc dicuntur directi. In parte vero inferiori voluuntur contra seriem signorum, & tunc dicuntur retrogradi: quasi quis in naui positus contra motum nauis tendat; sic motus planetæ contrarius est tunc motui Epicycli, vt merito retrocedere videtur. Lunæ Epicyclus contrario modo in parte superiori fit contra ordinem signorum, in parte inferiori iuxta. Nec tamen dicitur directa aut retrograda propter velocitatem motus. Porro quæ de istis circulis statuuntur non realiter, sed per hypothesim intelligenda. Nunc enim Solem concipimus moueri per liquidum æthera suo sed spirali motu, qui præstat ea quæ tot circulis perfecta tam operosè finguntur.

Admirabilis Dei prouidentia in duplici Solis motu.

Subit hîc mirari prouidissimam conditoris mentem, qui duos illos Soli motus attribuit, quibus nobis interualla dierum ac noctium, & quatuor anni tempestatum discrimina partiretur. Minus nobis contulerat, si stantem & fixum atque ex æquo nos vbique aspicientem fecisset. Placet ista temporum vicissitudo, ex destinato redeuntium: sic se habent res humanæ, vt prosperorum iucunditati seruiant aduersa; *malaciam* tempestates commendant, & tepentes veris auras qui præcedit in hyemis rigor gratiores facit. Iuuat optimum & fælicissimum sydus ex hyberno tropico, & illa Cæli inclementia ad æstiua redeuntem, quasi Augustissimum principem ab exteris remeantem ad suos lætis vocibus prosequi, & profusi pectoris hilaritate totum amplecti.

CAPVT V.

Quod tota sphæra nihil aliud sit quàm Solis iter.

Tota quæ tanto ambitu docetur, & omnium ingenijs celebratur sphæra nihil est aliud quàm Solis iter à quo cæterorum siderum normæ. Obseruauere primùm antiqui oriri illum quotidie & occidere non ijsdem terminis, sed pro temporum vicissitudine, situque regionum valde diuersis. Inde terram rotundam esse & in duo hemisphæria partitam coniecêre, quorum alterum semper alternis Sol illustraret. Inde finitorem circulum seu horizontem mente descripsere in vtriusq; hemisphærij confinio, qui diuortia faceret, quasi limbum vniuersi, & nos ab antipodibus nostris seiungeret: Olim cælestium rudes sensus æstimatione persuasi, terram esse planum quoddam ad Cælum vndique attinens existimarunt: eos verò qui perhibentur Antipodes, mera esse curiositatis insanæ commenta. Non abhorruit ab hac sententia diuus Augustinus (vt iam dixi) qui libro de ciuitate Dei decimo sexto, capite nono, *Horizon.*

nono apertissimè scribit his verbis. *Quod verò antipodas esse fabulantur id est homines à contraria parte terræ, vbi Sol oritur quando occidit nobis, aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est.*

Ignoscendum tanto viro si alijs districtus curis hæc ignorauit. Sed certe si terra plana, & nulli Antichtones essent, quos Sol discedens à nobis inuiseret, vno & eodem temporis momento vbique terrarum & cætera quoque astra æque omnibus orirentur atque occiderent, vtpote quæ par esset vnico finitore dirimi: nunc autem experimur hæc diuerso se habere modo pro regionum varietate, & alijs citius, alijs tardius, multis sæpe horis apparere, nec vno tempore & æque ab omnibus Eclipses spectari; ex quo liquidissimè apparet terram rotundam esse in duas partes ab illo quem dicimus circulo, æqualiter diuisam. Ex rotunditate autem terræ fit vt varia loca varios quoque habeant horizontes, quorum aliqui transeunt per mundi polos, æque in ijsdem exstantes: hinc oritur sphæra recta, alij polum alterum eleuatum, alterum depressum obtinent, atque hæc est obliqua, alij vnum polorum incumbentem vertici, alterum ad ima Cæli sortiti sunt, qui status parallelam sphæram constituit.

Diuersitas sphæra.

Inde magna lucis & noctis, magna tempestatem in mundo varietas, in omnibus autem horizon inseruit Soli quasi metator optimus, ostendit populis sua fata, statum suum in vniuerso, quid sperent à Sole, quid timeant à tenebris, non tantùm Solis, sed reliquorum quoque siderum ortus & occasus signat, vt maxima faci ministrantium: diei ac noctis reciprocantes mensuras determinat, caussam etiam ostendit atque declarat vnde tanta inæqualitas augustissimi sideris, vt modò festinus prodeat, modò in altero orbe hærere, longasque moras nectere videatur.

Meridianus.

Post horizontem in diurna Solis conuersione obseruatus meridianus, circulus quoque maximus, trajciens vtrumque mundi polum, per verticem & imum Cæli, itemque per puncta duo septentrionis & austri, quæ pro horizonte loci notantur. Et hic Solis minister est, ostentans eum in diurni cursus apice, medium inter ortum atque occasum; vnde & diei media noctisque dispensat, horæ meridianæ præcó non incertus. Est de genere fixorum circulorum, quia nullo velut etiam horizon cietur motu, & quidem numero pluralium, quia pro varietate regionum non secus ac finitor, mutari per certas intercapedines solet.

Hoc maxime nituntur Astrologi, ab eo diei initium exorsi, quia in omni sphæræ habitudine horizontem rectum repræsentat, semidiurna seminocturnaque spatia æquali distantia semper indicans. Ab eo quoque Solis ipsius, deinde stellarum omnium altitudines desumuntur: ab eo poli eleuationes inuestigantur: habita enim Solis altitudine meridiana, eaque à nonaginta gradibus in æquinoctio substracta, reliqui gradus qui restant, ostendunt quibus spatijs polus super horizontem attollatur: qui autem curiosius altitudinem Solis inuestigarunt, deprehendêre illam ex vmbris, quando enim æquinoctij tempore 45. tantum gradus obtinet, vmbra tum par est gnomoni; si superat, minor est: si deficit, maior. Tanti fuit hunc Solis in meridiano quasi in throno suo consistentis statum annotare, vt meridianam lineam arguti in Mathematicis obseruationibus vbique diligenter inquirant, in natura vero lapides, metalla, plantæ etiam indicent.

Æquinoctialis.

Iam pro Solis annuo motu varios quoque circulos Astrologi excogitauerunt. Quippe cum intuerentur illum ab vna parte cæli sensim ad alteram progredi & in me-

media conscendere vbi noctes diebus æquaret, æquinoctialem definiere circulum maximum, in superficie primi mobilis, vt volunt, descriptum, ab vtroque polo æque distantem, qui sphæram in duas partes diuidit, quarum alia ad austrum vergit, alia ad septentrionem. Ostendit autem æquinoctia in principio Arietis & Libræ, vbi Zodiacum intersecat. Deinde est mensura primi motus, quo sol 24. horarum spatio mundum lustrat vniuersum, dum singulis horis æqualibus quindecim eius gradus supra horizontem existunt; inde menses & anni conficiuntur, ascensiones quoque & descensiones signorum Zodiaci in hoc circulo obseruantur, declinationes notantur siderum ab Ecclıptica, & quæ tot inuentis celebrantur Mathematicorum directiones.

At nihil ingeniosius fuit quàm delineare solis inter austrum ac septentrionem viam, sese per anfractus & spiras sinuantem: hanc primum Anaximander Thaletis Milesij discipulus fertur deprehendisse anno fere ante Christum septingentesimo. Inde conflatus Zodiacus, hinc signifer celeberrimus in sphæra circulus, seu potius Zona duodecim ferme gradus lata, quam linea Ecclıptica bifariam secat in longum. In hoc Solis & omnium Planetarum via, quam proprio sibi carpunt motu, & tot lucentium stellarum species, quas in diuersas animalium formas poëtæ effinxere. In hoc longitudines stellarum definiuntur, seu arcus ab initio arietis per seriem signorum computati. In hoc latitudines seu recessus ab Eclipticæ limbo in alterutrum ipsius polorum. In hoc quatuor puncta cardinalia quæ nobis quatuor tempestates vicissim repræsentant. In hoc tota vertitur natura rerum & nascentium pereuntiumque vicissitudo. *Zodiacus.*

De coluris nihil dico qui magis ad sphæræ materialis aptam contignationem inuenti sunt, vt cæteros illic circulos sustineant, quam vt peculiarem quemdam solis motum notent alijs intactum. *Coluri.*

Tropici autem sunt duo circuli minores æquatori paralleli commodè designati, vt essent veluti solis carceres & metæ inter quas perpetuo discursu reciprocaret. Hi nobis maximam principis sideris ab æquatore euagationem notant, quæ est graduum 23.31.12 hyberna æstiuaque solstitia signantes, quibus dierum noctiumque longissima & breuissima quoque spatia vicissim ostenduntur. Animaduerterunt præterea prisci homines ab æquatore & tropicis intra quos acerrimus est solis ardor extare Zonas vtrinque temperatas, quas nec feruor nimius incenderet, & commodè mitigatus ignis mulceret. Inde verò constricta æterno fere gelu loca, & squallentes campos sub Arctico Antarcticoque circulo, qui propè polos à polis quoque ipsis breuiori gyro describuntur, constituere: inde æstimare docemur præsentiam solis cùm ex absentia eius contemplamur illinc fieri graue cælum, atque defixum, & veluti deficientis naturæ pigram molem. *Tropici.* *Zonæ.* *Poli.*

CAPVT VI.

Quod conditio populorum, & sors regionum Solis itinere describuntur.

Popvlorvm fata Solis aspectus facit. Vt quisque illi admotus variam in hoc vniuerso sortem experitur. Principem obtinere putantur locum qui sub Æquatore habitant, vbi nullos incolas esse terræ màrisque rudis censuit antiquitas: existimarunt quippe hæc loca semper rubenti Sole torrida & humani cultus expertes plagas, *Populi qui sub æquatore.*

vbi æterna macie damnata tellus nihil ad victum mortalium aleret. Sed euincit solers huius sæculi experientia, Zonam illam mediam, quam totam ardoribus consumptam etiam Aristoteles & Cicero credidere, non solum non torreri vbique ab æstu, sed multis in locis temperatam esse, propter imbrium copiam & iuges fontium venas, nec tantùm loci fertilitate, sed etiam salubritate placidè à suis indigenis incoli. Et sanè in recta quàm habent sphæra aliquod illustre, quod cæteri populi semper æstiment, nunquam possideant. Primum illis omnia sidera quotidie oriuntur, quotidie occidunt exceptis mundi polis qui perpetuò stringunt horizontem. Inde dierum noctiumq; spatia semper æqua lance dispensata, nō quod spiras illic Sol suo motu non describat, sed quod finitor circulus ad angulos rectos continuò secet Æquatorem, tropicos, & quicquid Solis diurno motu delineatur: duæ illic æstates vigent in vtroque scilicet æquinoctio, cùm illorum vertici maximum sidus incumbit. Duæ Hyemes, nunquam tamen inclementes rigent, cùm versatur in tropicis longiùs ab eorum capite semotus. Quatuor vmbrarum habent discrimina, ad occasum, cùm Sol in ortu est; ad ortum, quando occiduum cardinem premit; ad Aquilonem dum in signis est Australibus; ad Austrum dum Boreæ insidet. In æquinoctio mera sine vmbris lux est.

Æquatori proximi.

Proxime illis succedunt qui inter Æquatorem & alterum tropicorum medij habitant, nam & bis æstatem, bis hyemem vident, vmbrasque quadrifariam sparsas, sed dierum ac noctium incrementa, atque decrementa sentiunt. Nec illis omnia sidera oriuntur, & occidunt: Quædam enim perpetuò supra horizontem circa polum mouentur, quædam infrà latent & nunquam emergunt.

Qui sub altero tropicorum.

Qui sub altero tropicorum sunt definitam habent poli eleuationem graduum 23. $\frac{1}{2}$ Vnam iam æstatem, vnam vicissim hyemem experiuntur, tres tantum producunt vmbras ad ortum, occasum, & meridiem, ad Polum scilicet conspicuum; quia nempe inde vltra eorum verticem Sol non transit, omnes istæ terrarum plagæ Zonæ torridæ assignantur.

Qui inter Tropicum & polum.

Nostra verò temperata est, inter Tropicum Polaremque Circulum, vbi pars siderum semper apparet, pars semper latet, partitæ vnius æstatis vniusque hyemis inter se leges, & noctium dierumque inæquales redeunt alternis vices: in æquinoctio paribus tantùm spatijs distinguuntur, vmbra in meridie ad Polum qui extat vergit, ad alterum nunquam deflectit: Quibus 45. gradibus Polus eleuatur, tantùm à verticibus distat, quantum æquator: vnde fere calor æstatis tantus est quantum hyemis frigus, & horizontale illic horologium inseruit pro verticali.

Qui verticem habent sub Circulo polari.

Alij sunt quibus vertex est sub circulo Polari, Polus gradibus 66. $\frac{1}{2}$ erectus. Tropicorum alter totus est supra horizontem, alter verò totus infra depressus, maximus illis dies horarum 24. Sole videlicet extantem tropicum percurrente, in altero nox est totidem horarum.

Æquinoctia tamen & solstitia statis temporibus sicut & nos sortiuntur, quatuor anni tempestates decurrunt. Sed hoc illis peculiare est, quod Eclipticæ polus qui Circulum polarem describit, semel per eorum verticem transeat; quo temporis momento, Ecliptica cum Horizonte congruit, statimque post bifariàm se mutuò secant.

Qui sunt inter polarem Circ-

Succedunt quibus vertex est inter polarem circulum polumque conspicuum, vbi regio terris informis & Cælo aspera, dies ha-

culum & polum. habet maximos noctesque longissimas plusquam horarum 14. prout vertice polo magis admota, & quod mireris signa quæ circa vernum æquinoctium existunt, præposterè illis oriuntur, quæ ad Autumnale inuerso similiter ordine merguntur.

Qui sub po.o. Inde plaga omnium remotissima etiam auditu tristis; & horrorem potius factura quàm fidem, vbi sphæra parallela, polorum altero vertice incumbente, altero ad ima Cæli depresso. Illic horizontem æquator facit: sex Eclipticæ signa semper exstant supra, sex infra circulum finitorem demissa: nulla illic sidera diurna conuersione oriuntur, nulla occidunt: perpetuò dimidium Cæli conspicuum est, dimidium etiam occultum. Sol supra horizontem continuò moratur, dum signorum exstantia percurrit, continuò etiam latet dum obit occulta, vnus dies, vna nox totum annum conficiunt, sex vtrinque mensibus extenduntur. Luna 14. $\frac{1}{2}$ diebus supra horizontem existit, Venus & Mercurius Solem comitantur, Mars conspicitur mensibus decem, Iupiter sex annis, Saturnus quindecim, tanto temporum interuallo vicissim absconduntur. Vmbræ in gyrum quoquò versus incolis proijciuntur, vnde & periscijs nomen.

Ex vario Solis aspectu varij hominum mores. Ex vario ad Solem situ atque aspectu varij hominum mores existunt, qui propiores illi sunt quasi nimij scrutatores maiestatis opprimuntur à gloria: & quod Planetis contingere aiunt Astrologi, vt radijs Solis oppressi atque combusti, detrimentum sui patiantur: Ita quos primi sideris nimis acer, nimis fulgurans ardor percutit, viciniæ damna sentiunt, aëre minus salubri, corpore vesco, ingenio etiam hebete. Qui ad mundi polos longiùs deflectunt, siluis horridi, paludibus fœdi, aspectu cultuque informes, fæliciores sunt quibus ex hac parte moderatio sortis obtigit. Benè hæc Ptolomæus agnouit, qui diuidit nationes in Aquilonares, Australes, & medias: Aquilonares, inquit, præstant viribus & ferocia, dum circumstans frigus calorem natiuum intra vitalium septa restringit. Australes quibus multus inest calor, & spiritus tenuis, sed fuliginosus, corpore sunt imbecilles, seruituti idonei, & libidini. Medij, ingenio pollent & corpore, domi militiæque rebus gerendis apti, religiosi, honesti, sapientes, liberales, iusti, benigni, magnifici.

CAPVT VII.

De vi & efficacitate Solis in tota Natura.

REI cuiusque dignitatem asserit vis agendi, & illustrium operum efficacitas. Inde immortalem in nobis animum, inde Deum censemus. Quem non perfundat magnificus de Sole sensus, vim eius & mirabiles effectus in hoc naturæ regno reputantem? Diserte Clemens Alexandrinus hunc *plectrum mundi* nominauit, quia vniuersitatem rerum saluberrimis radijs percutit, ad mirabiles totius orbis concentus. Nihil sine Deo & Sole: hunc prima mens velut præcipuum instrumentum & quasi conspicuum coadiutorem assumpsit, per quem in tot labentium sæculorum serie mundum inexhaustis viribus recrearet. *Sol* (inquit Ecclesiasticus) *vas admirabile, opus excelsi; in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris; tripliciter exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum & in sermonibus eius festinauit iter.* Anteà dixerat Propheta. *In Sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus*

Clem. Alex. Strom. lib. ... πλῆκτρον τοῦ κόσμου. *Eccl. 43.* *Psalm. 18. 6.*

sus procedens de thalamo suo exultauit vt gigas ad currendam viam. Primum & maximum nobis inde beneficium est, quod lucis promus & diei pater est, tenebrarum & luminis recursantes euoluit vices, vt sit nobis operis & quietis æterna reparatio, designat horas, quas licet perpetuùm fugientes tot horologiorum subtilibus lineis implicamus. Diuinum opus & dignum olim regibus spectaculum. Rector est siderum, & princeps temporum, mira varietate sua vbique dona dispensans: per hunc ver redit cum suis floribus, æstas cum suis messibus & autumni maturitas grata. & quodam iustitio naturæ hiems necessaria.

Omnibus infusus est, omnibus intimus, per hunc ardent in Cælo tot siderum faces, per hunc stant elementa, venti spirant, plantæ vigent, sentiunt animantes: & quod mireris, eodem temporis momento hîc diem, illic noctem inducit: inde serenat, inde coruscat in fulgura, subit in aquas, riget in grandinem, sexcentarum artium vnus & semper artifex, cæruleo nubes pingit, auro vestit montium culmina ligat argento fluctus, terram innumeris floribus distinguit, cum homine pater est hominis, cum vite racemos creat, cum palma dactylos, cum leonibus leones. Omnes illi arborum, omnes animantium partus debentur. habet in mari, habet in abditis terræ venis margaritarum, metallorum & omnis generis lapillorum officinas.

Hoc fluunt maria, hoc aëris nubila detergentur, huius veluti arbitrio sanciuntur omnia, quæ in Cælo aut in terris fiunt, hunc orientem omnes natura duce animentes spectant, omnium siquidem proprium est Solis luce, afflatuque lætari. Habent suaue quoddam cum eo commercium Heliotropia, & omnes flores qui aurea foliorum in orbem diffusorum fætura, discum eius proxime mentiuntur, vt Tragopogon, Cyclamen, Chamæleon, Chrysanthemum, Lupinus, omnes Cichoræarum species, Tulipæ, Lilium Persicum, Anemones, Scorpiurus, Acacia, Lotus.

In insula Quilola, Philippinarum vna, frutex est, cuius flos adeo constater Solem intuetur, vt ne vnguem quidem ab eo vnquam declinet, & stipula centro eius infixa, in limbo horario, non secus ac in scioterico quodam horas diurnas designet vt ait:

Kirkerus in magnetismo mundi. Solem rarissima quæque hominum ingenia commercio quodam societatis amant. Hunc Orpheus, hunc Homerus hymnis prosequuntur. Hunc Plinius laudans se quasi extra se quodam impetu profundit & exclamat. *Medius Sol fertur amplissima magnitudine ac potestate. Nec temporum modò terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cælique rector, hunc Mundi esse totius animum ac planius mentem. Hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet, opera eius existimantes, hic vices temporum, annumque semper renascentem ex vsu naturæ temperat: hic Cæli tristitiam discutit; atque etiam humani animi nubila serenat, praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens.* *Plinius lib. 2. cap. 6.*

Non possum mihi temperare quin poeticos hîc ignes tamdiu sopitos excitem, & tam purum tam amabilem æterni rerum conditoris ministrum hoc carmine compellem.

O Sol qui medijs graderis pulcherrimus Astris,
Maiestatis apex, & prima mentis Imago!
Tu Lunæ faces, stellasque accendis, & annum
Orbes in varios sua per vestigia torques:
Tempora dispensas, Cælum moderaris & auram.
Terrarum hinc sata læta, maris tractusque profundos,
Naturæ infusus fœcundis ignibus imples.
Tu pingis flores, tu fructus decoquis almos,
Te Messes Arabum, te vena diuitis auri

Gem-

Gemmarum & decus insigne agnouere parentem.
Quot pecudum vitæ spirant, viteque volantum,
Quot pisces alit vnda, tibi tot nomina laudum,
Tot bonitatis opes. De te mens altius haurit,
Sidereosque satus ducit vicina Tonanti.
Huic obstetrices dum mittis ab Æthere flammas,
Ingenij partum irritas, & pectora fingis
Digna Deo. fugiunt orientem te dolor & nox.
Clara renascentis consurgit gloria mundi,
Et tota in cunis ridet natura, salitque
Ceu tener ad blandos Infans nutricis amores.

Et illud prætereain Sole magnopere mirandum quòd eius illuminationes quæ per foramina tectorum aut fenestrarum angulosa atque distorta illabuntur, semper in oppositis planis, aut rotundæ aut ouales apparent, tamquam suam sibi figuram vindicante vbique maximo sidere, & res sibi, non se rebus subijciente: inde fit quòd non tantum à solaris disci circumferentia sed à quolibet Solis puncto radij quoquò versùs ad rotundas illustrationes emittuntur.

APPENDIX

De Ecclipsi Solis.

QVID lucidius Sole? Et hic deficiet, (ait sapiens) voluit Deus in maximo sidere defectus videri, vt fluxas humanæ gloriæ opes in præstantissima omnium imagine contemplaremur.

Quis cum Solem viderit mane veluti de aurore sinu prodeuntem, flagrantissimo lucis amictu conspicuum, mox autem inspexerit tenebris obductum, stupente mundo, & mœrente natura, non miretur rerum etiam celestium vicissitudinem, & tamen nihil in istis Sol patitur, damna sunt oculorum quibus lunæ interiectus purissimam flammam surripit. Heraclitus olim existimauit, Solem schapham esse, & ad nos caua superficie conuersum lucere, auersam conuexa delitescere. Sed hæc rudioris sensus: nunc enim apertissimè liquet quando in nouilunijs veris, Luna existens Borealis, non distat à capite vel cauda Draconis plusquam gradibus 15. $\frac{1}{2}$ existens verò australis, non abest plusquam 7. necessario Solem obscurari, tantoque maiorem esse, defectum, quanto nodis propior fuerit. Idem de Luna iudicamus, intra distantiam à nodis 12. graduum vtrinque.

Hæc natura Ecclipsium quæ ignaras mentes tam sæpe terrore confudit, & trepidos in procinctu exercitus ante conflictum prostrauit. Plerique censent friuolum esse timeri quæ tam ratis naturæ caussis obueniunt: nec tamen impune fieri credidit, Apex Astrologorum Ptolomæus, qui vniuersalium rerum quæ terris imminent præsagia, tam operose ex deliquijs est aucupatus libro secundo de iudicijs Astrorum. Quis dubitat iridem naturaliter fieri, & tamen huic serenitatis rediturae præsagia Deus annexuit: sic & Ecclipses haud dubie turbato ex defectu luminarium mundo, morbis, funeribus, casibusque sinistris comitari solet, quod tam sæpe compertum experimentis.

Caussæ (inquit) Ptolomæus affectionum sunt Ecclipses & transitus stellarum in angulis aut loco Ecclipsis aspicientium. Afficiunt Prouinciam quæ illis subest: Tot annis durant deliquij solaris effectus quot horis sublunare per menses computatur. Euentus est pro natura signi, & Planetarum dominantium, citiùs operantur quæ in Horizonte orientali fiunt, tardius quæ in occidentali: quæ in cœli apice, medio agũt modo. Hæc Proclus author antiquus pluribus est persecutus, Iudicum placitis instans, quibus falli & fallere consuetum.

Libro 2. de iudicijs Astrorum.

CAPVT VII.

Corrollarium de maculis Solis.

FINIERAM nisi à deformitatis calumnia vindicanda mihi videretur prima omnium pulchritudo. Inest optimis quibusque ingenijs ingens Solis admiratio, sensusque magnificus: At qui dioptris nuper cælestes domos irrupere, quasi in familiare contubernium principis sideris admissi, detriuere figmentis maiestatem: huic maculas multiplices & fœdas aspersere. Huic interitum stupenda sane audacia denunciarunt.

Macula Solis nulla veteribus nota.

Maculas lunæ & antiquorum philosophorum scriptis celebratas, & experimentis nostris obuias conspicimus. De Sole nemo hoc veterum dixit, nemo cogitauit, nihil in eo per tot sæcula intuentibus patet nisi purissima lux & ab omni labe detæcatissima. Illi tamen contendunt videre se in prima & maxima omnium face tenebras ingentes, maculas, quæ Asiam, quæ Africam, quæ totum terræ globum magnitudine superent, easque non vnam aut alteram, sed plures, imo copiosas, quadratas, triangulares, pyramidales omni figura diuersissimas, colore nigras, quæ modò inter se coalescant, modò dissocientur, & abeant in diuersa, tandemque in nebulas & fumum degenerent: ex quo inferunt Solem aliquando interiturum, & tot vitarum parenti acerba fata pronunciant.

Recentiorum commenta & hiantis de Sole sensus.

Quis hoc Titanum fecit? quis non indignetur præpotentis Dei maximum & immortale simulachrum in hoc cœno volutari? sed post Deum ipsum toties opinionibus, toties contumelijs attentatum, nemo quoque despectum in imagine ab insita hominum audacia miretur. Equidem non is sum qui putem omnia quæ per opticos tubos videntur, mera esse figmenta, nollem tot eruditorum sensibus, tot experimentis ausu stolido contraire. Sed tantum moneo, multa esse quæ in rebus visu discernendis magnas pariant difficultates, qualis est agitatio oculi & spirituum, disiunctio axium opticorum, varius radiorum visualium situs, velox motus obiecti, breuitas temporis quo videtur, ignorantia corporum interiectorum, defectus aut etiam excessus luminis, Dioptræ incerta compositio, & quæ hîc multum potest, immanis rei visæ distantia.

Multa sunt quæ spectantibus longinqua possunt imponere.

Quanta nobis vndique ex speculis planis & concauis ludibria? quoties illic formosos vultus degenerasse in capita asinina & feros bestiarum rictus vidimus? quis credat oculis per noua & adhuc nutanti fide instrumenta in tam longinqua intentis nihil fraudis surrepere? Hoc anno quo scribo per recentes tubos visi sunt Saturnus & Mars monstrosissima specie, quales antea nemo conspexerat. Cælum portentis implere pergimus, si tot fallacibus inuentis stat fides: certe fidelissimus ille Cæli & siderum interpres Tychrobrahe ducenta aureorum millia in conficiendis instrumentis, alendisque operis (vt aiunt) insumpsit, nihil tamen de istiusmodi Solis maculis commentus est, nihil Lansbergius Tychonis æmulus, qui se totum lynceum in istis putat; an pauculis tantum hominibus nota sunt hæc mysteria, cæteris ignorantia aut caligine oppressis?

Schinerum equidem nostrum fateor in Mathematicis esse non tantum sagacissimæ curiositatis, sed profundæ etiam eruditionis. At in tam abstrusis rebus errare potuit conditione generis humani: totus ille opinionis suggestus est in tubis opticis, quorum fides dum tam operosè astruitur, ambiguam suspicari facit artem, cuius principia longo volumine argumento-

rum

rum egeant, vt probentur. Sed demus maculas esse, negamus tamen esse in Sole, aut ex Sole esse, negamus ex ijs argui tanti sideris quam tantopere vrgent, corruptibilitatem: omnino si Soli essent affixæ,

Maculas non esse in Sole.

tamquam nodi in arbore, tamquam in tabula claui Solem perpetuò comitarentur, & in ipso hærerent suis locis immotæ. Cum eo circumagerentur, & eius circumactu redirent semper sui similes, vt patet in Luna: at cum aliæ alijs succedant numero, figurâ, quantitate longe diuersæ, certum est easdem intra Solis substantiam non contineri. Hoc ipsi non negant, nec præcipuos istius Phænomeni Authores tam læua mens egit, vt crederent inesse corpori solari tam variam & vagam tenebrionum quam fingunt, turbam. In vicinia Solis esse dictitant, ab ijs Solem tangi aut infici negant. Nimis igitur præpostere se maculas in Sole deprehendisse iactant, quas potius in Æthere constituere debuerant; neque enim si ad candidissimi hominis latus consistat Æthiops, putandus est huius ille nigredine illini, cùm formæ venustas ex contrariorum opposito magis elucescat.

An sint à Sole.

Esto in Sole non sint, sunt tamen (inquiunt) à Sole tamquam partes ab eo diuulsæ & impetu caloris in longum Ætherem actæ. Hæc est Willebrodi Snellij mirifica sane opinio in libro quem de Cometa an. 1618. disertissimè conscripsit, renouauit Anaxagoræ insomnia, qui, vt habet Plutarchus de placitis Philosophorum, aiebat Ætherem circumuolutionis vehementia abripuisse lapides, abruptos adussisse, adustos in stellas conuertisse. Solem denique ipsũ nihil aliud esse præter μύδρον διάπυρον *globum massamve candentem.* Hanc sententiam elegantissimam vocat, naturæ, veritatique plane consentaneam: tum plenius macularum natales explicans, *Bataui*-*ca* (inquit) *dioptra duo in Sole antehac incomperta ante oculos clare posuit, maculas haud longe à Sole varias ac vagas, & Solis partes alias alijs fulgentiores: Illæ igitur maculæ circa Solem haud aliter quam circa terram nubes versantur, quæ ab ortu in occasum Solis orbem paucorum dierum spatio prælerlabuntur vel ab ipso Sole relinquuntur: has autem ex densissima Solis materia igne validissimo conflagrante eructari par est. Sunt enim exhalationes solares inter ipsum & nos interiectæ, quæ non secus ac nubes è terra & aqua halitibus in sublime, neque id longe à Sole subuolent, sunt inquam exhalationes Solis flagrantis, atque istæ ex recessu & interiore corpore per suos crateras eructantis, quemadmodum in terris Ætna, Hecla, Atlas, Vesuuius mons aliique complures, quo incendio totum terrarum orbem aliquando conflagraturum mihi persuadeo, vt qui nunc huius globi terreni viscera depascit, illis exesis corrumpat, & totum porro depopuletur, ipso solari igne in suum & mundi interitum conspirante. Hæc autem solarium exhalationum volumina si quid materiæ solidioris per ipsos crateras secum ferant aut ad flammas perferendas aptioris tale ἀποσπασμάτιον, Cometa est,* hæc ille.

Snellij opinio.

Dolendum est virum excellentis alioqui ingenij in hæc Anaxagoræ deliria incidisse, & terrenum nobis Solem ex Æthereo tam promptè, tam præposterè fecisse: debuerat addere quod magister eius sensit, lapidem de terra raptam in Solem coaluisse: sed quæ tellus hunc lapidem tulit qui terram centies & quadragies suo ambitu superet?

Refellitur præpostera de Sole opinio.

Pudenda sunt ista magis quàm refutanda, indigna Philosopho, Deo etiam contumeliosa. Scilicet is Solem tot vitarum patrem, tam beneficum, tam amabilem naturæ, sponsum, tamquam publicum totius vniuersi incendiarium fecit, qui perpetuò in suum & mundi interitum conspiraret? si quotidie se depascitur tam valido tam fla-

gran-

granti igne, nulla aliunde materia, nullo alimento ex Cælo terrave affluente, necesse est vt in dies minuatur & decrescat, iamque tot exactis temporum ac sæculorum voluminibus; defectus, turpis, lacer, & vndequaque exesus spectantibus saltem per illam Dioptram Batauicam appareat. sed nemo hoc vidit, nemo dicere attentauit. Ecce nobis plusquam quinquaginta sæcula à mundi exordio defluxere, quæ consumpsisse Solem vehementi & perpetuo illo incendio debuerant, num tantilla particula vnquam imminutus orbi fulgere visus est? quid si maculæ quæ Asiam & Africam, quæ ingentes saltem terræ tractus adæquant, quotidie ex interiori Solis substantia funduntur, & defectum etiam luminaris causantur, qualis Christo patiente extitit, quotidianæ pene erunt Ecclipses, & continuus rerum sub ijs nascentium interitus.

Si verò tam sæpe recurrunt Cometæ immensis partibus terra maiores, quis non credat iam dudum tot partubus Solem exhaustum, Solo iam cortice exstare, & contemplantium oculis illudere?

Adde quòd, ipsæ stellæ nouæ pleræque inter fixas apparuere infinitis prope interuallis à Sole distitæ, quando illic istas genuit, aut quo caloris impetu vibrari extra Martis, Iouis, & Saturni prægrandia & stupenda illa spatia potuere? Si maculæ, vt ipse ait, sunt omnino instar nubium, cur non à vicinis corporibus extractas, non autem ab ipso Sole progenitas memorat, cùm nemo vsquam fuerit qui errantia in aëre tot nebularum simulachra de substantia Solis esse cogitauerit?

Sententia de corruptibili Solis substantia arguitur.

Ex eo apparet quàm præposterè Solis naturam elementarem & corruptioni obnoxiam esse conetndant. Hanc opinionem præ cæteris amplectitur recens author, & grandi locorum farragine astruere vehementer nititur: Patres fere omnes aduocat, hymnos etiam Ecclesiæ quasi auxiliares copias in nos instigat, Epitheta Solis omnia diligentissime conquirit, vbi calidus, aut ignitus, aut igneus dicitur, statim hoc auidè arripit, & quasi amentatum in Solem telum intentat. Parum abest, quin de Petri cathedra & de totius Ecclesiæ consensu pronuntiatum contra Ætheream & immortalem ipsius substantiam dicat.

Sed pace tam eruditi viri dixerim, hæc sunt pusilla & infirma. Nam si millies igneum & ignitum Solem à Patribus appellatum probet, quid habet aliud quàm ignis qualitates & effectus Soli competere? ardet enim & lucet & exurit, quemadmodum ignis, sed hunc, formam ignis substantialem habere nemo Patrum dixit, nemo disputauit, nec si disputasset, istud nobis quasi dogma fidei traditum vellet.

Nobis in tanta rerum ignorantia formæ essentiales non occurrunt, per similitudines mentem explicamus, nihil hîc Soli similius apparet, quàm ignis, quid mirum si ignitum, & igneum omnis hominum cætus conclamauit? nam reipsa calidum Tertullianus, Basilius, Ambrosius & Patres fere omnes constantissimè dixerunt. Qui autem inter ipsos præcipui, magnificè vbique de Sole sentiunt, nec ad elementarem naturam relegari speciosissimum mundi decus patiuntur. Apertissimè sanctus Chrysostomus species igneum varias distinguit, alium asserens esse in Sole, alium in Luna, alium in fulgure, alium in aëre, alium qui fit ex lignis: quibus verbis satis indicat longè esse aliam Solis naturam quàm cæterorum ignium, nec aliter quàm æquiuocè & eminenter ignem nominari. An verò cùm audimus Angelos in sacris literis *ignem vrentem appellari*, & Deum ipsum à Mose *ignem consumentem*, statim exclamandum nobis erit.

rit, Dei & Angelorum essentiam esse plane igneam. Laudat Schinerus vehementer hunc sancti Cyrilli Hierosolymitani locum insignem præ cæteris appellans. *Aqua est Cælum, & igneus in eo Sol*, quod vtrumque, si essentiam rerum spectes, falsum est, neque enim aqua est Cælum, neque Sol ignis elementaris, sed vt primum per similitudinem manifestissimè dictum est, idem quoque de altero censeri oportet. Si de verbis contendimus, quanto signantius scriptum in psalmo? *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Quanto clarius in Deuteronomio, *Dominus Deus tuus ignis consumens est*: nec tamen hæc ad literam interpretamur. Quis nos cogat propter ignei aut ignis Epithetum, Solem in elementorum ordinem detrudere?

Psalm. 103.4.
Deuter. 4. 24.

Deniq; etiam si igneam Solis naturam esse fateremur in genere, non tamen concederemus in specie. Nam vt Angelus & homo in hoc conueniunt quòd sint substantiæ intelligentes, maximè autem in intelligendi ratione differunt: pari profecto ratione, vt antea dixi & licet, Sol & ignis in lucendo & vrendo aliquo modo congruant, habent tamen in formis substantialibus differentiam rectè philosophantibus notissimam.

Hinc apparet quàm leuibus & fluxis rationibus idem Author corruptibilitatem Solis, ex ignei & igniti adiectiuis asserat.

Solis incorruptibilitas asseritur.

Ego iam in Cælo & stellis naturam ab omni incorruptionis labe immunem astruxi, sequutus Aristotelem, & probatissimos quosque summorum hominum sensus. Nunc de Sole hoc tantum addo, tantam esse in eo ingenitæ à summo conditore, claritatis præstantiam, vt indicto etiam, si fieri posset, reliquis stellis funere, debeat solus confusis in massam corruptionis omnibus superesse. Cùm enim sint duo rerum principia, vnum tenebrosum quod est materia prima, alterum luminosum, quod est Sol, & illud fateamur incorruptibile, indignissimum est de huius longe præpollentis interitu cogitare. Nihil est enim aliud Sol quàm ipsa lux à Deo primo nascentis mundi die condita; lux verò ista (vt aiunt) non est qualitas, sed corpus excellentissimum, cui forma substantialis, & ignis quidam purissimus, supra vim & substantiam omnem elementarem, totius naturæ post Deum sator, victor omnium & semper inuictus, quem nullæ materiæ feces inquinant, nulla hostilitas pulsat, nulla dissidia dissoluunt, nulla tandem fata corumpunt. Sic à Deo instituta sunt omnia, vt nihil semel ortum in natura funditus intereat: Quæ infima sunt per generationem & corruptionem propagantur in secula, & mutato habitu in hunc semper redeunt mundum. At supera & maximè in istis Sol quibus nulla soboles est, in similitudinem naturæ expressa, semper manent, & nullas interitus leges patiuntur.

Etsi Sol finitæ virtutis sit, nunquam tamen finitur, quia vt duo semper erunt duo, licet numero finito, infinita vi durationis, sic spiritus ille cælestis nullo contrariorum genere infectus, & semper virgineæ atque illibatæ iunctus materiæ, nulla potest excidia, nulla detrimenta sentire.

Itaque & scriptura cum inferiori Cælo, hoc est aëri interitum denunciet, nunquam nisi reuerenter de Sole loquitur: tabernaculum Dei appellans, & thronum Messiæ, cum eius comparans perennitate, septuplo etiam lucidiorem inter supremos mundi cineres per os Isaïæ vaticinata. Quod si obscurari & nigrescere interdum dicat, non hæc Solis, sed nostra iactura est, cùm illum aut Luna subiens, aut crassæ nubes eripiunt. Mirum quòd aduersarius tam

Et lux Solis erit septemplici ter Isa. 30. 26.
Eccles. 17. 30.

ardens Solis interfector, in tanta rerum inanium supellectile, nihil ex sacris literis pro Solis corruptibilitate habet expressiùs quam istum Ecclesiastici locum. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet.* Et certè non negamus Ecclipsim eumdem pati, quæ latinè defectus appellatur.

Expungamus igitur omnes à Sole turpes maculas, & totam corruptionis labem. At dices quid sunt ergo illæ quæ telescopiorum ope apparent maculæ? Respondeo breuiter aut esse Solis satellites, quales feruntur Saturni & Iouis, minores nempe stellas, quæ ipsum oberrant. Nam Venus & Mercurius sæpe in Sole instar macularum visi. Ita concinnus author & perspicax Ioannes Tarde, in Borbonijs Sideribus scribit. Stellæ sunt erraticæ, quæ proprijs orbibus, solisque concentricis feruntur, non longe à Sole dissitis, sed inter ipsum, & Venerem & Mercurium, ac iuxta ipsius ☉ sphæram constitutis. Aut certè dicemus esse partes Solis, alias alijs depressiori luce obscuriores, quales in Luna conspicimus. At verò ijs qui planetas totidem mundos censent, procliue est dicere, esse halitus ques Sol è Veneris & Mercurij vicinis corporibus, non secus ac nubes apud nos educit.

CAPVT IX.

De Lunæ natura.

POst Solem statim offert se Luna, amicum terræ sidus, & elementari natura lætum. Hanc nectarei poculi, & Lethæi laticis, hoc est superioris inferiorisque naturæ discriminatricem Platonici dixere: hanc terram cælestem ab Antiquis nominatam Plutarchus annotauit. Certè Dinias qui apud Antonium Diogenem in libris incredibilium memoratur, se ad Lunam propius accessisse telescopiorum (opinor) ope dictitabat, eamque vidisse non aliter quàm purissimam tellurem. Idem quoque Xenophanes docuit (vt est apud Ciceronem Academicarum quæstionum quarto) habitari nempe in Luna, eamque esse terram, montibus, siluis & clarissimarum vrbium frequentia nobilem.

Incolunt terrum Lunæ ... vetere. *... nantur à Neotericis.*

Ridemus ista, dum legimus, quæ tamen ex parte reuocari nunc intelligimus ab ijs qui lynceis oculis adiuti in cæli penetrant abdita. Nam apertè prædicant & scribunt Lunam per tubos opticos detegi varijs montibus asperatam, quorum altitudo interdum est quatuor milliarium, terram illi, illam terræ reflexum lumen immittere, vnde & adolescens ea parte qua nondum collustratur à Sole, serenis noctibus albicat. Addunt nos si in globo Lunæ essemus, visuros quadraturas terræ, & plenitudines, & quicquid in Luna miramur. *Audacius etiam Lansbergius libro de motu terræ. Patet*, inquit, *Lunam alteram terram esse, & has in se mutuo operari: nam terra & corpus & sphæram Lunæ perpetuò secum in Ecliptica circumducit, quasi partem terræ: Luna mare attrahit quasi partem Lunæ.* Quàm multa nos imbecillitatis nostræ admonent, ignorantes propius admotum nobis sidus.

Nimis certè demissè de cælesti natura Plinius sensit, cum dixit, *Astra haud dubie humore terreno pasci, quia orbe dimidio non nunquam maculosa cernuntur, scilicet nondum suppetente ad hauriendum vltra iustaui.* Maculas inde Lunæ nihil aliud esse quàm terræ raptas cum humore sordes. Nimis, inquam, inertis curæ ac præposteri etiam ingenij fuit hoc credere, vapores terræ quos etiam multis montibus plerumque inferiores experimur, ire in regionem Lunæ incredibilibus prope spatijs à nobis dissitam, & nunquam interituris corporibus aggregari, tam fluxa, tam putida. Rarissimè montem

Plinij omentum non ferendum. *Plinius lib. 2. cap. 9.*

re-

reperias, cuius celsitudo duo milliaria possit attingere: Itaque haud existimarim aliquos esse qui extra omnem vim ventorum, & vaporosi aëris ictum consistant. Qui summè efferunt, ad quinquaginta milliariorum mensuram pertingere posse credunt. Sed hæc infinitis prope interuallis altitudo Lunæ superat, vt mirum sit quomodo hanc sordibus nostris, luto nostro respersam, sensisse potuerit naturæ tam magnus interpres: nec vidisse eas quas in Luna maculas cernimus, si ex humore terreno essent, inæquales semper futuras, tam vage tamque incerte affluente materia, cùm tamen illæ omnibus sæculis eadem forma constanter appareant.

Quid sit Luna iuxta communem sensum.

Liquet igitur iuxta communem sensum Lunam esse corpus sidereum, solidum, rotundum, ex sua etiam natura omnis expers luminis, & Ætherea ac perenni materia, ad mundi ornatum vtilitatemque consistens. Superioris æui Astronomi existimarunt eam esse perfectè globosam, tersa ac leuigata superficie, cùm eam cernerent speculi instar perpoliti, ad nos reuerberare lumen.

Non est perfectè rotunda & tersa.

At experimentis huius sæculi compertum est Lunæ rotunditatem non esse perfectam, sed asperam ac inæqualem, quod anfractuosa etiam linea qua lucis ac tenebrarum confinia in hoc sidere dirimuntur, satis indicat. Vnde & eam inæqualiter illuminari videmus à Sole, quod partibus constet hinc editioribus, illinc magis depressis. Inde etiam videntur areolæ quædam in parte adhuc tenebrosa præuijs facibus micare, quæ nihil aliud sunt quàm cacumina & vertices reliquis partibus altiores, ac proinde maturiùs illuminati.

Atque in hoc certè prouidentiæ munus est terrarum fauens commoditati. Nam si perfectè rotunda esset, lumen Solis acceptum in varias partes spargeret, & nihil aut parum ad nos reflecteret, quod sphæris æneis contingere solet in turrium fastigijs positis, quæ quò politiores sunt, eò minus luminis ad oculum nostrum deriuant. Adde quod instar conuexi speculi tunc se haberet, quod vt Catoptrici docent, & experientia confirmat, rerum imagines pusillas reddit: ex quò fieret vt exiguam ad nos Solis speciem ac deformiter decurtatam restringeret. Porrò maculæ quæ in eius globo cernuntur, nihil aliud sunt quàm Lunæ partes rariores, quæ propter transparentiam, lumen Solis admittunt quidem, sed non sistunt, ex quò fit vt cùm magis ardeat in denso, minus etiam luminosæ, immò subnigræ nobis appareant, quemadmodum in albo pariete foramina & fenestellæ obsoletiùs lucent, quia Solis radios non reuerberant.

Lunæ maculæ vnde.

CAPVT X.

De Lunæ altitudine.

Nil intentatum reliquit audax hominum genus, perrupere ingenijs & machinis clausas mortalitati nostræ domos. Solem & Lunam ad suos vocarunt calculos, illis limites & mensuras posuere. Vt immane igitur describant iter, quod terram à Luna seiungit, docent primum ex Euclide, datis duobus angulis vnius trianguli, alterum triangulum constituere, quod illi sit simile, æqua laterum analogia; Cognitis deinde duobus angulis, & vno latere secundùm aliquã mensuram, alicuius dati trianguli, reliquorum quoque laterum quantitatem inuenire. Hoc posito trigonũ imaginarium constituunt, quò primo lineam sibi fingunt ductam à centro terræ vsque ad Lunam, alteram à Luna vsque ad habitatorem horizontis, tertiam ab eodem

habitatore, siue superficie terræ quam incolimus, ad centrum terræ; latus inde vnum iam sibi perspectum credunt, nempe lineam ab oculo ad centrum mundi quæ est terræ semidiameter, quam aiunt esse fere milliariorum 3433. Iam restat inuestigare quantitatem lateris pertinentis à centro terræ vsque ad lunam, quod vt assequantur, triangulum alium superædificant, huic imaginario quem sibi descripserunt, haud absimilem, dein metiuntur quoties vnum latus contineatur in altero, & inferunt toties semidiametrum terræ contineri, in distantia Lunæ à terra: hoc disquisito pronunciant, distare Lunam à nobis 56. diametris terræ, quæ plusquam nonaginta leucarum millia (vt volunt) efficient, iterque sternent vix annis viginti septem decurrendum si in hæc sacratiora naturæ claustra mortalibus datum esset irrumpere. Lege de hac materia Blancanum nostrum qui hæc subtilissimè in sphæra mundi prosequitur.

Alij tantum ponunt sexaginta sed varietas est in leucis computandis.

Ego autem sic existimo coniecturas istas magnis vbique esse erroribus obnoxias, nec frustra monuisse Ptolomæum in Almagesto, altitudinem Lunæ per Ecclipses potius inuestigandam, quàm per instrumenta, quæ facile illudere nobis possunt, præsertim in superficie terræ non in centro degentibus.

Luna Isthmus rerum mortalium & immortalium.

Certissimum est igitur Lunam vltimam Cælo, citimam terris esse, & cæteris quibusque planetis aut stellis nobis propiorem, quam ideo Ocellus Lucanus rerum mortalium atque immortalium Istmum appellabat. Liquida res est ab Ecclipsibus tam Solis quàm ipsius Lunæ: cur enim Luna nobis Solem, nobis cæteros planetas ac stellas sui corporis obiectu surripit, nisi quod propius est oculis nostris admota? cur sola dum deficit, vmbram terræ ingreditur, nisi quod viciniæ damnum sentit? hoc idem vmbræ gnomonum satis indicant, quæ à Luna ex ijsdem cum Sole horizontis punctis, diuersis vt fit temporibus obseruatæ longe maiores sunt. Hoc parallaxes euincunt, quas hæc laxiores cæteris sideribus efficit, vtpote nos è vicino magis aspiciens. Facile igitur est quo in loco Luna constituta sit deprehendere; at illius loci mensuras, atque distantiam à nobis percenseri, difficillima res est, quam homo possit opinari, Deus scire: Sinuosæ tamen hominum mentes, & rerum cupiditatibus natæ, si quod ad Lunam iter, affectarent ibi videre incolas illos Priuoluas, & Subuoluas, quos somnians Keplerus scribit, non terrerent quindecim dierum noctes perpetuis horridæ tenebris, nec gelu rigentes plagæ, validissimis concussæ ventis. Ibi digererent regna, respublicas ordinarent, instruerent triremes, & prælia committerent. Heu luminis interni vacui & inani semper pleni, quin nos circumspicimus, quin nos colimus, quin vacamus Deo, illi nos notos & pulchros, & beatos, mundi contemptores & Imperatores vniuersi facturi.

CAPVT XI.

De Lunæ magnitudine.

SVBVEHIT hic Plinius animum (vt ait) in Cælum, & ab Ecclipsi Solis expiscatur lunæ magnitudinem. Non posset, (inquit) totus Sol adimi terris, intercedente Luna, si terra maior esset quam Luna. *Plin. c. 11. lib. 2.*

Constringi nos voluit angusto terræ globo, & supra ipsum ingenti mole Lunam diffundi, ideoque Solem suo obiectu subducere mortalibus oculis, quod terris amplior sit; sed profecto infidum est argumentum, quod ab huiusmodi corporum interuentu, & visu sumitur ad eliciendas fide-

derum magnitudines. Neque enim valet hæc ratio: quicquid aliud nobis corpus occultat, eo quoque quod ab ipso cernentibus tegitur, maius existere. Nam eadem argumentatio Lunam Sole esse ampliorem, ex solari defectu contenderet. Experimur quotidie exiguum licet circulum nostris luminibus admotum, nobis vastas turrium moles, nobis diffusas camporum planities, astra ipsa, & Cælum eripere. Nihil hîc comparatio magnitudinum valet, sed diuortia spatiorum. Quo propius enim opacum corpus admouetur oculis, eo magis obiecta etiam maxima de nostro conspectu subtrahit. Vbi remouetur longius, aperit etiam minima. Itaque mirum non est, si Luna terris longe vicinior quàm cæteræ stellæ, maiori quoque obiectu incurrat in aciem oculorum.

Nunc alia quàm Plinio Mathematicis mens est qui asserunt Lunam terrâ longè minorem quòd demonstrare se ex vmbra terræ in ipsius deliquio putant: nam licet ipsa in conum subeat, tanta laxitate in lunam impingit, vt eam diutius implicatam retineat, ac necesse sit diametrum Lunæ diametrum vmbræ inibi bis terve metiri. Quod si non mucrone tantum vmbra, sed porrecta magis ingrueret, diuturniori spatio temporis eam impediret. Ex quo contendunt apparere diametrum terræ multis partibus diametro Lunæ maiorem esse, cùm sola eius vmbra in aciem subiens nobis familiare sidus tanto spatio excedat, & in suo labore exerceat.

Blancanus.217.

Sed neque istud argumentum plane conuincit: neque enim Luna vmbram terræ induit, quòd minor est, sed propior, & quò magis terræ accedit, eò plus mergitur, non ideo minuta corpore, sed depressa fastigio. Quis neget vmbra minoris corporis maius aliquando posse tegi, prout species illuminans & minor est, & viciniùs instat? non omnia ex vmbris certa constant, in quibus tanta nascitur varietas, certè non immeritò quis retorquere posit argumentum quod pro terræ magnitudine supra Lunam ex vmbris assertur. Nemo enim ignorat in Solis Ecclipsi Lunam cùm haudquaquam corpus sit omnino diaphanum, vmbram proijcere, qua terra tam late & diu obscuratur: ex quo pari iure inferre nobis liceret, terram Luna minorem esse.

At hoc ex vmbris certum est ingentem esse Lunæ globum, quia arborum in limitibus porrectarum in quotlibet passuum millia vmbras paribus iaciat interuallis, tamquã toto spatio media, & quia vbi primos Arietis & Libræ gradus decurrit, omnibus in meridiana plaga habitantibus simul fiat à vertice. Est tamen longo interuallo Sole minor, cuius euidens signum est Ecclipsis Solis quem Luna tot partibus inferior nobisque propior non ita obscurat vt non relinquatur etiam in maiori defectu, lucidus de Sole circulus qui Lunæ discum in coronæ modum cingat. Illustris Tyco & alij mathematicis instrumentis fulti Lunam ostendere contendunt quadragies tertia minorem, Lansbergius quadragesies quinquies: sed hæc conijcere potius est quam demonstrare. Ridicula spes eorum, qui ex vita discedentes pulcchros se ac fortunatos cogitabant, si mentes eorum habitarent in Luna: hoc Eunapius in vita Ædesij Philosophi testatur, vbi Sopatra sic Eustachium sponsum alloquitur. Audi me Eustachi, vosque qui adestis mihi testes esse volo, me ternos ex te liberos parituram, qui in fortuitis bonis, omnes inféliciter acturi. At tu præclaram sedem antè me occupabis, nec inferiorem fortasse ego nanciscar: nam tibi ad lunarem globum secessus fato debetur. Nesciebat hæc in Luna non fore habitatoribus, si qui essent, omnia iucunda, quibus singulis mensibus

ſibus rigidæ hyemis æſtatiſque flagrantiſſimæ vices recurrerent, ſi Kepleri ſomnio credendum: Nobis Deus mundus eſt ac habitator, & omnia.

CAPVT XII.

De Illuminatione Lunæ & varijs figuris.

MAGNVM orbi ſpectaculum fecere varij Lunæ vultus. Hoc priſci homines attoniti viderunt, donec Anaximander cauſas aperuit, totum hoc à Sole eſt, à quo lumen Luna mutuatur, varios induens vultus, pro vario ad ipſum fontem lucis aſpectu. Pars Soli admota reſplendet, remota in obſcuro eſt, ideo ſemper auerſis à Sole cornibus lucet, ortus ſpectans dum creſcit, occaſus dum minuitur. Dimidia ſemper eam parte illuſtrari etiam cum minùs accenditur, Mathematici docent, ſed hoc non apparet, quia ſpectantium oculi longe infrà Lunam ſunt, & Luna infra Solem, nos phaſes ex aſpectu noſtro metimur.

Primum igitur in ſilentio eſt, in Neomenia ſeu interlunio, plane coniuncta Soli? Hoc eſt vtroque ſidere in eandem lineam concurrente, alioqui nulla vnquã Solis & Lunæ coniunctio quos immania ſphærarum ſpatia diuidunt.

Sed illud mirum quod nos dum ſilentem putamus Lunam, & nullam, tunc maximè illuminatur à Sole. Siquidem Opticorum ars demonſtrat ſphæram lumino ſam è propinquo ſemper maiorem partem minoris ſphæræ quàm è remoto illuſtrare; vnde cùm luna in plenilunio à Sole remotiſſima ſit, & illi è diametro oppoſita, minus radijs eius perfunditur, quàm in nouilunio, vbi ea parte qua Cælum aſpicit, tota luci patet immerſa, ſed nos hæc noſtris oculis diiudicamus. Primò igitur per teleſcopium apparet, creſcente Luna, confinium illuminatæ partis atque vmbroſæ, linea quædam denticulata; deinde in parte vmbroſa vertices quidam prima Solis facie delibati, qui Luna ad ortus abſcedente, paulatim maiores fiunt. In parte vero illuſtri areolæ nitent rotundæ, & frequentiùs ſparſæ. Hic primus Lunæ ſtatus, & veluti infantia eſt, cùm falcata aut corniculata dicitur, à Sole duobus ſignis ſeu ſexaginta gradibus diſtans, eumque ſextili aſpectu (vt Aſtrologi vocant) quarto die intuens. Septimò dimidiata conſpicitur, & à Græcis διχότομος nominatur, iam in quadratum cum Sole configurata. Vndecimo ἀμφίκυρτος ſeu gibboſa atque turgida ad trigoni figuram accedens. Decimo quinto plena luminum eſt ex diametrali luminarium oppoſitione. Inde in eaſdem gradatim redit phaſes, quàm tum ſecundas appellamus.

Quis non miretur in perenni ſidere tot vultus, tantam formarum varietatem. An ideo hæc prouidentia diſpoſuit vt in propinquo & magis familiari lumine inconſtantiam rerum humanarum diſceremus? Verbum diuinum (vt ait Philo Iudæus) choreas in orbem ducit, quas vulgus hominum fortunam, honores, & imperia nominat; eunt, abeunt, incerta ſede, vita cruda, temeritate promiſcua, præſtantque ſæpius vi nocendi, quàm dominandi virtute; ideo nec læta fruentibus, nec poſſidentibus diuturna. Ludibria ſunt vmbrarum, quibus ſolida poſtponimus æternorum. Ad hunc ſtatum (vt ait Sidonius Apollinaris) neſcio an conſtet tendere beatos, patet certè miſeros peruenire.

CA-

CAPVT XIII.

De motu Lunæ.

MVLTIPLICI hîc ambage (vt ait Plinius) Luna contemplantium torsit ingenia crescens semper, aut senescens, & modo curuata in cornua, modo æqua portione diuisa, modo sinuata in orbem, maculosa, eademque subito prænitens, immensa orbe pleno, ac repen e nulla. Alias pernox, alias sera & parte diei, Solis lucem adiuuans. Iam vero humilis & excelsa, & ne id quidem vno modo, sed aliàs admota Cælo: aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros deiecta. Hæc quæ miramur omnia, Lunæ cursus & periodi facile declarant. Certum est eam primùm motu diurno, vt cætera astra circumagi, mundumque lustrare viginti quatuor horarum spatio; motu deinde proprio singulis mensibus duodecim domos Zodiaci percurrit, non velocior quidem Saturno, qui omnium Planetarum tardissimus habetur; sed minori gyro constricta agit se primum in longitudinem rectà secundum ordinem signorum; & quidem si ad centrum mundi respicias inæqualiter, modò velocius, modò tardius progrediens. Inde operosa Eccentricorum, Deferentium, Æquantium, & Epicyclorum machinatio, grande negotium ijs qui solidos tuentur Cælos. At nos qui permeabilem Ætherem asserimus, ire nutu suo astra, & suos intricare atque euoluere flexus statis à Deo legibus, cum facilitate contemplamur. Procedit autem Luna ab vno tropico in alterum spiras agens & Solem imitata; sed hoc habet præcipuum quod in latitudinem mota, deflectit ab Ecliptica. Vnde describunt in hunc motum Astrologi circulum, qui totam Zodiaci longitudinem secet, non quidem per medium, vti facit Ecliptica; sed ita ut vna pars ad Boream, altera ad Austros deflectat intra spatium quinq; graduum. Duæ illæ intersectiones quas hic circulus cum Eclipticæ limbo facit, vocantur à Græcis nodi. Vnus quidem Boreus & Euehens per quem Luna fit septemtrionalis: alter huic oppositus descendens, per quem in Austros euadit. Arabes caput & caudam draconis nominarunt memorabili apud Genethliacos fama. In his punctis Eclipses Lunæ fiunt, cùm inibi Sol & Luna opponuntur ex diametro: præterea familiare est Lunæ sicut & Soli, nunc propius admoueri terris, nunc altiora Cæli secare, vnde apogæorum & perigæorum in illis, & cæteris quoque planetis nomina. Ex his varium iter Lunæ, & diuersas per itinerum flexus eius figuras licet agnoscere.

Primum quidem in Neomenia sub Solis radijs latet, nulli visa, deinde emergere paulatim incipit, singulis diebus ab eo abscedens gradibus 12. minutis 11. Tum crescens in occasu conspicitur, primis quidem diebus, merso iam Sole, tenui quasi luminis filo relucens. In dies plenior euadit, quo maiori tractu discedit ab ipso luminis fonte, ortus continuo petens & maiorem in dies noctis partem illuminans, occidenti ex diametro ad ortus opponitur, tum plena luminis & tota nocte conspicua. Exinde decrescit, tardius assurgens, & fit pernox, reuoluta semper in Solem, atque illi magis ac magis accedens, iam matutinis tantum horis prænia conspicitur, donec ipsum tandem intra vigesimum nonum à Neomenia diem cum dimidio rursus assequatur, quinto quoque die duo signa Zodiaci ferme decurrens. Hæc sunt magnifica at-

atque æterna naturæ ſpectacula, quæ mirari, quæ addiſcere inſatiabilibus oculis atque auribus decet ſuæ memores immortalitatis: ô quam puſilli & miſeri ſunt qui horum obliti per mortes & funera in malignam gloriam ruunt, & de fragili luto ſibi theatrum, ſibi nomen meditantur.

CAPVT XIV.

De Lunæ temporibus.

LVNÆ tempora menſes & anni ſunt, & menſis quidem quadruplex, peragrationis, apparitionis, medicinæ, & conſecutionis: ſic partitur Ioannes de Sacrobuſco in libro de anni ratione. Primus, itaque ſpatium eſt temporis quo Luna peragrat Zodiacum, conſtatque viginti ſeptem diebus, & horis ſeptem, cum quadraginta tribus minutis; moratur autem in vnoquoque ſigno iuxta eumdem Authorem duobus diebus, ſex horis, triginta nouem minutis.

Secundus menſis eſt apparitionis conflatus ex viginti octo diebus per quatuor hebdomadas diſtributis. Prima eſt à principio apparitionis Lunæ vſque ad diem ſeptimum, vltima vigeſima octaua Luce terminatur. Horæ combuſtæ quibus Luna ſub radijs Solis deliteſcit, non numerantur. Hunc menſem conſequuntur æſtus maris, & corpora fluida quæ pro ſtatu Lunæ augentur aut minuuntur.

Tertius ab eodem ponitur medicus ſeu Galenicus, ſiquidem Galenum ait menſem viginti ſex dierum & dimidij ad mutationes quæ in morbis, fiunt conſtituiſſe. Sic enim ille libro de diebus decretorijs, *Quippe non à numeris ſed à Luna mutationes rebus terrenis adueniunt. Et quia Lunæ menſtruum tempus viginti ſeptem ferme dies continet, ideo ſeptimanæ fiunt criſes.*

Quartus tandem conſecutionis nominatur, quo Luna à Sole accenſa peragrat circulum, & ad illum Eclipticæ gradum redit in quo prius fuit illuminata: ſed cum ibi Solem non inueniat, iam ſpatia vnius ſigni prætergreſſum biduum inſumit, cum quatuor horis, & quadraginta quatuor minutis, donec iterum principi ſideri iungatur, atque ita emergunt dies viginti nouem cum dimidio, & aliquot minutorum fractionibus. Inde lunationes modò viginti nouē dierū, modo triginta numeramus. Inde etiam lunaris annus exſurgit tā Aſtronomicus, quàm ciuilis. Ille ſi communis eſt, nempe conſtans ex duodecim lunationibus, continet dies 354 horas 8. minuta 48. ſi Emboliſmicus eſt, quod fieri ſolet, cùm vna ei lunatio præter ordinem accedit, dies tunc habet 383. horas 21. cum aliquot fragmentis minutorum. Annus autem ciuilis, vt vulgari magis vſui ſit idoneus, non habet rationem horarum, nec minutorum quæ ſunt in Aſtronomico, ſed lunationes ex diebus integris conficit, alternis vnum diem aut augendo aut minuendo. Si nullus Emboliſmus accedit, ſolari minor eſt vndecim diebus, vnde placuit antiquis vtriuſque luminaris, communem ac congruentem periodum in mutuam concordiam texere, quàm Methon Athenienſis circulo decemnouali primis abſoluit. Is eſt aureus numerus, quem ſic appellatum memorant quòd eſſet aureis literis in Calendario Romanorum ſcriptus. Hebræi porro, Arabes, Turcæ, Perſæ, ac Sinæ, lunaribus annis vtuntur, eoſque ita inſtituunt, vt cum ſolaribus congruant. Solent autem hanc primam anni Lunam ſtatuere, quam nos Paſchalem ſeu Martij Lunam vocamus, quæ vt recte definit Blancanus de mundi fabrica, parte tertia, capite ſexto ea eſt cuius plenilunium propius eſt Æquinoctio verno, nec tamen ante æquino-

sexto, ea est cuius plenilunium propius est Æquinoctio verno, nec tamen ante æquinoctium, quod circa 21. Martij contingit. Vulgaris autem versus,

In quo finitur mensi lunatio detur.

sic est intelligendus, vt tum demum alicuius mensis, lunatio existimetur, cùm hoc eodem mense Luna desinit, vt si Luna cœperit mense Decembri, & finiatur etiam Ianuarij die primo, ipsi Ianuario, non autem Decembri ascribetur.

CAPVT XV.

De Lunæ dominio in natura.

MAGNVM habet etiam luminare minus in natura dominatum. Cum Sole tempora partitur, placida luce noctes illuminat, & vicaria face dirigit à summo sidere destitutos. Genitali rore perfundit terras, & saturat, implet accedens corpora, quæ abscedens inania relinquit, non tantum frondes & pabula vim eius sentiunt, sed sanguis quoque hominum, cum eius lumine aut augetur aut minuitur. Hanc olim Hebræorum castra sequebantur ducem, vnde & vas castrorum apellatur à Salomone. Hanc Agricolæ vndique spectant. serendo, tondendo, carpendo. Sed eius præcipua vis in humido, vnde meritò vegetabilis naturæ mater habetur, aquarum rectrix, maris & æstus dominatrix.

Eccl. 43. 9.

Æstus maris à Luna.

Mirum quòd plerique contendant hanc illi gloriam eripere, quàm omnis ferme sæculorum consensus tribuit. Ita sentit Aristoteles, ita Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Solinus. Ita quotidiana obseruantium experientia probat: totus hic Oceani motus, cum amico sidere circumagitur, vt Possidonius apud Strabonem disserit. Quo enim tempore (inquit) Luna supra Horizontem emergit, mare quoque conscendit terram, aquis sensim intumescentibus, quousque Cæli apicem gubernatrix illa freti teneat; tum enim plenior fertur inundatio: vbi verò declinare cæperit, rursus à terra pelagus redit in Oceani sinum, donec ad occasus Luna descenderit. Nam tunc fluctus exundant quousque sub terra in medio Cæli consistat; tum enim à littore digrediuntur quoad iterum in ortus vnde cœpit reuoluatur & finitori nostro admota, residens aquas torqueat, agatque in littora. Plinius æstum maris duabus fere horis æquinoctialibus, post ortum vel occasum Lunæ incipere scribit; ac desinere etiam tanto ante eius, vel occasum, vel ortum, tempore: inde est etiam quòd tardius vna hora redit ad motum, quippe familiaris Astri compositus.

Sic præter veteres Lambergius.

Non tantum hoc diurnus agit cursus, sed & menstruus, cùm maximos, & celerrimos refluxus contingere circa nouilunium & plenilunium, minores circa Lunam dimidiam videamus; sed & annuus inibi operatur, cùm eosdem maximè augeri circa æquinoctium experiamur.

Præter Lunam Sol conspirat, & vis interna Oceani.

Equidem semper existimaui manifestam hîc esse vim Lunæ, non tamen hanc esse caussam primam aut solitariam. Habet enim Oceanus aliquid vitale, & illi à natura inditum est, vt purgare sese possit, & defecare, quemadmodum & nobis respirare, aut systolem, aut diastolem cordis pati. Hoc ipsum confirmat aquarum omnium natura, quæ à fundo egerunt quicquid absorbuere, nisi grauitate impediantur. Itaque spiritum in subterraneis locis collectum, vel circa putredines maris cumulatum vltro excernit, & toto fundo commouetur. Hunc autem nixum Luna mirum in modum adiuuat, ipsa à Sole adiuta blanda vi proritans, & ex suis temporibus regens. Quod autem nec istud omni-

nibus fretis, nec pari modo accidat, inde fit, quod causa abimmò sursum mouens in alijs valida, in alijs imbecillis, in alijs fere nulla: tumor quoque in alijs magnus, in alijs paruus, & littora ipsa nec alta, nec humilia: & quidem hæc opinio de spiritu intra vortices maris cõcluso & foras prorumpente, est celeberrimi Apollonij, qui in rebus naturæ diiudicandis fuit sagacissimus. Addit lydiatus contineri etiam in fundo maris bituminosam terram, quæ statis temporibus, siderum & præsertim Lunæ influxu instar ollæ feruentis ebulliat, secumque fluctus excitatos trahat: neque verò in solo mari, sed in natura vniuersa tantum Lunæ tribuit Plinius, vt eius sidus rerum esse spiritum dicat. Certè in temporum moderatione vim habet præcipuam, & pro aspectu eius, modò placida serenitas ridet, modò tempestas ingruit, vtrumque nascentis in vultu naturæ curiosi rimantur. Vnde etiam Virgilius serenitatis indicia colligit his verbis.

Georg. Virgilij locus difficilis explicatur.

Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radijs obnoxia surgere Luna.

Omnes hîc fere interpretes grammaticè admodum loquuntur, & obnoxiũ, vt vulgo explicatur, æstimant, quod noxæ est expositum, non animaduertentes etiam pro noxio poni. Hîc enim Luna obnoxia solis radijs dicitur non patiendo, sed agendo. Plane respexit Poëta ad locum Marci Varronis vbi scribit, *si quarto die Luna directa fuerit, præsagiet tempestatem.* Quid sit autem directa, explicat Plinius, cum arream cornu erecto & infesto plerumque videri: Hoc scilicet minax ventos significat. Itaque quod ille infestum dixit, hîc obnoxium vates eruditus reddidit; nec aliud voluit quam tempestatis signum esse nascentem Lunam cornu nimis rigido & acuminato, veluti Soli minari.

Plin. lib. 18. cap. 35.

Apussiare autem viatores nocturni vtuntur commodo eius lumine, explorantes quot horis singulis noctibus luceat. Ætatem Lunæ per Epactam inueniunt, inuentæ addunt vnitatem: sic auctam multiplicant per 4 numerumque productum diuidunt per quinque. Quoties enim indicat horas inæquales, siue partes noctis duodecimas, quibus Luna splendet: post plenilunium autem computantur horæ ante solis exortus, & reliquum ætatis Lunæ non iam à primo die, sed à trigesimo sumitur: decimo videlicet & sexto, quæritur quot dies restent vsque ad triginta & sic de cæteris. Exemplo manifestum est quod dico, sume diem Lunæ, verbi gratia quintum, adde vnitatem, fiunt sex, multiplica sex per quatuor, fiunt viginti quatuor. Iam quinarij sint 4. in 24. & 4. vnitates, pone pro singulis quinarijs totidem horas, pro quaque vnitate, quintam horæ partem ita inuenies: quinto die Lunam lucere noctu, post Solis occasum quatuor horas cum totidem quintis. Rursus si diem Lunæ vigesimum reperias, quia transactum plenilunium, accipe reliquum ætatis Lunæ, vsque ad 30. qui sunt dies 9. quibus per 4 multiplicatis producitur 36. hunc diuide per 5. fit quotiens $7\frac{1}{5}$ qui indicat Lunam mane ante Solis ortum fulgere septem horas inæquales. ita Blancanus, sed Ioannes de Sacrobosco libro de anni ratione, capite de ætate Lunæ, non censet addendam illam vnitatem, quam ille diei Lunæ inuento præponi iubet, nec ego necessarium esse iudico.

Addit autem hic sphæræ author Lunam singulis diebus in cremento quatuor quintis remoueri a Sole, quæ horam veram efficiunt, exceptis tribus gradibus: In decremento totidem Soli admoueri: vnde si libeat. indagare in quo signo sit Luna, & quantum distet à Sole, ætatem eius per quatuor multiplica, & per 10. partire.

Quot

Quod fuerint in dato numero denarij, tot signis distabit a Sole Luna, & quot remanserint vnitates, tot puncta in consequenti signo obtinebit, vt si Luna cum Sole fuerit congressa quinto Arietis gradu, eadem cum fuerit quinta, erit in decimo gradu Geminorum, peragrans vt quotidie solet, tredecim gradibus, dum sol vnum complet, vt omissis vtrobique minutijs, sensibile quid traducatur in exemplum.

CAPVT XVI.

De Saturno.

PEstilenti errore laborant homines, dum mores suos cœlo tentant inducere, quos ex ipso potius trahere debuerunt. Inde regnatores impij in illam beatorum sedem illati, & pro dijs habiti, qui sæuitia homines esse desierant. Prisci scilicet & rudes inaudierant aliquid de Saturno & Ioue Regibus, quos Græcia fabularum parens, deinde etiam Italia cognouit. Hos in Æthereum orbem transcripsere, horum nomina stellis innocentibus conuicio potius quam laude tribuêre. His accessere immania Poëtarum commenta, quæ mystici postea philosophi miris modis in naturæ interpretationem traxere; deinde Genethliaci mores hominum stellis imputantes, quicquid mali est aliquot sideribus adscripsere, læta & illustria alijs reseruantes.

Saturnus quoque vementesis dictus antiquis, vt notat Seldenus de Dijs Syris.

Deformatus omnium calumnijs Saturnus, quem impium & vagum, & à filio sedibus pulsum, voratorem scilicet liberorum confinxere. Alij prudentem & peritum agriculturæ, multa in vsus humanos docuisse contendunt, vnde & beneficijs quod familiare tum erat, iter aperuit in Cælum. Omnia de illo lenius mystagogi fabularum explicant, nam & χρόνον dictum asserunt quòd dux sit temporum, quæ longissima omnium suo motu describit, & veritatis patrem, quia beneficio temporis in lucem hominum venit. Ijdem illi cædem filiorum tribuunt, quòd longinquitas temporis omnia etiam per tempus orta consumat. Inde falcifer est apud Poëtas, apud Astrologos Lanius. Ex lachrymis quoque eius natum mare Pythagoræi comminiscuntur quod tristis & pluuiæ tempestatisque author est.

Sed vt hæc missa faciamus, Saturnus non Rex non homo, non deus, sed sidus est, omnium planetarum summum: substantiam eius igneam esse sicut & cæterarum stellarum plerique putauere, nos tamen frigidum facimus quia multum distat à Sole: à nobis quoque remotissimus est, ex quo fit, vt neque abunde haurire, neque ad nos commode traijcere calorem possit: figura qualis cælestium corporum reliquis, censetur rotunda, quamquam per Telescopia intuentibus, tricorpor & immanis appareat, oculis in tam prodigiosa longinquitate facile delusis. Quod enim supra omnes planetas sit, inde apparet, quòd ab illis & ab ipso quidem Ioue occultetur. Idem parallaxis indicat, quam Tycho longe minorem asserit esse quàm Iouis. Idem motus euincit, qui tardissimus nobis videtur, quòd in maximo atque editissimo gyro decurrat. Nam qui ex triangulorum doctrina eius à terra distantiam idem author timatur, eam ad terræ semidiametros 10550. peruenire censet. Quæ omnia stupenda sunt cogitantibus, qualia inexperti vix credant, experti nunquam satis discant.

Galilæus anno 1610. obseruauit Saturnum non vnicam esse stellam, sed tres simul iunctas, formantes figuram haud absimilem illi quæ ex tribus o resultat, sic ooo.

Lubet cum Plinio exclamare : furor est mensuram Cæli quosdam animo agitasse atque prodere ausos. Et tamen hanc Blancano teste æui posterioris Astrologi metiuntur, aiuntque Saturnum terram adæquare vicies & bis, esseque ad Iouem vt $\frac{14}{7}$ ad 1. ad Solem vt 1. ad 6. $\frac{4}{11}$ ad Martem vti 286. ad 1. ad Lunam vti 180. ad 1. ad Venerem vti 133. ad 1.

Mouetur porro sidus Saturni motu, si ratio temporis spectetur, omnium tardissimo: sed si longitudo itineris expendatur inuenietur Lunæ etiam velocitatem superare. Totum Zodiacum absoluit motu proprio annis 29. diebus 174. horis 8. singulis mensibus vno tantum fermè gradu promouetur, duodecim intra annum decurrit: vnum Eclipticæ signum peragrat annis duobus cum dimidio, duo verò intra quinquennium, intra decennium quatuor, quæ omnia Mathematici scrupulosiùs examinant; habent autem planetæ omnes inextricabiles pene motus propter Eccentricos & Epicyclos qui sunt imaginarij circuli ad motus eorum explicandos accommodati.

Inde sortiuntur suas stationes, directiones, retrogradationes: stationes sunt duo puncta Epicycli, eius nempe qui Eccentrico insertus concipitur breuior circulus. Vnum versus Orientem est, quòd & statio prima dicitur. Alterum versus occidentem quod statio secunda nominatur. Planeta in alterutro positus stationarius habetur. Directio est arcus Epicycli superior & inter duas stationes interceptus, in quo dum existit sidus in Epicycli parte superiore vocatur directus. Retrogradatio verò est arcus eiusdem Epicycli inferior, in quo idem retrogradus appellatur. Porrò deprehensus est primum (vt dixi) in Sole circulus eccentricus, qui centro videlicet terræ non responderet, quia spatia quæ æquinoctijs interiacent, inuenta sunt inæqualia, Sol enim conficit fere 180. dies ab æquinoctio verno vsque ad autumnale, in signis videlicet Borealibus, cum ab æquinoctio autumnali vsque ad vernum, in signis australibus tantum 178. dies obeat cum quadrante. Accedit quòd longius alias à terris absit, alias propius, vnde Aux illi, apex videlicet Eccentrici & oppositum Augis, maximè centro terræ imminens.

At verò quia in eodem Augis puncto animaduerti contigit alios planetas, modò altius euehi, modò deprimi, excogitatus est quoque Epicyclus, breuior videlicet sphæra quæ eorum corpus deferret, & has directionum, stationum, retrogradationum vices signaret. Hæc Saturno cum cæteris quoque communia, quæ ad motus eius inuestigandos sunt apprime necessaria. Inde etiam Genethliacorum superstitiosa vanitas deprehenditur, qui planetas debiles & ominosos si retrogradi sint, pronunciant, quasi ab ordine vniuersi deflectant, sed re vera nihil habent inordinatum, nihil auersum. Quòd enim directus planeta dicitur, inde est, quod in superioris arcu pergat versus orientem, in inferiori verò contra: sequitur enim ibi esse velociorem in Zodiaco quàm in inferiori, quia ibi tam motus centri Epicycli, quàm motus ipsius planetæ tendunt ad easdem partes Orientales: in inferiori verò tardiorem, quia hic motus planetæ contrarius est motui Epicycli, adeo etiam vt retrogradi in Zodiaco videatur, vt ait Blancanus. Blanc. p. 157.

* *
*

CA-

CAPVT XVII.

De Ioue.

Is quoque Alex.

ACVTE vt solet Diuus Augustinus, libro septimo de Ciuitate Dei, capite decimoquinto, irridet Ethnicos, qui cùm Iouem mundum vel mundi animum esse vellent, tantam postea maiestatem in vnam stellam, neque inter cæteras maximam contraxerunt. *Quis,* inquit, *non rideat cùm Regem omnium Iouem dicant, cùm stella eius à stella Veneris tanta vincatur claritate? Tantò enim esse debuit cæteris illa fulgentior, quantò est ipse potentior. Respondent, ideo sic videri, quia illa quæ putatur obscurior, superior est atque à terris longe remotior. Si ergo superiorem locum maior dignitas meruit, quare Saturnus ibi est Ioue superior? An vanitas fabulæ quæ Regem Iouem facit, non potuit vsque ad sidera peruenire, & quod non valuit Saturnus in regno suo, neque in capitolio, saltem est permissus obtinere in cælo?*

Hoc igitur ex hominum & quidem fabulantium arbitrio est, quod hæc stella Iouis nomen habeat. Quippe cum terrarum regna quæ nollent antiquissima in cælum transferre cuperent, suspexere altissimum Planetam, colore senili & plumbeo. placuit hunc Saturnum nominare, quid restabat nisi vt illi proximum sidus, & quasi patri succedentem filium, Iouem appellarent. Præterea prosper est eius (vt ait Cicero) & salutaris fulgor, maxima vt, Astrologi asserunt in tempestatibus cæli, in natiuitatibus hominum potestas. Vix vnquam cum Sole aut Luna bene configuratus apparet, quin mundus rideat, vix in genituris, vt ipsi testantur nobilem locum obtinet, à maleficorum aspectu liber, quin omnia læta, omnia illustria faciat. Huic tamen antiqui errore magis quam notitia compertæ veritatis, assignauere fulmina, quorum & nunc figura pingitur, ab Astrologis. Putauerunt (vt ait Plinius) *superiorum trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant; sed maximè ex ijs medio loco siti, fortaßis quoniam contagium nimij humoris ex superiore circulo, atque ardoris ex subiecto, per hunc modum egerat.* Plin lib. 2. c. 2.

Supra Martem haud dubiè circuitus exercet, quia in mutuis amborum synodis ab ipso Marte occultatur, & oculis nostris surripitur huius obiectu, non secus ac Sol intercedente Luna. Distantiam autem eius à terra solertissimus Tycho colligit esse semidiametrorum ipsius terræ 4990. quam ex deprehensa eius parallaxi, post accuratam operam ipse deduxit. Inde magnitudo ex hoc ingentis spatij diuortio, nec non semidiametro eiusdem apparente infertur quaterdecies superare terram, quæ si non aberrante calculo, mortalitati nostræ in hæc infima sede numerare licet, insuspicabilis in Deo Maiestatis argumentum est, tam augustas sedes, tam vasta lucis templa suis imperijs condidisse, & in perpetuas seruare æternitates, non vacua haud dubiè, sed plena administratoribus Angelis, quibus mundus sub vnius præpotentis Dei nutu regitur.

Mouetur autem motu velociore quam Saturnus, tardiore quam Mars. nam Zodiacum totum percurrit annis vndecim, mensibus decem, diebus ferme sexdecim. singulis idcirco annis vnum ferme Eclipticę signum decurrit, intra duodecim dies gradum vnum, intra mensem duos cum dimidio. Iouis cursus.

Porro ad celebritatem huius sæculi pertinet quod vt noui orbes detecti ita noua quoque sidera ab ocularissimo Galilæo tuborum opticorum ope nuper deprehensa sunt. Quatuor illi nempe Iouis satellites nominantur, qui circa augustissimum sidus

perenni motu circumaguntur, atque illud suis itineribus coronant. Modò paulò longius ab illo abscedunt, modò accedunt propius, nonnunquam radijs eius toti immerguntur: Diceres eos amantiores esse domini quam sui, videri tunc nolle, vt per eos magis videatur. Bene se res habet au- ctam cæli hæreditatem nobis pater cælestis ostendit, quando incipiemus sensus nostros, fœlicitatem nostram computare? Vna stella Magos ad Christi præsepe & cunas duxit, quin sequimur nouos quatuor duces, & imus non tantum oculis & telescopijs, sed mente & pectore, in albam vere illam & semper lucentem beatorum insulam, cuius semitam suo nobis Christus cruore signauit.

CAPVT XVIII.

De Marte.

Mars Antiquus Τ-Αμα.

NVLLVM fere bonum est sine mixtura mali. Et istud quidem in rebus humanis & notum est & allid tum. At in Cælo vbi pura & tranquilla cogitamus omnia, quis ferox & tumultuosum sidus animo concipiat? Nec tamen mirandum, antiqui etiam Draconis in Ætherea sede pugnas aduersus Angelos memorantibus. Illic igitur Mars planeta, luce ignea & rubicunda, minas spirans, & flammas, vnde & Pyroeis nominatus ab antiquis, & ab Ægyptijs telo semper armatus, quæ nota nunc & apud Astrologos vbique Martem indicat. Qui per maiores tubos opticos nuperrime spectauere, prospexerunt ignes quasi ex fornace erumpentes, & nigrum montem medio insertum, baltheum quoque & discum instar cassidis, omnia sæua, omnia Martia.

Sed prudentissimè discreuit orbem prouidentia numinis, quæ magnas quasque potestates aduersis viribus imminuit, & venenis antidota disposuit. Tam violentus ignis agitur inter Iouem & Venerem medius, quorum placidus fulgor vtrimque vim impotentis sideris infringit. Qui curiosius obseruare postremis temporibus Tycho & Keplerus, deprehendere eius parallaxes aliquando Solis parallaxibus multo minores aliquando etiam maiores, vnde inferunt Martem nunc supra Solem attolli, nunc infra eius orbitam descendere, quæ ratio impulit, vt cæteros quosque planetas existimarent vniuerso Eccentricos, centrum in ipso sole habere.

Et certe ad magnitudinem principalis sideris attinet vt id cæteri planetæ spectent tamquam scopum in quem omnes colliment, atque illi vestigijs & obsequijs adrepant. Minima distantia Martis à terra vt volunt continet semidiametros terræ ferme 761. quæ sunt duæ tertiæ partes solaris à terra distantiæ. Mediocris habet semidiametros 1745. occultat aliquando Saturnum & Iouem, sicut occultatur à Sole, Mercurio & Venere, vnde duobus illis inferior, his superior censetur. Magnitudo eius inde colligitur quod in mediocri abscessu à terra, obtineat vt diximus 1745. semidiametros ipsius terræ, inde apparentem semidiametrum exhibet quasi 21. minutorum, & per triangulum Isosceles, inuenitur proportio diametri eius esse ad diametrum terræ eadem fere quæ est inter 25. & 60. Vnde diameter Martis continetur in Diametro terræ bis cum duabus quintis. Hinc sphærarum proportio emergit, estque vt 1. ad 13. quæ indicat illum tredecies à terra contineri, sicut Lunam quadragies, Mercurium vndeuicies, Venerem sexies. Quod si motũ eius planetæ cõsectari velis, inuenies in eo quo peragitur modo, la-

labyrinthos & flexus pene inextricabiles, vnde meritò suo tempore querebatur Plinius inobseruabile sidus Martis esse. Certum tamen est cursum ferme bienno per Zodiacum absoluere, & vno quoque anno sex signa cum gradibus vndecim decurrere, biduo gradum vnum cum tribus minutis obeundo.

CAPVT XIX.

De Venere.

Eadem Epist. dedic.

OMNIVM in se ora conuertit amabilissimum sidus, omnium gentium studia, & stylum exercuit, mirantium æmulam Solis & Lunæ speciem. Nomen illi Veneris pulchritudo fecit gentilitatis errore: nam quid obscœnis amoribus cum purissimis stellarum ignibus commune? Aras eidem superstitio consecrauit, Astartem Deam Sidoniorum appellans, meritò Prophetis virisque religiosis execratam. Mirum quòd stellas pene nocentes hominum scelera constituere, *Illæ* (ait Propheta) *luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas, & vocatæ dixerunt adsumus.* At libido hominum Deas fecit, non passuras conditoris iniuriam, si loqui de Cælo possent: Dicturam nempe opinor, quamlibet ex illis quod Iulius Firmicus tribuit soli. *Nolo vt errori vestro nomen meum fomenta suppeditet, ad litem à Deo factasum, hoc mihi sufficit solum. Quid me honesti muneris dignitate priuatis?*

3. Reg. 11. 5.

Baruch. 3. 34.

Iulius Firmicus lib. de errore prof. relig.

Inter cæteros autem Veneris adoratores profusus est ingenio & stylo poëta Lucretius, qui eamdem conscribendis versibus ducem & sociam aduocat, in quibus multa & supra æui illius stylum miranda cecinit, hoc modo.

Æneadum genitrix hominum diuumq; voluptas,
Alma Venus, Celi subter labentia signa,
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras, per te quoniam Genus omne animantum:
Concipitur visitque exortum lumina Solis.
Te Dea, te fugiunt venti, te nubila Celi,
Aduentumque tuum, tibi suauis Dedala tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,
Pacatumque nitet diffuso lumine Cælum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitalis aura Fauoni,
Æeriæ primum volucres te Diua, tuumque,
Significant initium, percussæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amnes: Ita capta lepore
Te sequitur cupidè, quocumque inducere pergis.
Denique per maria, ac montes, fluuiosque rapaces.
Frondiferasque domos auium, camposq; virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis vt cupide generatim secla propagent.

Multa sunt illic quæ vim istius sideris explicant, non indecora, si Deæ nomine & fabulis abstinuisset. Disertissime quoq; de hoc argumento scripsit Plinius his verbis. *Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis & Lunæ, præueniens quippe & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accepit, vt Sol alter, diemque maturans. Contra ab occasu refulgens, nuncupatur vesper vt prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Largioris magnitudine extra cuncta sidera est, claritatis quidem tantæ, vt vnius huius stellæ radijs, vmbra reddantur. Itaque & in magno nominum ambitu est; alij enim Iunonis, alij Isidis, alij matris Deum appellauere. Huius natura cuncta generantur in terris, namque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terra modò conceptus implet, verùm animantium quoque stimulat.* Ea igitur soli proximum circuit orbē, ampliori longe circulo quā Mercurius, cuius gyrū ipsa continet, sicut ab alijs pla-

netis comprehenditur, perpetuam veluti choream circa principale sidus exercet, modò anterior, modò posterior, nonnunquam supra, alias infra, plerumque illi immersa, & modò paulo longiori tractu abscedens, nunquam desertura. Adeo autem magna aliquando conspicitur, vt nondum huic assueti mirantium oculi, aut Cometam, ac nouam stellam putent. Tunc quoque serenis noctibus cum plenissima luce fulget, corpora ab ipsa collustrat: vmbras spargunt nemini præter quàm illi ex quinque planetis concessas, addunt illam septies Lunam comprehendere, sexies à terra comprehendi, ad solem verò esse vt 1. ad 840.

Deprehensa nostro sæculo res priscis ignota, etiam Pythagoræ qui stellæ illius cursum insatiabilibus oculis fertur persecutus. Quippe vt ope telescopij apparet intuentibus facies mutat, modo falcata, modò semiplena, modo gibbosa, tota deinde lumine circumfusa, vt non immeritò veluti duas in Cælo Lunas mirari mundus cæperit, sed quod spectantibus admirationem auget vbi nobis propior ima Epicycli decurrit, tunc minus videtur contra exterorum naturam corporum, quæ viciniùs admota maiori specie incurrunt in oculos, sed hoc in caussa est, quod non videtur tota, siquidem minor eius pars illuminata offert se inspicientibus.

Vaucanus de mundi fabrica. Cum Sole subit diurnam conuersionem, ac consequenter annuum cum eo motum. Timæus scripsit illam nunquam ab eodem Sole plusquam 46. gradibus abscedere: nunc laxiora illi spatia recentiores Astrologi tribuunt, asserentes, intra duo ferme signa circumagi. Quando oritur vesperi Heliace, tunc incipit descendere ab apogæo Epicycli, appellaturque, Hesperus in toto semicirculo Orientali. Inde à perigæo pergens mane emergit, transmutata in Luciferum, & sic in altero semicirculo perseuerat. Duas ideo stellas inter se simillimas antiquitas credidit: sed solertissimus Pythagoras primus delusas errore mentes, non tam stellæ luce quàm face veritatis illustrauit. Crediderim autem Venerem & Mercurium à mente prouida soli circumiectos, vt humenti aqueaque natura flagrantissimi sideris flammas temperarent, sic in humani corporis structura pulmo & pericardion immodicos cordis ardores amica vi refrigerij mulcent atque retundunt.

CAPVT XX.

De Mercurio.

Planetarvm tandem numerum absoluit Mercurius omnium aspectu minimus. *Mercurius Ανάγκη iuxta seldenum.* Ex decore quippe censuere prisci homines, si Soli tamquam Regi primum adesset Saturnus lentus & optimorum consiliorum ferax, huic Iupiter subesset tamquam minister imperij, Iouem Mars sequeretur, cælestis militiæ præfectus; Martem comitaretur Venus, opum atque deliciarum domina, Venerem exciperet, Mercurius sermonum interpres, & administer negotiorum. Agmen clauderet Luna vegetabilis vitæ qua tota sustinetur natura, moderatrix. Incongruum certe fuisset vitalis auræ præsides stellas è propinquo nobis admonere, nisi sociam adhibuissent illam, quæ ingenij & mentis commercium regit, siquidè *sermo*, vt ait sanctus Augustinus, *dicitur esse Mercurius, sicut illa quæ de eo interpretantur ostendunt. Nam ideo Mercurius, quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius, ideo Ἑρμῆς Græce quod sermo aut interpretatio, quæ vbique ad sermonem pertinet ἑρμηνεία dicitur, ideo & mercibus* *S. Aug. lib. 7. de ciuit. Dei cap. 14.*

stius praeesse, quia inter vendentes & ementes sermo fit medius, ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aëra sermonem. Ideo nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur. Hæc ille.

Acerui Mercurij vnde. Eumdem itinerum omnium ducem, omnium viarum præsidem credidere, vnde consuetum antiquis fuit lapides sacros in aceruos proijcere ad moles excitandas, quibus viatores inter semota camporum: & ardua montium regerentur. Hoc prouerbiorum capite vigesimo sexto indicatur his verbis, *sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.* Hanc saxorum congeriem Hebræi interpretes *Marcolis*, vt est apud Eliam Thesbitem, appellauere.

Hæc porro quæ de Mercurio gentilium Deo finguntur apte omnia ad naturam istius planetæ explicandam sunt composita. Nam & largitorem ingenij, ac facundiæ, operumque omnium industriorum actuosissimum ac peruigilem moderatorem Astrologi constituunt. Quod animarum quoque pompam ducere existimarunt, inde est quod Platonici censerent animas hominum è Cælo labi in terram & è terris in Cælum euolare per orbem Mercurij, vtpote nobis finitimum. Ipsum autem cum Venere circa Solem circuitus ducere deprehenderunt etiam antiqui, vt Vitruuius & Martianus Capella tradunt. Ille enim libro nono, capite quarto sic scribit. *Mercurij & Veneris stellæ circa Solis radios. Solem ipsum vti centrum itineribus coronantes regressus faciunt.* Alter libro octauo Philosophiæ addit, *Venus & Mercurius licet ortus & occasus quotidianos ostendant, eorum tamen circuli terras omnino non ambiunt, sed circa Solem laxiore ambitu circulantur.* Venus quidem, vt dixi, maiori laxitate excurrit; at Mercurius nunquam extra 28. gradus à summo sidere digreditur, ipsi instans, ipsi sæpius inhærens, vnde & rarius videtur, & difficilius obseruatur, distantiam à terra mediocrem eamdem cum sole habet diametros scilicet terræ 1142. æquantem, vt Astrometriæ periti docent. Magnitudine, quidem & si multum lunam superet, cæteris tamen planetis longe inferior est, vt quem terra vndevicies contineat, creditur instar Veneris & Lunæ corniculatim & plene à sole illuminari, quamquam non ita nostris oculis tam sæpe absconditus occurrat. Motus impedit multis tricis perplexos, quibus vnius anni spatio Zodiacum percurrit.

CAPVT XXI.

De Stellis Fixis.

HÆc veluti atria cælestis domus à me sunt explicata, septem distincta porticibus, in quibus planetæ totidem excurrunt, semper errones, nunquam errantes: nam eorum errores, vt ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, stati sunt & harmonici; habent quidem illud propium vt per omnes Zodiaci domos eant varijs longeque dissitis pro temporum varietate locis appareant, modò in septentrionem elati, modò in austros inclinati, nunc inter se coniuncti, nunc ingentibus spatijs diuisi. In eo tamen cursu tam flexuoso, tam diuerso, accuratissimas conditoris leges seruant.

At verò stellæ fixæ in eadem Cæli parte siue Australi, siue Septentrionali visuntur, vt eandem inter se distantiam constantissimè retinent, vnde & fixis nomen est, stationes suas omnes in eadem firmamenti regione obeunt varijs veluti custodijs distinctæ.

Hæc sunt spectacula magna, illustria & verè diuina, quæ immortales animos in Cælum, in Deum, in originem quippe suam sub- *Admiranda fixarum.*

L

subuehunt. O quam iuuat serenis noctibus inspicere hanc munifici Creatoris domum, tot stellis illuminatam, tot faces iugi flamma ante aras potentissimi numinis accensas, tot oculos, quibus res humanas Deus intuetur, & vbi theatrum tam florens, tam pictum? Vbi acies tam directa; tam instructa? quis numerum percenseat? quis magnitudines explicet? quis pulchritudinem satislaudet? quis motum non miretur? certè sapientes quidam viri contendunt, planetas lumen habere à Sole, non item fixas, quarum scintillatio solari persimilis est, videntur enim de suo omnes collucere esseque totidem soles.

Opinio antiquorum de stellis. Implexa fuit apud antiquos desiderum materia quæstio. Xenophanes stellas ex nubibus ignitis compositas somniauit, quæ interdiu extinguerentur, noctu instar carbonum accenderentur. Epicurus, Diogenes, Antipho, & Hecateus putauere terras ex pumicea materia, vt essent quasi mundi spiracula. Anaximander censuit ex aëre formatas, atque in gyrum vt rotas agi, inde ignem concipere & volucres flammas euomere. Anaxagoras statuit esse lapides ignitos, solemque nihil aliud esse quam candens saxum. Mitiganit discipulus eius Euripides qui glebam auream dixit, sed vtrique exitiosa hæc opinio fuit apud Athenienses de Sole, vt de numine sentientes. Plato Cælum & astra credidit ignea, quam sententiam secuti sunt. S. Basilius, S. Ambrosius, S. Iustinus martyr, Theodoretus, Iulius Firmicus gentilium errore adhuc delusus scripsit, *habent stellæ proprium sensum, diuinamque prudentiam; nam puro diuinitatis animata conceptu, summo illi rectori Deo, qui omnia perpetua legis dispositione composuit, ad perennis creationis custodiendum ordinem infatigabilibus consensionibus obsequuntur.* *Astronomicon. lib. 5. cap. 3.* Heraclides atque plerique Pythagorici vnum quodque astrum mundum dixere, quo aër iuxta, terra & aqua continerentur.

Certè cum de astris sermo est, ingens discrimen statuendum inter fixas, & sex planetas Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, Lunam. Illi enim errones, vt in Luna iam videre est, immensi sunt orbes, heterogeneis partibus constantes, non globi homogenei, tersi, politi, crystallini, qualiter multis sæculis existimati. Nullum à se lumen habent, sed à sole instar montium in orbem illustrantur, & coronantur, magnumque habent cum hac inferiori natura commercium.

Excellentia fixarum. At stellæ fixæ longè diuinioris naturæ sunt, quæ ad primigeniam mundi pulchritudinem propius accedat. Primum enim statæ sunt, & hoc habent rerum æternarum argumentum, vt consistant, eosdem semper vultus, eamdem formam referentes. Egentis substantiæ est quod planetæ faciunt torqueri, versari, circumagi, modò in austros ire, modò in Septentrionem rapi, adreptare soli, & à Sole auerti, aggregari inter se, & disgregari; at fixæ manent in ijsdem locis tot sæculis immotæ, suis contentæ bonis, néc de alieno mendicæ. Aciem suam seruant mirabiliter instructam, custodias suas seruant & vigilias, creatori summo fideliter obsecutæ; deinde cùm innumerabiles sint, confusionem nullam habent, nulla à terminis suis exit, vt in alienum locum irrumpat nulla sociatur societate instabili, amicitias habent cælo suppares & mundo. Adde quòd in excelsa mundi sede resident à terrenis contagijs defecatissimæ, & multa mortalibus de altiori suggestu pronuntiant.

Lib. 1. de Cælo cap. 8. Præterea lucent alio nobiliori modò quàm planetæ: nam scintillant & vibrant ex inditæ sibi à Deo non adscititiæ lucis abundantia. Putauit Aristoteles non micare quidem stellas, sed visum nostrum tre-

tremere, quod propius vero non est: nam vt eruditè Scaliger, & Keplerus arguunt, caussa scintillationis est in ipsis stellarum corporibus, in lumine quo abundant, in motu quo rotantur non translatione sed conuersione: certè istud aspectantes longinqua non experimur, vt oculi tremant, & si ita se haberet, hoc in Saturnum tam remotum, tam dissitum intuentibus, saltem aliqua ex parte accideret. Exuberantia igitur est compacti luminis quæ istud præstat, & nisi infinitis quasi spatijs, à nobis distarent, flagrantissimo splendore omnium oculos perstingerent. Qui de astris iudicant, aiunt illas quæ primi ordinis sunt, si cum Sole & Luna aut in quatuor figuræ cardinibus fuerint, mirabiles & supra omnem humanam rationem tribuere felicitates. Hoc se in Carolo V. in Alexandro VI. in Iulio II. in Pio V. in Leone X. obseruasse Iunctinus memorat, qui sæpe illustria sibi fingit somnia.

Iunctinus de stellarum fixarum obseruat.

CAPVT XXII.

De Numero fixarum.

NONDVM terram omnem, nondum illud punctum, in quo fragili gloria regna disponuntur, computauimus. Aperiunt se hominum curiositati noui orbes, noua imperia. Quid putamus fieri in regno Dei, in tam grandi Domo, & tam remotis censoribus? Arrogantiæ profecto est non tolerandæ, credere mortalitatem nostram posse stellas omnes certis numeris atque nominibus constringere. Hoc Dei opus, hæc potentia est. *Qui numerat* (ait Propheta) *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: multa nos in Cælo semper effugient, nouæ fixæ, noui etiam planetæ, propius rimantibus sese prodent. Rerum natura sacra sua (vt loquitur Seneca) non semel tradit, pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat.

Psal. 146. 4.

Magna tamen cura & labore improbo antiquorum effectum est, vt insigniores stellæ firmamenti, quas saltem consequi humana acies potuit, ad certum numerum reuocarentur, & in suos quæque ordines diuiderentur. Itaque iam Ptolomæi tempore stellæ mille & viginti duæ, asterismi quadraginta octo recensebantur, quarum numerum posterior ætas aliquot luminibus auxit. Nunc enim accedunt trecentæ amplius, ab alijs maximè Indiæ Orientalis lustratoribus obseruatæ. A Sinis (vt notat noster Trigaltius) quadringentæ. Hyeme acriori & sereniori plures apparent stellæ quàm æstate, quia frigore aër defecatior & stellæ ipsæ vehementius scintillant, vt habet Alstedius, contra tamen sentit in eo sagacior Robertus Hues tractatu de Globo, ait que hyeme crassiorem aërem esse, vt pote frigore constipatum, ideoque medium densius radios magis refringere & maiorem veri obiecti imaginem oculis obijcere, vnde & Cleomedes ait Solem de profundis puteis ampliorem videri.

Sed hoc dolendum est, quod omnium ferè constellationem nomina de fabulis sumpta sunt apud Græcos, & Latinos apud quos stante adhuc idololatria, hæc studia caluere, siue hoc Poëtarum lasciuia fecit, siue potentissimorum hominum ambitio, qui sua nomina stellis imponi ab adulatoribus studebant, vt iam non in ære & marmoribus, sed in æterna materia inanissimæ gloriæ struerent monumenta. Conon Aulæ Alexandrinæ notissimus adulator sic Berenices comam in astra retulit; sic Hadrianus Antinoum Ganymedem suum consecrauit. Antea homicidas atque prostitutas antecessores eorum Cælo intulecant.

tant, vt non immeritò Patres obijciant eos purissimam Dei domum fœdiorem quoque lupanari fecisse. Hæc cæcæ gentilitatis ludibria, cuius errores detestari, nomina adhuc in stellis & in hebdomadæ diebus retinemus vi quadam ineluctabili consuetudinis.

Iulius Schillerus I.C. Augustanus anno 1627. edidit Cælum Christianum, vbi singulas stellas pijs nominibus appellat. Ita vt Vrsa minor fit sanctus Michael, & Coma Berenices flagellum Christi, Aries S. Petrus, & Perseus S. Paulus: Sed hoc plerisque insipidum. Candidius olim prima Astrorum nomina ab Agricolis & Nautis imposita, frequentius in Cælum intentis. Ab agricolis Aries, Taurus, Caper, Virgo spicifera, Plaustrum, Bubulcus, Auriga, Capella, hœdi & cætera huiusmodi edita; à Nautis Pleiades, nauis ab vtrisque, Hyades, vt notat Keplerus libro de noua stella.

Melius quoque Arabes fabulosis Græcorum appellationibus atque imaginibus hominum abstinent, ex aliqua proprietate cuique siderum apposita nomina rimati, nos communibus vtimur, sicut & Iobi Liber, qui Arcturum & Orionem non aliter quàm Poëtæ nominat. Compendiosè Ausonius omnes globi Aratæi asterismos paucis versibus complexus,

Ad Borea partes arcti iunguntur & Anguis,
Post hos Arctophylax, pariterque Corona genuque
Innixus, Lyra, Auis, Cepheus, & Caßiopeia,
Auriga, & Perseus, Deltoton & Andromedæ astrum,
Pegasus, & Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensque
Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Asterismorum stellæ numeris appositis indicatæ.

VRsa maior habet stellas viginti nouem, Minor septem, Anguis triginta duas, Bootes viginti octo, Corona octo, Genu innixus viginti octo, Lyra vndecim, Auis octodecim, Cepheus quindecim, Caßiopeia viginti sex, Auriga viginti tres, Perseus viginti, Deltoton quatuor, Andromeda viginti tres, Pegasus quatuor, Delphinus nouemdecim, Telum quinque, Aquila duodecim, Anguitenens viginti quatuor, Aries viginti & vnam, Taurus quadraginta tres, Gemini viginti quinque, Cancer quindecim, Leo triginta, Virgo triginta tres, Libra decem, Scorpius decem, Arcitenens quatuordecim, Caper viginti octo, Amphora quadraginta & vnam, Pisces triginta sex.

Numerus hic à diuersis diuersè traditur. Metius in globo iuxta Tychonem dat Draconi 36. Cepheo 19. Bootæ 18. Ophiuco 15. Pegaso 20. Delphino 10. Eridano 43.

Ad Austrum vergunt.

Orion, Procyon, Lepus, Ardens Syrius, Argo.
Hydrus, Chiron, Thuribulum quoque, Piscis, & ingens.
Hinc sequitur Pistrix, Eridanique fluenta.

Orion habet stellas quadraginta duas, Procyon tres, Lepus quindecim, Syrius tres, Argo quadraginta quinque, Hydrus viginti sex, Chiron triginta septem, Thuribulum septemdecim, Piscis nouem, Pistrix viginti duas, Eridanus triginta quatuor. Hæc glomeratim prolusionis caussa.

Nota porrò Vrsas, Coronam, serpentem, piscem ab alijs bis numerari, quia duæ eiusdem nominis constellationes, inueniuntur, quibus si addas Coruum, Craterem, & Lupum, efficies 48. non est autem mirum si magna sit inter authores non tantum in numero stellarum, sed in ipsis etiam asterismis percensendis varietas, quia posteri facile priorum inuentis addidere, ij præsertim qui tubis opticis vsi sunt.

Plinius lib. 2. cap. 41. numerum 72 signo-

gnotum agnoſcit, Alfraganus conſtellationes 48 numerat, Germanicus Cæſar & feſtus, Annicius & Rufus Aratum ſecuti; pauciores ſtatuunt, Auſonius cum Hygino facit, qui tantum 42. recenſet. Americus Veſputius, quique ad meridiem nauigarunt, teſtantur Cæli partem Auſtralem multis & clariſſimis ſtellis hactenus ignotis conſpicuam, inter quas Triangulus, Pauo, Camelus, Auis Indica, Grus, Columba Noë, Phœnix &c. numerandi finis erit, cum erit ſatietas addiſcendi. Præterea notant aſtrologi diuerſas magnitudines, & aiunt primæ magnitudinis eſſe, 15. ſecundæ 45. tertiç 208. quartæ 474. quintæ 217. ſextæ 49. Tycho Brahe in tabulis vulgatis omnes vſque ad minutas luſtrauit atque percenſuit: is exhibet centum ferè ſtellas ab antiquis haud numeratas, quibus adde Galaxiam, exilium ſtellarum ingenti agmine conſperſum. Nunc de ijs plenius.

Theon Arati Scholiaſtes. Vrsa minor ſeu Cynoſura Primus inter Græcos, Thales hanc conſtellationem obſeruauit indito Canis nomine, quod eius beneficio cæteras ſtellas quaſi venaretur & inueſtigaret. Alij Cynoſuram dixere, à Cynoſura Iouis nutrice vna ex Idæis nymphis. Vrſam minorem maioris Vrſæ vicinia fecit, quamquam nec vtrique forma hæc conſtat. Conſultiùs Arabes Plauſtrum appellauere, à cuius figura non abludit: ſtellas habet ſeptem: tres ſunt in formam ſemicirculi polo viciniores: hæ vrſæ (vt imaginantur) cauda. Quæ polum proximè attingit, ſtella polaris nuncupatur. *Medina de nauigatione.* Quatuor deinde ſtellæ in quadrum, quarum duæ priores in capitis vrſæ vertice, Χορευται, à nautis vigiles ſeu circuitores Cæli nominantur, quod orbem continuum verſando circumeant, & quaſi inſpiciant omnia. Quæ ex duabus maior & lucidior, prima vigilum, & Cæli horologium eſt, quia intra ſpatium 24. horarum polum ambit, & deſignat tempora. Habet certè Cynoſura ingens priuilegium, quod propriè ſtella maris audit, & grande nauigationis opus prima direxit. Nec iam nobis fabuloſam nutricem Iouis, ſed mundi Dominam ſanctiſſimam Virginem exhibet. Eadem magnetica ſtella, poſtquam mirabili amore in eam magnes viſus inclinare. Hæc nobis, ſi audimus, ſi ſequimur, cæli cupidinem exemplo magnetis inſpirat, hæc ambiguos vitæ curſus in Deum dirigendos mouet, hæc Mariam viæ ducem inſinuat, ad quam niti, ad quam formari par eſt Dei ſimilitudinem cogitantibus.

Vrsa maior Appoſitè S. Auguſtinus conuicia ſtellis fieri querebatur, à quibus hæc vrſa non immunis. Eximium ſcilicet ſidus, poëtæ infamia polluerunt, dictitantes fuiſſe illam Lycaonis Arcadum regis filiam Helicem nomine, à Ioue compreſſam, à Iunone in vrſam deinde conuerſam, mox adulteri ſui miſeratione tranſlatam in ſidera: hæc ars dæmonum fecit, vt laſciuiam commendaret quando Cælum pellicibus aperit. Procul iſtæ nugæ! Vrſa maior nobiliſſima conſtellatio eſt, ad polum Arcticum ſupra horizontem nobis ſemper extans, & ſerenis noctibus vndique conſpicua. Hanc à Nauplio primum obſeruatam Theon aſſerit, Plauſtrum quoque nominatam, quod ſeptem eius ſtellæ lucidiores currus figuram efficiant. Conſtat ſtellis 35. quarum 27. manifeſtiùs videntur, octo informes difficiliùs deprehenduntur.

Hanc Græci in nauigationibus ſunt ſecuti, atque inde Ἑλίκας vocatos à Homero Theon ſcribit; Phœnices Cynoſuræ magis adhæſere: rariſſimæ notæ eſt quod habet Robertus Hues in globo, maioris vrſæ ſtellas.

Benethnasab Arabibus vocitatæ ... funerei filias. Stant enim in hori...

plaga, à solis auersa radijs, & quæ subiacent illis terræ, per sæuitiam frigoris incultæ vrsis habitatoribus gaudent, quos æternarum ferè niuium aspectus candidos creat. Inde vrsæ dictæ sunt illæ septentrionales stellæ, longè significantiùs quam à ficta Helice & deformi poëtarum commento. Apte quoque feretri filiæ audiunt, quod ex ijs regionibus feræ nationes in orbis dominium venerint, quæ tam sæpe mortes & vastitatem regnis intulere.

Draco inter ambas Vrsas lato corpore funditur, Helices caput, Cynosuræ caudam tegens; flexuosæ illi stellæ serpentis nomen fecere. Poëtæ illum esse voluerunt qui in hortis Atlantis poma aurea Hesperidibus nymphis à Iunone commissa, vigili custodia cingebat. Hæc tandem ab Hercule fabuloso direpta, ipso custode interempto, quem dominæ suffragium ob nauatam fideliter operam, in Cælum transcripsit. Quod figura nomen facili inuento dederat, mendacijs auxere: triginta & vnam stellas habet Europæis, semper conspicuas, quibus nunquam occidit.

Cepheus. Lucianus libro de Astrologia scribit Æthiopes primos Astrologiæ inuentores fuisse: hos inter Cepheus Rex potens & inclytus Astrologus, Cassiopeiæ coniux, & Andromedæ pater. Rex Solis fertur appellatus, quod soli totus esset addictus, cuius in honorem quasi bonorum omnium largitoris mensam perpetuam instituit cibis optimis refertam, qua lautè hospites excepit. Inde æquius aliquanto quàm Vrsæ & Draco in Cælum à ciuibus suis cum vxore & filia est relatus. Prætet duas informes prope tiaram xi. stellas habet, quarum quæ numero quarta est, Alderamin hoc est brachium dextrũ nominatur.

Bootes seu Arctophylax ineptè semigræculi quidam Arabes hoc sidus vociferatorem appellauere, cum Bubulcum dicere debuissent Fabularum authoribus is est Arcas, Iouis & Elices seu Callistus Vrsæ filius, cum matre in ætherea sede collocatus; placuit Agricolis Bubulcum nuncupare, quod vtrique plaustro Cæli tanquam custos videatur affixus: huius inter crura micat stella primæ magnitudinis, Arcturus nomine, quem terræ marique vehementissimo significatu oriri scribit Plinius. Huius quoque constellationis meminit Iobus cap. 9. v. 9. *Qui facit arcturum, & Oriona, Hyadas, & interiora Austri.* Putat sanctus Hieronymus indicari per verbum Hebræum עש quod congregationem significat. Sed melius Orioni conuenit hæc appellatio ob grandem stellarum multitudinem ex qua componitur: nec frustra Hesychius nominum scientissimus notat in Onomastico Booten à quibusdam Orionem nominari: constat tantum stellis 22. quæ ferè omnes naturam Saturni & Mercurij sequuntur.

Corona Borealis. Hanc figura satis prodit, appellationemque firmat in orbem voluta instar coronæ, Ariadnes ornamentum Poëtæ finxere: pulchritudo eius fecit vt flos Cæli, & pupilla à plerisque nominaretur quod Alstedius notat: constat tantum stellis octo satis conspicuis cuius exortu flare ventos, & ingruere tempestates Ptolomæus indicat, non sine augurio turbidæ conditionis Regum, quorum vita in altissimo fastigio posita, sæpius aduersis casibus incurrit.

Hercvles ἐν γόνασι, Pingitur in globo vir genu nixus, æstuanti similis & valdè laboranti. Omnes ferè Herculem ex claua interpretantur. Plerique tamen, vt notat Alstedius, Prometheum putant, hominem multiscium, & præ cæteris mortalibus anxiũ, cui deesse locus inter sidera iuxta poëtas non debuit, arcana Cæli tam sagaciter rimanti, stellas illi ascribunt 29. quamquam Ro-

Robertus Hues octo tantum agnoscit, quæ sint alicuius notæ.

Σοφὸς ἁρμονίας πατήρ. Hymno 9.

Lyra. Eleganter Synesius hymno nono Cælum vocat sapientem harmoniæ patrem, nam inde concentus totius naturæ. Quid mirum igitur si Lyram habet æther, qui totus lyra est? Sed poëtæ multa turbant, qui vnius organi tot faciunt dominos Appollinem, Mercurium, Orpheum, Arionem; alij de Lyra auem, alij belluam marinam fecere, tantum cuique imaginanti licet: constat stellis decem iuxta Hipparchum & Ptolomæum, quarum vna lucidissima inter primæ magnitudinis stellas nomen habet.

Cygnvs Benè iuxta Lyram olorem posuere, auem secundùm fabulas musicam hunc volunt esse in quem se poëtarum Iupiter transformauit Ledæ pudori insidiaturus: sed hoc friuolum. Nos constellationem agnoscimus ex stellis 17. compositam: auxit tamen censum an. 1600. noua stella in eius pectore mirabiliter enata, quæ multorum exinde Mathematicorum curas exercuit. Vicit omnium ingenia illustris Keplerus singulari libro de hac noua Ætheris sobole conscripto.

Cassiopeia Hæc Æthiopum Regina, Cephei coniux, & Andromedæ mater, Regem maritum Astrologorum tum celeberrimum, in Cælo comitata, iuxta commentum Æthiopum. Nobis sidus est septemdecim ignibus ardens quod an. 1572. omnium oculos in se conuertit, omnium ora reserauit: fulsit enim in hoc asterismo ingens stella, primæ magnitudinis, per menses vndecim, quæ de throno cælesti duras leges scripsit rebus humanis, tantis posthac cladibus orbe concusso. Parturiri de cælo noua hæc sidera Mathematici complures volunt. Negat tamen Lambertus Danæus Physices Christianæ tractatu 4. cap. 10. qui hæc de nouo apparere, non de nouo nasci putat: quo in genere ponit stellam Maiorum, quam vnam ex stellis ab æuo conditis statuit, quæ tamen cursum singularem tunc tenuit. In ea sententia sunt aliqui Patrum, atque inter cæteros Gregorius Nyssenus, & Astrologi qui non putant vulgares Cometas terræ fumos stellarum nomine rectè censeri.

Persevs, nominatissimus in fabulis & amputato Medusæ Gorgonis capite clarissimus, quod etiam tum in cælo videtur ostentare fabularum sectatoribus. Sidus est ex 26. stellis conflatum inter quas illa Medusæ ceruix, tristissima cæli fax, & omnium ferè gentium sensu ominosa, funeream S. Thomas nominat libro de fato: iudiciarij in suis effatis, omnes violentam prædicant & auersantur, præsertim luminaribus in aspectu maleficarum coniunctam. Hebræi ipsi appellant caput Dæmonissæ Litidis quæ puerperis insidiatur noctu, vt infantis excarnificet.

Avriga, seu Heniochus Græcis Erichthonius, Vulcano per infamiã genitus, in Turcarum mappis mulus est clitellatus, stellas habet 14. & has inter capellam in primarios cæli ignes relatam: Duæ quæ in manu sinistra, sunt hædi Virgilio non incogniti: nam cauendos hædorum dies notat in Georgicis, qui nobis circa 7. diem Martij occurrunt.

Ophivcvs siue Serpentarius. Fabulæ Æsculapium sibi fingunt à Patre Apolline inter cælestes globos relatum, ne Medicinæ suus honor desit: Mauris grus aut ciconia serpenti insistens videtur. Habet stellas 24. & 5. informes. Anno 1605. auctus nouâ stellâ, quæ apparere cœpit mense Octobri, Februario autem anni sequentis disparuit.

Sagitta, sagittam quinque stellæ suo ordine rectè dispositæ satis produnt.

Aqvila Iouis ministra raptrixque Gany-

Ganymedis, à fabulis consecrata. Constellatio est ex nouem stellis confecta, præter sex informes, quas arripuit Hadrianus Imperatorum curiosissimus, vt Antinoi sui nomine insigniret, cognatione vtique Ganymedis sat infamis.

DELPHINVS, Vector Arionis, vt Poetæ volunt, melius ab Astrologis sic dictus quòd mense Decembri oriatur, signetque pluuias ac tempestates: Constat decem stellis Saturni & Martis affinibus.

EQVICVLVS, est equi sectio, quatuor stellis iisque obscuris, vix nota, idcirco laborare oportet penuria figmentorum Astrologos, dum ad Equiculum confugiunt, vt mira illi ascribant.

PEGASVS Poëtarum totius pedestrium Equus volans, stellas obtinet 10. Alij Bellerophontem appellant, indignati quòd excluso sessore iumentum inter astra constituatur. Nulla ratio naturalis, aut figura corporis, nomen istud sideris satis apertè vendicat.

ANDROMEDA Cephei & Cassiopeæ filia, ad saxum religata, & immani Pisci ad liberandos patriæ fines exposita, à Perseo deinde liberata, adhuc tamen catenata inter astra fingitur, nobile sidus est quod tres supra viginti stellas habet.

Triangulum siue Deltoton 4. stellis definitum satis à forma nomen firmat.

Iam sequuntur duodecim signa Zodiaci præ cæteris illustri obseruatione conspicua, & nominibus ad proprietates rerum magis alludentibus expressa.

PRIMVM est *Aries*, quia duodecim signis Zodiaci præit, vt Aries gregi: Helles & Phryxi vector memoratur à Poëtis, sed Lucianus Hellem & Phryxum Ariete vectos voluit, quòd Astrologiæ studiosi hanc constellationem vigili cura obseruassent. Principatum non immeritò tenet inter astra Zodiaci, vt Aries in grege, quia principium est sectionis septemtrionalis, quæ australi longè nobilior. Deinde quia potitor vernus nominatur, & ver primam & nobilissimam anni tempestatem affert, & ab eodem annos & tempora Astrologi ordiuntur.

TAVRVS Europæ portitor apud Poëtas, longè clarius nomen habet quod cum aperienti se terræ, signum præficitur sationi natum, & agriculturæ laboribus inclytum. Nobilissima certè constellatio quæ stellas tres supra triginta numerat. In capite eius sunt Hyades, seu suculæ, sic dictæ, vt Heroni Mechanico placet, quod Υ Græci formam referant, potius quam quod sint pluuiarum effectrices ἀπὸ τοῦ ὕειν quod est pluere. In dorso sunt Pleiades à nauigationis tempore quod indicant sic appellatæ, πλεῖν enim nauigare significat, vel quod πλείονες sint, id est plures glomeratim sparsæ. Inter Hyadas illustrissima est, quæ in oculo Tauri, *Aldebaram* Arabibus, Palilicium à Romanis dicitur, à Græcis λαμπαδίας, miræ claritatis & in genituris, (vt iudices volunt) potentissimæ virtutis. Ortum eius antiqui Romani computabant xj. Kalend. Maij qui vrbis natalis fuit.

GEMINI alijs Castor & Pollux, alijs Apollo & Hercules, iuxta Poëtas: Arabibus *Algeuze* Græcis etiam Basso & Hygino testibus, τρόποι, quia proximam Solis τροπὴν, seu solstitium indicant. Apertissimè nobis *Gemini* vocantur, quod in eo signo geminatus sit dies, vt qui Hyeme erat 8. horarum, tum fit sexdecim sub Geminorum finem. Hæc constellatio 18. stellas habet, quarum vna in capite gemini præcedentis appellatur Castor, Apollo, Aphellam Arabice; secunda in collo gemini sequentis, Pollux seu Hercules. Gallucius ait geminorum stellas ita se habere, vt occidente vna, oriatur altera, quæ ratio fabulæ locum dedit, Castores alternatim nasci & mori.

Pin-

Pinguntur velut infantes, quia natura tum vndique parturit, & multa se rerum sobole coronat.

Cancer. Ridiculè poëtæ illum esse volunt qui Herculem ad fontem Lerneum morsu impetierit, ideoque à Iunone astris insertum: manifestissimè hoc nomen habet, quod tum sol instar cancri retro se agere, & à Septemtrione in Austrum redire videatur. Stellas habet tantum 9. quarum quarta & quinta vocantur aselli; & vna in pectore nebulosa præsepis nomen obtinet. Pingitur hac specie 69 geminis veluti chelis sibi aduersis, quò Solis accessum & recessum indicet, vt Nannio placet.

Leo, poëtis est ille Nemeæ syluæ terror, ab Hercule domitus, & à Iunone cælo inditus. Nobis Leo est, quod tum flagrantissimus Solis ardor calidam Leonis temperiem referat. Stellas habet 27. quarum vna in pectore præclarissima, cor Leonis nuncupatur, à Græcis βασιλίσκος, à Latinis *Regulus*. Sub hoc nasci reges aut principes, Chaldæi volunt, huic Cæli imperium attribuunt. In extremo caudæ altera quoque fulgentissimus est, quæ inter stellas primi nominis sedem habet, character illi instar caudæ Leonis reflexæ.

Χαλδαῖοι νομίζουσιν ἄρχειν αὐτὸν τῶν οὐρανίων, *Sichardus*.

Virgo Astræa est Poëtis nominatissima, Iouis & Themidis filia, quæ fertur in terris vixisse, à consortio hominum remota, castitatis amans & iustitiæ, cuius leges scripsit mortalibus: Terra deinde per iniustitiam pessumdata, humanis se substraxit oculis, in æthereum sedem, assumpta ab alijs Syrorum Atergatis, Fortuna, Ceres, Isis, pax, iustitia nominatur. stellas habet 26. quarum decimatertia alæ dextræ, præcedens vindemiatrix vocatur, quia paulo ante vindemiā oritur, decima quarta in sinistra manu, spica; quia sub hoc sidere messes fiunt. Præclarè autem Virginis nomine signatur, quia tum natura parere desinit, & per hanc notam exprimitur, quæ vt ait Nannius, initiales literas nominis Nymphæ significat.

Libram antiqui cum Scorpione confudere, vnde & chelas quæ sunt Brachia scorpionis appellarunt, nunc autem libra est, quod Sol in hoc cælestis iustitiæ Throno constitutus, dies & noctes æquali mensura velut per libram dispenset: stellas habet 8. inter quas Lanx meridionalis inter primæ lucis faces nomen sibi vendicat.

Scorpionem in stellas transcriptum Poëtæ volunt, quod Orionem Tyrannum in deos contumeliosum occidisset. Melius nos Scorpionem appellamus, quia tum primum frigoris aculeum sentimus: stellis viginti & vna est insignitus, quarum Genethliacis violentissima cor Scorpionis & *Antares* nominatur, malignaque vi prædita censetur.

Sagittarius Poëtarum est Chriron, ex homine & equo compositus, candidius, à nobis arcitenens dicitur, quia tum Hyems sagittas niuium, grandinum, pluuiarum in nos mittit. Triginta & vno fulget ignibus, Iouisque domus censetur ab Astrologis.

Capricornus Solis limes Austrinus sic appellatur, quod tum Sol instar Capræ quæ pascendo semper altum petit, ab imis ad nos redeat, paulatimque se nobis erigat, Platonici per hunc animas ascendere dixerunt, per cancrum demitti. Stellis 28. insignitus gaudet, & primus incrementa lucis notat.

Amphora Poëtarum Ganymedes aquam fundens ex Hydria, alijs Deucalion est sub quo diluuium, stellas 42. numerat & per aquæ fusionem exprimitur, quod tum pluuiæ frequentes & fluuiorum incrementa.

Pisces fabulis in cælum venēre per A-

tergatidem ſyrorum deam, quæ in piſcem fertur eſſe conuerſa. Simplicius & verius piſces dicti, quod ſub hoc ſidere regnum aquarum & piſcium. Stellas habet 34. & ſecunda Iouis domus ſtatuitur ab aſtrologis.

Cetus poëtis is eſt quem Perſeus occidit, erepta de faucibus eius Andromeda: nobis conſtellatio eſt viginti duabus confecta ſtellis.

Orion fabulatoribus eſt Neptuni & Euryales filius, gigas immanis, venator & bellator, vnde & hoc nomen ſideri vaſto & terribili ſupra cæteros cæli ignes impoſitum. Ab Hebræis & Arabibus *inſana ſtella* dicitur, quod ortu ſuo tempeſtates commoneat, mundumque conturbet. Ab alijs Iugula & Iuglans, quod ſtellæ eius ſint vt nuces in ludo puerili diſpoſitæ, quibuſdam etiam aratrum, quod ab hac forma non diſcrepet. Iobus iuxta Hebræam literam dixit; *numquid cohibebis delicias Pleiadum aut lora Orionis diſſolues?* alludens ad ſtellarum compoſitionem quæ vt funiculo directa eſt, atque conferta; nimboſus & pluuius frequenter à Poëtis deſcribitur, quia illis ſub initium hyemis oritur, quo pluuiæ frequentes. Inde orion quaſi vrion, vrinator: nam ex vrina natum ridiculè myſtici dixere.

Cœlit aſugia.

Iob. 38. 31.

Eridanus Etruriæ fluuius nomen dedit ſtellis inſtar fuſionis aquæ diſpoſitis numero 34. alij Nilum potius dixere longè celeberrimum: inter iſtos & Auienus.

Pharium pars altera Nilum,
Commemorat largè ſegetes quod nutriat anni.

Nec ignarus ſideris huius Plautus qui ſcripſit in Trinummo. *Ad caput amnis quod de cælo exoritur ſub ſolio Iouis.* Extrema eius ſtella dicitur Acarnar inter primas Cæli faces conſtituta.

Lepus eſt conſtellatio parua ſub pedibus Orionis, placuit enim vatibus, venatori leporem adiungere, ſtellas habet duodecim crediturque Iudicibus aſflare, metum naſcentibus & celeritatem, ad mala quippe declinanda perutilem.

Canis quoque Orioni famoſiſſimo venatori comes additur inter aſtra. Signantius inde ſideri nomen eſt, quod ortu ſuo canes vehementer afficiat, agatque in rabiem. Mirabiles illi effectus Poëtæ & hiſtorici aſcribunt, quos in his plagis tantos non experimur: *feruent maria exoriente eo* (inquit Plinius) *feruent in cellis vina, mouentur ſtagna, canes quidem eo toto ſpatio maximè in rabiem agi non eſt dubium.* Habet ſtellas 18. vna in eius ore lucidiſſima fax Cæli, Veneri prope æqualis apparet cuius exortu Ægyptij annum ſuum definiere.

Procyon ſiue Antecanis minor, ſic dictus quod Paulo ante canem oritur, ſtellas tantum duas numerat omnium conſtellationum breuiſſima.

Argo nauis Argonautarum, inter ſidera quoque à Poëtis fertur collocata, & quidem numeroſa ſtellarum ſoboles vt cui 45. tribuuntur. Præclariſſima eſt, quam Canopum ab vrbe Ægypti, vel à gubernatore iſtius famoſiſſimæ nauis Canopo Amyclæo nominarunt ab alijs currus appellatur quod & nauis ἅρμα θαλάσσης à Poëtis dicatur.

Hydra Herculis laboribus celebrata Cælo quoque aſcribitur, & in aſteriſmis Almageſti aſugia quaſi furioſa dicitur, quod Orioni magis conuenire interpretes cenſent, ſtellas numerat 25. inter quas eminet cor hydræ quod Alpharad Arabes vocant.

Centaurus qui & ab alijs Minotaurus dicitur ſtellis 31. inſignitur quarum quæ in poſterioribus pedibus ſunt, effingunt crucem illam adeo Hiſpanorum nauigationibus celebratam. Crux inſerta monſtro occaſionem fingendi dedit Aſtrolo-

logis sub hoc sidere nasci Hypocritas, & monstrosos sacerdotes, quod vanissimum est.

Ara siue Thuribulum stellas habet 7.

Piscis Austrinus 12. Eius in ore quæ conspicitur lucens inter primarios mundi ignes numeratur, vulgo Fomaham seu Phomaham quod os piscis significat.

Adduntur his Crater, & Coruus vterque 7. stellis constans. Corona australis cui 13. Lupus cui 19. tribuuntur. Deinde via Lactea, multis ijsque minutulis stellis sparsa.

STELLÆ PRIMÆ MAGNITVDINIS XV. NVMERANTVR.

Arcturus.
Lyra.
Capella in auriga. Alaior dicta Arabice.
Cor Leonis seu Basiliscus.
Cauda Leonis.
Spica Virginis.
Fomaham vltima Aquarij.
Orionis humerus dexter.
Sinister pes Orionis Regel.
Acarnar seu extrema Eridani.
Canis Maior.
Procyon.
Canopus est in temone Argus nauis.
Pes Centauri dexter.
Aldebaram oculus ♉

Possunt ita versibus comprehendi.

Aldebaram, Arcturus, Lyra, cor, & cauda Leonis,
Spica, Capella, Canis, Procyon, Centaurus, Acarnar,
Pes humerusque Orionis, fomaham, atque Canopus.

POLYONYMÆ.

Aquila & vultur volans idem.
Lyra, vultur cadens.
Pleiades seu Vigiliæ in dorso Tauri.
Hyades, suculæ, Atlandides in cap. Tauri.
Oculus Tauri vna Hyadum lucidior.
Spica Virginis Alacel & Asimel Arabicè.
Vindemiatrix, Alasaph in Virgine.
Libra, Chelæ seu brachia Scorpij.
Canis, Syrius, Alhabor.
Canis minor, Algomisa.
Thuribulum, Lar, Ara, Puteus.
Corona Austrina, Rota Ixionis.
Hædi, duæ paruæ stellæ in manu aurigæ.
Aselli duæ stellæ in Cancro.
Præsepe, stella nebulosa inter asellos.
Polaris tertia, cauda.
Reliquæ duæ circitores.

XOPEYTAI.

Stellæ quoque Regiæ à Iudicibus dicuntur oculus Tauri, cor Scorpij, Spica Virginis, Hercules, Fomaham, Seus os Piscis Austrini, cor Leonis, Lanx meridionalis libræ. In violentis quoque numerantur oculus Tauri, cor Scorpij, Hercules, & caput Medusæ.

LOCA FIXARVM PRÆCIPVARVM.

Vrsa minor in geminis, Cancro & Leone.
Maior in Leone, & Virgine.
Draco in Sagittario, Ariete, Leone.
Cepheus in Tauro & Ariete.
Bootes in Libra.
Corona in Scorpione.
Hercules in Scorpione & Sagittario.
Lyra in Capro.
Olor in Capro, & Aquario.
Casiopeia & Perseus in Tauro.

Auriga in Geminis.]
Herculis alius in Cancri 18.
Regulus Leonis 24.
Spica Virginis, Libræ 18.
Lanx meridionalis Scorpij 9.
Cor Scorpij Sagittarij 4.
Fomahan in fine Amphoræ.
Medusæ caput Tauri 21.
Ophiucus in Sagittario & Scorpione.
Aquila in Capro.
Delphinus in Aquario.
Pegasus in Piscibus.
Andromeda in Ariete.
Triangulus in Tauro.
Aries ferè totus in Tauro.
Et Taurus in Geminis, & sic consequentia.
Orion in Geminis.
Eridanus in Tauro.
Lupus in Geminis.
Canis vterque in Cancro.
Argo in Leone.
Hydra in Virgine.
Crater in Virgine.
Coruus in Libra.
Centaurus in Scorpione.
Ara in Sagittario.
Rota Ixionis in Capro.
Piscis notius in Amphora.
Præsepe in Leonis gradu primo.
Aselli in secundo & tertio.

CAPVT XXIV.

De distantia & magnitudine stellarum fixarum.

VETERIS Astrologiæ principes, Hipparchus & Ptolomæus, hanc partem tamquam nimis abstrusam, & mortalibus oculis imperuiam reliquere. Neque enim satis verecundum illis videbatur nec tanta nominis claritate dignum, ea tentare quæ supra humani ingenij vim essent, ea asseuerare quæ dubijs omnino rationibus, & leui coniectura niterentur. Primus Albategnius vir Arabs, improbo ausu affixarum magnitudines aggressus est, computata illarum à centro terræ distantia, ex apparente diametro, quam methodum posteriores Astronomi consecuti, multa se clarius vidisse & deprehendisse acutius labentium temporum beneficio putant. Itaque cum à Tychone ostensum sit, supremos Saturni circuitus à medio attolli semidiametris terræ 12900. conueniens Blancanus noster putat affixas paulò altius collocatas esse. Cumque nec de soliditate, nec de crassitie firmamenti satis constet, mediam quamdam cæteri recentiores ineuntes viam existimant fixas à centro terræ 14000. semidiametris ipsius terræ distare. Deinde de apparenti diametro diligenti perquisitione habita, constituunt stellas primæ magnitudinis continere terram septuagesies, secundæ, vicies octies, tertiæ, vndeuicies; Quartæ denique & quintæ paulò terram superare; sextæ à terra superari. Sed vt superiùs dixi, existimo in istis audaces esse atque industriosos hominum conatus, verum huic mortalium visæ coniecturas, alteri veritatem reseruari.

CAPVT XXV.

De motu affixarum.

NON est obscurum fixas omnes, siue solido firmamento, quasi claui inhæreant, siue in permeabili Cælo solutæ moueantur, diurno motu vt cætera circumagi, sed ingens præterea arcanum compertum est, iam antiquis suspectum & posteris longa experientia confirmatum, eas nempe motu proprio, quamquam eo tardissimo ad signorum consequentiam instar pla-

planetarum progredi, itaut ire nemo eas intra humanæ vitæ curriculum deprehendere possit, ijsse posteri ex priorum obseruationibus facile colligant. Thales Milesius qui sub Cyro Rege floruit, obseruauit constellationem Arietis, Æquinoctij Verni intersectionem duobus tantum gradibus antecedere. Meton Atticus qui postea vixit, in ipsa intersectione collocatam animaduertit. Qui illi successit Timocharis, duobus gradibus inde abscessisse cognouit, cæteri deinde qui varijs sæculis obseruauere, defecisse, defecisse ab eodē scopo perpetuo certorum graduum augmento clarissime videre & nunc 27. partibus abest ab illo Æquinoctij puncto, quo Meton aspexit, siue Æquinoctij puncta paulatim in præcedentia progredi, siue affixas ipsas testudineo gradu à suis locis prouehi constet. Itaque cum vetustissimi Astronomorum Thales & Eudoxus viderent Æquinoctia suo tempore fieri circa initium Asterismi Arietis, non immeritò principium quoque Zodiaci in eo sidere constituerunt. At Hipparchus qui fuit illis posterior, animaduertens æquinoctia & solstitia certis stellis haudquaquam alligata, duos Zodiacos constituit, quorum vnus esset signorum, alter Asterismorum, quod recentiores quoque hodie Astrologi sequuntur. Primus ab Æquinoctio verno incipit, secundus à prima Arietis stella. Tam lentus vero est huiusmodi stellarum affixarum motus, vt intra annos 100. conficiant tantum gradum vnum, minuta 25. in annis 400. gradus 5. ex quo inueniemus requiri annos 28800. vt suam circa polos Zodiaci periodum absoluant. Is est annus magnus Platonis, cæterorumque philosophorum placitis celeberrimus, quo exacto putant mundum sæpius interijsse, vel aqua vel igne, sæpius quoque interiturum, & instar Phœnicis, ex suis reliquijs renouandum.

CAPVT XXVI.

De ortu & occasu stellarum firmamenti.

QVÆ de ortu & occasu Astrorum in Sphæra circumfertur diuisio, in Cosmicum, Chronicon, Heliacum, nec claris nec proprijs terminis constat. Quid est enim oriri astrum Cosmico seu mundano ortu quando mane oritur cum Sole? Num cæteræ quoque stellæ quæ noctu supra Horizontem ascendunt motu, cosmico oriuntur, hoc est conuersione cæli quod hîc appellatur mundus? Quid est oriri sidus chronicè, seu temporaliter, num omnia suis temporibus oriuntur? Paucis igitur & perspicuis verbis dicam. Primum necesse est stellas motu diurno intra 24. horarum spatium quotidie oriri, quotidie occidere. Sed de hoc ortu atque occasu siderum, quia frequentissime recurrit, nulla quæstio est. Alium nempe quærimus quo anni tempora, designari solent, & quî fit ex Solis ad inerrantes stellas, vario aspectu, accessu & recessu: licet enim fixæ tardissime proprio motu moueantur, singulis tamen annis lustrantur à Sole. Ideo diuerse oriri & occidere dicuntur. Omnis autem ortus aut occasus stellarum est Horizontalis aut solaris. Ortus Horizontalis est ascensio astri supra Horizontem: occasus Horizontalis est depressio Astri infra Horizontem. Ortus autem Horizontalis matutinus qui vulgo Cosmicus dicitur, fit quando Astrum vna cum Sole mane oritur, sic oriri dicitur Taurus Aprili mense. Ortus Horizontalis vespertinus seu Acronychus qui barbare Chronicus dicitur, fit cum ad Solis occasum stella ex Oriente emergit, sic Sole Oriente, mense Octobri in Scorpione, Pleiades noctu visuntur in Tauro. Occasus Hori-

rizontalis qui impropriè Cosmicus, fit cum astro aliquo oriente, id quod illi ex aduerso est, occidit. Sic oriente libra, Aries dicitur occidere: ortus Heliacus siue solaris est apparitio Astri, quod antea Solis radio latebat immersum. Occasus Heliacus est occultatio Astri ob Solis viciniam: signum autem quod occidit mane cosmice vt appellant, Sole scilicet oriente, idem Sole occidente necessario consurgit Achronicè, & initio noctis ad ortus apparet: sic mense septembri dum Sol est in Libra, Aries qui mane mergitur, idem nocturno conspicuo se lumine efferet supra Horizontem. Dici autem satis non potest quo studio Antiqui in eam ortus & occasus siderum notitiam incumberent, vt fere tota in illis eorum Astrologia verteretur, præsertim Planetarum motus ignaris. Poëtæ in eo ambitiosis descriptionibus luxuriant ex ortu & occasu Astrorum tempora vbique designantes: sic Virgilius sationem frumenti faciendam indicauit, Octobri mense, Sole existenti in Scorpione, quo scilicet oriente Pleiades quæ sunt in Tauro occidunt, occasu Cosmico, sic autem loquitur.

Ante tibi Eoa Atlantides abscondantur, — Virgil. 1. Georg.
Debita quam sulcis committas semina.

Eadem autem Pleiades quæ occasu Cosmico mane occidunt, vesperi ortu achronico oriuntur: Idcirco Ouidius de eodem tempore cecinit,

Vt careo vobis Schyticas relegatus in oras, — Ouid. l. 1. De Ponto Eleg. 9.
Quatuor Autumnos Pleias orta facit.

Idem Vir describit ab ortu Cosmico Pleiadum, quæ iuxta Columellam oriuntur secundo maij.

Mox vbi transierit, calumue rubescere primo.
Ceperit, & tacta rore querentur aues.
Pleiades incipient humeros releuare paternos,
Quæ septem dici, sex tamen esse solent.

Alludit ad filias Atlantis stelliferi, & vnam ex Pleiadibus obscuram: sic Virgilius Solis in Taurum ingressum, qui eius tempore fiebat Romæ 17. Aprilis, describit his versibus.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & aduerso cedens canis occidit Astro.

Canis autem, vt ait Iunctinus, occidit Romæ cum 22. gradu Tauri, quare Sole vesperi descendente, canis quoque conspici vesperi desinit, occasu scilicet Heliaco. De ortu verò Achronycho intelligendus Ouidius dum canit.

Nauita pupe sedens, delphina videbimus inquit, — Ouid. 6. Fast.
Humida cum pulso nox erit orta die.

Sole scilicet existente in Geminis, mense Iunio noctu oriebatur Delphinus qui Romanis est 19. sagittarij.

Hippocrates in libro de aëre & aquis inter cætera monet ortus Astrorum considerandos, præcipue caniculæ, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum. Morbi enim his maximè diebus indicant, alij perimunt, alij desinunt. Galenus quoque monet ægrotos ne se manibus medicorum Astrologiam ignorantium committant, quia vt ipse ait, medicamina parum iuuant, imo sæpe nocent temporibus incommodis adhibita. Non puduit Iulium Cæsarem post laureas currusque triumphales, Sosigeni operam dare, vt anni rationem siderumque ortus & occasus disceret: hæc Ciceronem, hæc Virgilium, & Ouidium, hæc Plinium & Columellam cura exercuit. Mirum tamen quantum in ea re sit Authorum dissidium, etiam eorum qui eamdem regionem incoluerunt: facit hoc (vt ait Plinius) anni solisque motus propè inexplicabilis ratio, & confessa rerum obscuritas. Itaque multi sæpe quod promiscuè apud Authores legere, garriunt, & nulla adhibita Poli variorumque climatum ratione de sideribus pronunciant, tamquam non vnius prouinciæ, sed totius mundi interpretes; in quo non

non rarò contingit eos decipere & decipi. Lubet hîc insigniorum stellarum ortum & occasum ad corollarium huius capitis ex Basanerij Ephemeride ponere.

MENSE IANVARIO.

Ad Eleuationem poli 48.

1. *Lucida Hydra occidit mane.*	
2. *Aculeus Scorpij*	*or.M.*
6. *Orionis dexter humerus*	*or.Vesp.*
Cornu Capri	*or.M.*
15. *Vmbilicus Andromeda*	*or.M.*
17. *Caput Herculis*	*occid.Vesp.*
18. *Caput Serpentarij*	*occid.Vesp.*
27. *Caput pracedens Geminorum occid.mane.*	
29. *Caput Medusa*	*or.M.*

MENSE FEBRVARIO.

1. *Lucida cauda Capricorni,*	*or.M.*
3. *Canis Maior,*	*or.V.*
4. *Aquila,*	*occid.V.*
Triangulus,	*or.M.*
19. *Bootis humerus sinister.*	*or.V.*
20. *Lucida Hydra.*	*or.V.*
28. *Cauda Leonis.*	*or.V.*

MENSE MARTIO.

7. *Lyra.*	*occ.V.*
8. *Hoedi iuxta Maginum.oriuntur,*	*M.*
13. *Brachium dextrum Virginis,*	*or.M.*
22. *Arcturus,*	*or.V.*
25. *Cornu ♈ ex Magino,*	*or.M.*
2. *Spica Virg.*	*occid.M.*

MENSE APRILI.

6. *Coruus.*	*or.V.*
16. *Dexter humerus Hercul.*	*or.V.*
18. *Oculus Balena.*	*occid.V.*

MENSE MAIO.

Die 2. Pleiades oriuntur Mane, & occidunt, die 18.	
7. *Caput Centauri.*	*oritur V.*
12. *Caput Oloris,*	*oritur V.*
15. *Scorpij Regalis,*	*occid.M.*
16. *Sinistra humerus Orionis,*	*occid.V.*
Media Cinguli Orionis,	*occid.M.*
29. *Antares siue cor Scorpij*	*oritur V.*
30. *Hyadum quarta,*	*oritur M.*
31. *Hyadum secunda,*	*oritur M.*

MENSE IVNIO.

Die 1. Iunij prima Hyadum,	*oritur M.*
3. *Hyadum Tertia,*	*oritur M.*
5. *Aldebaram seu oculus Tauri,*	*oritur M.*
6. *Aquila.*	*oritur V.*
13. *Delphinus,*	*oritur V.*
16. *Caput Medusa,*	*occid.V.*
18. *Procyon*	*oritur V.*
19. *Boorotes,*	*occid.M.*
21. *Stella Clypei Orionis oriri Mane incipiunt.*	
26. *Orionis sinister humerus.*	*oritur M.*

MENSE IVLIO.

4. *Lucida Hydra,*	*occid.V.*
6. *Humerus dexter Orionis,*	*oritur M.*
10. *Media Zona Orionis,*	*oritur.M.*
13. *Media Ensis Orionis,*	*oritur.M.*
19. *Caput Medusa.*	*or.V.*
24. *Prasepe & Aselli.*	*or.M.*
27. *Canicula.*	*or.M.*
30. *Os Leonis.*	*or.M.*

MENSE AVGVSTO.

1. *Formabat*	*occ.M.*
5. *Canis maior iuxta Maginum*	*or.M.*
10. *Aquila*	*occ.V.*
17. *Regulus*	*or.M.*

20. Coma

20.	*Coma Berenices*	*or. M.*
26.	*Lucida hydra*	*or. M.*

MENSE SEPTEMBRI.

2.	*Cauda Leonis*	*or. M.*
4.	*Caput oloris*	*or. M.*
18.	*Vindemiatrix*	*or. M.*
23.	*Arcturus*	*or. M.*

MENSE OCTOBRI.

Arcturum non sine procellosa grandine oriri dixit Columella. Id certius si ♂ radijs adiungitur.

8.	*Persei pes sinister*	*or. V.*
9.	*Cingulum ♍*	*or. M.*
12.	*Lyra*	*or M.*
14.	*♎ 20 Spica iuxta Maginum.*	*or. M.*
18.	*Brach. dextr. Herculis*	*or. M.*
31.	*Luminosior Lanx australis*	*or. M.*

MENSE NOVEMBRI.

3.	*Pleiades*	*or. V.*
12.	*Rombus Delphini ex Magino*	*or. M.*
17.	*Canis Maior*	*occi. M.*
20.	*Oculus ♉*	*oc. M.*
	Media frontis Scorpij ex Magino	*or. M.*
30.	*Scorpij Regalis*	*or. M.*

Frontem autem die 25. Maginus ponit.

MENSE DECEMBRI.

6.	*Oculus ♉*	*or. V.*
7.	*Aquila*	*or M.*
15.	*Cauda Delphini*	*or. M.*
18.	*Arcturus*	*occ. V.*
20.	*Procyon*	*occ. M.*
27.	*Sinister humerus Orionis*	*or. V.*

Hæc autem de ortu Cosmico vt vocant & Acronyco intelliguntur, & eo quidem Horizontali: atque vt habent stellæ oriendo & occidendo latitudinem, nil mirum est, si non ad idem punctum notentur ab omnibus; cum multæ quoque eodem tempore supra Horizontem possint ascendere aut descendere, non omnes indicati sed quasdam deligi par est.

CAPVT XXVII.

De viribus stellarum inerrantium ad dignoscendas tempestates ex Ptolomæi libro primo, capite octauo.

SVPEREST, vt stellarum quoque fixarum naturas, & proprietates effectuum percurramus. Nunc igitur deinceps sicut de errantibus fecimus, percensebimus & in his peculiariter obseruatas rationes. Ac primum quidem earum, quæ per signiferum descriptæ sunt. In capite Arietis stellæ effectus habent commistos ex viribus Martis & Saturni. Quæ in ore sunt, idem possunt, quod stella Mercurij, nonnihilque quod Saturni. Quæ in posteriore pede, Martiæ: in cauda, Veneriæ sunt.

Vbi Tauri signum quasi amputatum cernitur, ibi stellæ sunt naturam sapientes Veneris & Saturni aliquantum. At Vergiliæ Lunam Martemque referunt. In capite inter suculas vna Luce rutila excellens, quæ & facula dicitur, Martia est.

Geminorum signum in pedibus stellas habet, quarum natura similis est naturæ Mercurij, & nonnihil Veneris. In femoribus lucidæ stellæ Saturniæ sunt. In capitibus duæ nitent, quarum prior Mercurialis est, cognomento Apollinis, posterior Martia, cognomento Herculis.

In Cancri oculis stellæ duæ, effectum similem habent stellæ Mercurij, & aliquantulum Martis. In brachijs stellæ Saturni sunt & Mercurij. Ille vero in pectore quasi gyrus nebulosus præsepis cognomento, Martius & Lunaris est, iuxta quem vtrinque positi, vt vocantur, asini, Martij sunt & solares.

Duæ stellæ in Leonis capite idem possunt,

ſunt, quod Saturnus, & paullatim accedunt ad Martis etiam naturam. In ceruice tres Saturniæ ſunt, & aliquantulum Mercuriales. At illud in corde lucidum ſidus, Regulum vocant, æquale eſt Marti & Ioui. Aliæ in Ilio, & vna in cauda ſplendida, Saturniæ & Veneriæ. Aliæ in femoribus Veneriæ, & nonnihil Mercuriales ſunt.

Virgo habet in capite ſtellas, & vnam ſupra alam Auſtralem, idem pollentes quod ſtella Mercurij, & referentes nonnihil Martis quoque naturam, Reliquæ in ala, & quæ ſunt in cingulo, Mercuriales ſunt, & aliquantum Veneriæ. Vna in ala Septemtrionali, vindemiatoris nomine Saturni, & Mercurij, At illa quæ ſpica nominatur, Veneria & aliquantum Martia eſt. Aliæ in extremis pedibus & veſtimenti tractu, * Veneriæ & nonnihil Martiæ ſunt.

* Alias Merc.

In Chelis quæ ſunt in iugo, ſiue chelis Scorpij extremæ ſtellæ effectus habeat ſimiles ſtellæ Iouis & Mercurij. Mediæ verò Saturni & aliquantum Martis.

In ipſo Scorpio, quæ in fronte ſunt ſplendidæ, idem valent, quod Mars, paulatimque accedunt ad Saturni quoque naturam. Quæ in corpore numero tres, quarum media reliquis rutila luce præſtat, nomenque habet Græcum quo Marti comparatur, referunt naturam Martis, & nonnihil Iouis. Quæ ſunt in nexibus dorſi, Saturniæ, nonnihilque Veneriæ. Quæ vero in ipſa cauda, Martiales & Martiæ ſunt. At gyrus ille nebuloſus, vt dicitur, Martius eſt & Lunaris.

Ex Stellis, quibus Sagittarij ſignum effingitur, ſunt in cuſpide ſagittæ, Martiæ & Lunares. In arcu & vbi illæ manu comprehenditur Iouiales & Martiæ. Ille in ore gyrus Solaris & Martius. Aliæ in faſcia & dorſo, Iouiales, & aliquantum Mercuriales. Aliæ in pedibus, Iouiales & Saturniæ ſunt. Illa caudæ quatuor laterum, figura Veneria, & aliquantum Saturnia eſt.

Stellæ quæ ſunt in cornibus Capricorni, idem efficiunt, quod Veneris ſtella, & ad Martis quoque naturam paulatim accedunt. Quæ in ore, quod Saturnus habent, que nonnihil Veneris virium. Quæ in pedibus & aluo, Martis naturam & Mercurij. Quæ in cauda, Saturni & Iouis naturam referunt.

In Aquarij humeris, itemque veſte & manu ſiniſtra, ſtellæ ſunt effectus ſimilis ſtellarum Saturni & Mercurij. In femoribus, quæ cernuntur, magis Mercurium, minus Saturnum referunt. Quæ in profuſo latice, Saturni & aliqua ex parte Iouis* naturam habent.

Stellæ in capite piſcis Auſtralis, Mercurij vires repræſentant, habentque Saturni quippiam. In huius corpore ſtellæ Mercuriales & Iouiales ſunt. Quæ ſunt in cauda & filo Auſtrali, cum naturam referant Saturni, accedunt ſenſim tamen & ad Mercurium. Quæ ſunt in corpore & ſpina piſcis Septemtrionalis, Martiæ ſunt: valent tamen & Venerium quiddam. Quæ in filo Septentrionali, Saturniæ ſunt & Iouiales. Illa in nodo ſplendida, Martis naturam & Mercurij quoque nonnihil habet.

Reliquarum effigierum in regione Septemtrionis ſunt ſtellæ in Vrſa minore lucidæ naturâ Saturniæ, nonnihil tamen, Venerem quoque referentes.

Stellæ vero Vrſæ maioris, Martiæ ſunt. Sub huius cauda quaſi crines, Lunares ſunt & Veneriæ.

Draconis ſplendidæ ſtellæ Saturniæ ſunt & Martiæ, atque etiam Iouiales.

Stellæ Cephei Saturniæ ſunt & Iouiales. Bootæ Mercuriales & Iouiæ ſunt. Rutilus ille fulgor qui Arcturus nominatur, naturæ eſt Iouis.

Stellæ coronæ Septemtrionalis, Veneriæ ſunt & Mercuriales.

In Lyra Veneriæ,& Mercuriales.

Quibus idem valent aliis quoque ſtellæ, Caſſiopeiæ,Saturniæ,ſunt & Veneriæ.

Perſei,Iouiales & Saturniæ. Gyrus ille in capulo enſis,Martiæ & Mercuriales.

Aurigæ ſtellæ ſplendidæ,Martiæ ſunt & Mercuriales.

Serpentarij.Saturniæ, quæque Veneris aliquid habeant. Ipſe quidem Serpens Saturnius & Martius eſt.

Sagittæ ſtellæ Martem referunt,habent & Veneris quiddam.

Aquila,Martia eſt & Iouialis.

Delphin,Saturnius & Martius.

Stellæ lucidæ equi vires habent Martis & Mercurij.

Andromeda,Veneria.

Delta,Mercuriale eſt.

In regione Auſtrali, eſt in roſtro piſcis Auſtralis ſtella lucida,poteſtate Veneria & Mercurialis.

Ceti ſtellæ ſunt Saturniæ.

Orion in humeris ſtellas habet Martis & Mercuriæ naturæ. Reliquæ ſplendidæ Iouiales ſunt & Saturniæ, Extrema ſplendida illa fluminis ſtella Iouem, reliquæ Saturnum referunt.

Leporis ſtellæ Mercuriales ſunt.

Canis, Veneriæ, vna in roſtro fulgida, Iouis, & aliquantum Martis naturam habet.

Hydri,lucidæ Saturniæ & Veneriæ ſunt.

Crateris,Veneris vires aliquas,& Mercurij habent.

Corui Martiæ & Saturniæ ſunt.

Argo nauis lucidas ſtellas habet Saturnias & Iouiales.

Centauri humana figura, ſtellas complectitur Venerias & Mercuriales. Equina habet ſplendidas Venerias & Iouiales. Quæ in fera ſunt ſplendidæ, Saturnum referunt; & nonnihil Martem.

Quæ verò in ara, Venerem & aliquantulum Saturnum.

Corona Auſtralis ſtellas habet ſplendidas naturâ,Saturnias & Mercuriales.

Hæc viſum non omittere , quia Ptolomæo artis principi placuere : quamquam leuiſſimis potius coniecturis nixa, quam agnita veritate fundata mihi videntur. Nam quorſum qualitates & vires mutuarentur à Planetis fixæ quæ ſunt ipſis longe præſtantiores? & vnde ſciri potuit Andromedam eſſe Veneream,Serpentarium Saturnium,Delta Mercuriale, niſi ex leuiſſima coniectura, quæ de colore ſumitur. Hæc fere omnia ex Chaldæorum, aut etiam Ægyptiorum deprompta fabulis, quæ ſpecie magna,ſed veritate nulla,vt ſequenti libro placet oſtendere.

Finis Libri ſecundi.

R.P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS.
DE DOMO DEI

LIBER TERTIVS.
DE VERA ASTROLOGIA.
Contra falſam, & ſuperſtitioſam.
INSTITVTVM AVTHORIS.



EVM in hoc tractatu conſilium eſt, Aſtrologiam Iudiciariam (vt vulgo appellatur) ab Eccleſia prohibitam, non ſolum pietatis, ſed bonæ mentis, atque humani iudicij hoſtem, perſequi, refellere, atque damnare. Talis ea eſt quam profeſſi ſunt Priſcillianiſtæ, de quibus ſanctus Leo epiſtola 71. *Fatalibus ſtellis animas hominum & corpora opinantur adſtringi.* Talis ea quam *cultricē idolorū* Tertullianus agnoſcit libro de idololatria. Talis ea quā S. Auguſtinus libro ſecundo ſupra Geneſim ait, *de cælo tractare, & dum tractat, alienam eſſe à Patre qui in cælis eſt.*

Cumque Aſtrologiam illam quæ ferme vbique à veteribus, & à recentioribus huius ſæculi artificibus traditur, exiſtimem falſam & fallacem; Aliam tamen cenſeo caſtam & mundam, quæ ſigna Cæli à Deo immiſſa ad reſipiſcentiam mortalium contemplatur & explicat. Deinde quæ naturali Philoſophiæ conformis, aëris mutationes ad Agriculturam, Nauticam Medicam ſpectantes obſeruat. Mox etiam motus animorum & propenſiones tractat, nulla neceſſitate conſtringens.

Hæc eſt quam Salomon profitebatur cùm diceret, *ſe à Deo accepiſſe ſtellarum diſpoſitiones, & tenere ſcientiam illam, quæ de futuris æſtimaret, ſciret monſtra & ſigna antequam fierent, euentus quoque temporum, & ſæculorum,* quæ de Aſtrologia iudicante, ſed licita, ab interpretibus intelliguntur. Sap. 7. v. 19. Ibidem cap. 8. v 8. & 9.

Hæc eſt quam ſanctus Thomas probat in opuſculo vigeſimo primo, ad fratrem Reginaldum, qui ſollicite de hac re eum interrogauerat. *Imprimis oportet te ſcire quod virtus cæleſtium corporum ad immutanda corpora inferiora ſe extendit, & ideo ſi quis Aſtrorum indicijs vtatur, ad prænoſcendum corporales effectus, puta tempeſtatem & ſerenitatem aëris, ſanitatem, vel infirmitatem corporis, & ſimilia*

quæ ex naturalibus & corporalibus causis pendent, nullum videtur esse peccatum.

Hanc Astrologiam verè Christianam appellat grauissimus Theologus Petrus Ciruellus, & tuetur contra Picum grandi opere, & erudito. Hanc admodum Reuerendus Pater Carolus Gontranus, Doctor Sorbonicus, & Congregationis Oratoris Generalis, vir exquisitissima eruditione, & sanctimonia vitæ pari, singulari libello defendit, qui post hunc à me Commentarium scriptum, in manus nostras venit.

Ostendo igitur inter quos limites hæc legitima Astrologia consistat, seiungo pretiosum à vili, & repudiatis Arabum atque Iudæorum commentis, quod sanum in hac scientia censeri debeat, fusiùs explico.

Non est hæc vera Astrologia quæ tota ex somnijs & superstitionibus Chaldæorum coaluit, quæ Horoscopis ardenter inhiat, quæ garrit infinita & insulsa, de matrimonijs, de rixis coniugum, de numero liberorum, de seruis, de iumentis, de artificijs, itineribus, & cæteris huiusmodi.

Hæc demum Germana est, quæ accuratissimos Astrorum motus persequitur, quæ defectus luminarium ad calculos exactissimos refert, quæ magnarum coniunctionum tempora fideliter obseruat, quæ Cometas sidereos, nouasque stellas suspicit. *Quæ signa magna & terrores de cælo*, quos nobis Christus denunciauit, contemplatur, vt casto timore mentes impleat, & ad resipiscentiam mortales prouocet.

Luca 21. 11.

Hæc est quæ per crinitarum stellarum, & maximarum Ecclipsium minas, perque altissimorum Planetarum coniunctiones scit vnde bella & clades impendeant? Vnde fluuij tumeant, & exundent maria? Vnde insanæ hyemes, & calores ardentissimi? Vnde diluuia, conflagrationesque terrarum? Vnde anni amœni & tristes, pingues & macilenti? Vnde seditionum faces; & nouarum sectarum virus? Vnde flagella, & flagellorum solatia? Vnde Pax & libertas, & annona, & morbi & sanitas?

In Cæli quippe tabulis per signa & ostenta quid sit facturus in terris Deus significat. Hæc agnoscere, hæc eloqui, hæc ad salutem hominum procurandam veraciter interpretari, ad castam illam, & sublimem Astrologiam attinet quam hîc approbo.

DE EFFECTV SIDERVM in natura sublunari.

CAPVT I.

Sitne aliqua de Iudicijs Astrologia.

Aggredior famosissimam tot sæculorum concertatione disputationem, de vi & efficacitate siderum in naturã sublunarem & in ipsum quidem hominum statum & vitam. Non esse circa nos otiosas tantas & tam illustres stellarũ flammas, summi etiam nonnunquam certa de Cælo præsagia clamat omnium gentium quæ paulo acutiores fuerunt, omnium etiam ætatum consensus. Contra, quæ ab Astrologis Iudiciarijs fere cunctis circumferuntur de moribus hominum atque fortuna, tam superstitiosa, tam ridicula, tam spurca meritò censentur, vt horrorem probis, odium sapientibus, facetis risum, nauseam omnibus pariant. Itaque cum solidis quibusque rerum ac scientiarum fuerim semper natura atque animo affixus non possum sine ingenti fastidio & contemptu legere quæ Genethliaci illi vulgares de rerum præsagijs iudicant. Neque vllam arbitror esse tam grauem vtriusque iuris censuram quam non mereantur homines sensu & fama corrupti, qui multa reipublicæ Christianæ, multa Principum rebus noxia au-

Damnatio iudiciaria.

Iudicium authoris.

ausu temerario & vanissimis augurijs spargunt in vulgus. At verò nequeo adduci vt odio mendacij perimam ipsam veritatem, & si quæ imprudenter à stultis, proiectè ab audacibus, de Cæli in naturam inferiorem influxu dicta sunt, continuò omnem de Astrorum iudicijs scientiam putem ab hominum notitiâ esse exterminandam. Si propter abusum, omnis tollendus est vsus, iam nulla Dei dona, nullæ scientiæ, nullæ artes sunt permansuræ. Non vina, non cibi, non vestes, non domus immunes erunt. Non Lux, non pietas, non religio stare poterunt, nihil enim tam integrum, tam illibatum quod non tentet audacia, quod nequitia non aspergat.

Vix vnquam aut rarò contingit vt quod non vna Vrbs, non vna Prouincia, non vna gens, sed qui toto orbe diffusi sunt populi agnoscunt & credunt, inter falsarum opinionum commenta numeretur. At istud omnibus pene hominibus inditum est vt putent esse signa quædam in cælo quæ nos erudiant, esse caussas quibus multa in rebus inferioribus nascantur. Non est igitur omnino vanum, quod tanto concursu celebratur: Vidêre istud populi insignes Babylonij, Chaldæi, Ægyptij, quos Astrologiam ab Abrahamo hausisse Nicolaus Damascenus memorat. Videre Græci, & Latini, nationesque cæteræ: Videre Philosophi vt Hermes, Pythagoras & Plato: Videre Theologi purpurati Nicolaus Cusanus, Petrus Alliacus, Ægidius Columna. Videre Imperatores, vt Augustus, Tiberius, Vespasianus, Hadrianus, Constantinus, in eo haud quaquam errantes quod aliquid in terris de Cælo conijci restaret, sed plerique dum nimia affectant, vanissimis erroribus delusi Astrologiam adeo extendunt, vt velint omnia vitæ momenta ad siderum veluti calculos numerari. Alij tam rigide agunt cum Cælo, vt nihil ei tribuant omnia fortunæ imputantes. Ego quidem primos nimis intemperanter gloriari iudico, secundos sensu nimis stricto infringere præstantis alioqui scientiæ dignitatem, quam sæpe dum pugnaciùs impetunt, apud sinceros iudices magis adstruunt. Negare enim cuique nota, & asserere falsa, inæquali fere errore est. Ineunda igitur ea prudentibus via est quæ neque nimium Mathematicæ tribuat, neque omnia illi deroget, quæ etiam castigata sapientiæ seueritas admittit. Hanc autem esse existimo quæ à superstitiosis Arabum Iudæorumq; commentis expurgata, Philosophiæ naturali propius accedit. *Quid sit sentiendum.*

CAPVT II.

Vnde olim Astrologiæ apud primos Christianos odium.

MVLTIS hodie etiam probis sincerisque mentibus ea quæ in Iudicijs versatur Astrologia, suspecta est atque inuisa. Nec mirum, prisca tempora & Ecclesiæ nascentis seueritatem reputantibus. Scribit sanctus Epiphanius Aquilam Ponticum qui Hadriani Imperatoris temporibus floruit, circa annum Christi centesimum atque trigesimum, insignem Mathematicum fuisse, & quidem Sinope patria Diogenis oriundum. Is cum Eliæ vrbis quæ Hierosolymis iam deletis substituta est, ædificandæ præesset, forte in Christianos incidit, & ingentibus quæ tum ab ijs fiebant miraculis inductus fidem suscepit. Verum cum insatiabili Astrologiæ Iudiciariæ studio teneretur, nec à genituris quæ circa hominum fortunas versantur delineandis desisteret, ab Ecclesia eiectus est. Idem transfugit ad Iudæos à quibus circumcisus, improbo labore Hebraicam linguam didicit, & veteris testamentum in Græcum haud sincera fide *Epiph. de mensuris.*

Sap. 4. 3. vertit. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, (ait sapientia) non est magnopere mirandum si hominem superstitiosum & perfidum Christiana sacra ferre non potuerunt. Quam enim aliam Astrologiam nouerat, quam quæ ex Ethnicorũ superstitione & ex Iudæorum fabulis coaluerat, omnia siderea necessitate constringens. Deinde etiamsi ab ijs libera & immunis fuisset, minime tamen illo tempore videbatur toleranda, quo facere magna, & pati dura sola Christianorum ars erat. Ingens tum Literarum & peregrinæ eruditionis silentium, calente adhuc Christi sanguine, & spirante prophetia. Cautum erat legibus Iudæorum ne quis filios Græcorum artibus erudiret: omnis autem primum ex Iudæis ad fidem conuersis Ecclesia constabat, quibus exoticarum scientiarum non imprudens tum odium fuit. Ne miremur exosam Astrologiam, idem tum fatum Poëtica, idem Rhetorica, idem etiam Philosophia habuit. Hanc cæterarum parcens nominibus Diuus Paulus signanter appellauit. Colos. 2. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum* 1. Corint. 1. 19. *Christum*. Idem exclamat, *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* nihil tum artibus, nihil eruditioni, nihil facundiæ tribuebatur, ne quid virtuti crucis derogaretur. Non audiebatur Astrologia palam personante Prophetia, & eructante spiritu. Immane tum sacrilegium fuisset Poëtas legere, & Iouem aut Apollinem post consecrata Christo toties ora nominare. At postquam subiugato mundo, & triumphato Sathana, Idolorum superstitio contrita, non puduit Ecclesiam Deum etiam scientiarum Dominum agnoscere, & infectas Gentilium erroribus artes, paulatim defecare atque in suum nitorem asserere. Cœpit tum Christo militare Philosophia, cœpit Rhetorica & Poësis, cœpit Astrologia eam dignitatem retinens quam apud Salomonem habuit, qui se inter cætera *stellarum dispositiones*, à Deo Sap. 7. 19. didicisse memorat. Vti bonis artibus ingenium est, abuti sacrilegium. Cur tot siderum imaginibus sculptor æternus Ætheris summa distinxit, nisi vt nos ad eorum notitiam prouocaret? non minus licet nosse stellarum virtutes, quàm herbarum vires. Nobis hunc Cæli librum Deus, non equis, aut canibus proposuit, quem spectare nefas esset, si piaculum nosse. Astra non illic inania sunt, sed quod agnoscit sanctus Basilius, & sequitur Tostatus, prognostica atque præsaga futurorum, quæ contemplari par est, & innocenter sequi, non peruerso studio ad sui ingenij commenta detorquere.

CAPVT II.

Vnde Astrologiæ Iudiciariæ apud probos infamia.

MVLTA sunt eaque grauia quæ Astrologiam Iudiciariam apud probos quosque onerare infamia solent. Primum est quod magna pars eorum qui artes illas in gentili superstitione professi sunt, impudentissime fatalem rerum omnium necessitatem asseruere. Itaque omnia hominum scelera atque flagitia cælo & Astris imputarunt, quo nihil tetrius, nihil funestius. Apertissimè est in hac opinione Manilius libro quarto Astronomicon, in quo scribit.

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Sed neque miseriam aut fælicitatem mortali-

talium sideribus assignasse contentus, adulteria, cædes, tumultus bellorum, excidia nationum, in eumdem reuoluit fontem.

Non nostrum, inquit, hoc bellum est, coguntur tanta mouere,
Inque suas ferri pœnas, lacerandaque membra.

Quod si quis objiciat neminem igitur mortalium aut præmio aut pæna dignum, si nihil humanis arbitrijs geritur, sed omnia per cæcum vi fatorum abripiuntur, respondet bonos tanto magis diligendos quod de cælo boni sunt, improbos eò magis execrabiles, quod indeclinabili Astrorum lege in malum sint editi, sic enim ille.

Manil. lib. 4. Astronomic.

Tanto est gloria maior,
Quæ Cælo gaudente venit.

Deinde

Nocentes
Oderimus magis, culpam pœnamque creatos.

Plato Dial. de iusto.

Hæc dira & detestanda pudicis auribus, quæ non solùm Christiana religio, sed Academia quoque Platonis execratur. Nam (vt ait ille) bonorum quidem Solus Deus caussa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam caussam præter Deum quærere addecet: neque igitur Homeri (vt addit) neque alterius Poëtæ audiendum est flagitium dicentis, in Iouis limine duo esse dolia plena sortibus, vnum quidem tantum bonis, alterum malis. In quo magis abominandus est hæreticorum nostri temporis error, qui quod præstantiori mente Philosophi diris omnibus repudiauere, hoc ab Astrologis Iudiciarijs & Poëtis auide arripuerunt, vt dicerent bona, & mala, scelera quoque & flagitia à Deo præscripta. Sic enim Lutherus plane Manilio assentiens, *liberum arbitrium est figmentum in rebus, sine titulus siue re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni. Sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus.* Subiungit ad hæc impia Manilij verba, addens quod & Poëta voluit quando dixit.

Luth in Assert. Articul 36.

Certa stant omnia lege.

Similiter Caluinus Institut. lib. 3, cap. 23. Duo statuit principia, vnum fieri omnia Deo volente, alterum voluntatem Dei esse rerum necessitatem; itaque meritò qui in eadem hæresi sunt, Astrologi cælestium diris & hominum odijs digni sunt, bello, aduersus religionem bonosque mores suscepto. Præterea omnes fere qui adulta gentium superstitione profitebantur Astrologiam, siderum imperiti totos se magicis artibus tradebant, & ipsa quidem Magia (vt ait Plinius) *sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in vnam redegit. Primum in altiorem sanctioremque promittens medicinam, addidit etiam vires falsæ religionis, ad quas maxime etiam tum caligat humanum genus. Atque vt facilius irreperet, miscuit quoque artes Mathematicas in speciem, nullo non auido futura de se sciendi atque ea è cælo verissima peti credente.* Inde tantus apud religiosas mentes Mathematicorum horror credentes vtique eos incantatorum inexpiabili scelere omnes obstringi. Nec dubium quin multi occultarum rerum præter modum auidi, sæpius expiscentur ab inferis, quæ discere de superis non licet. Adde iam per nefaria atque inconsulta Astrologorum responsa sæpe lacerari societatem humanam, verti familias, exscindi regna, omnia passim audacia, scelere & sanguine misceri. Quicquid impuri sæpe hominis insania vomuit indigestum atque insulsum, de cælo cecidisse creditur. Inde sperant creduli, audent scelerati, & putant fata, quæ sunt crimina. Nulla sæpe dirior pestis imperijs incubuit, vbi suspiciones incaluêre.

Plin. li. 30. cap. 1.

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

Odisse

Odisse hæc omnes possunt, lugere satis non possunt, sed fac istam immanitatem abesse, inest tamen Genethliacis ingens arrogantia cum pari inscitia coniuncta. Loquuntur quasi de cœlo qui sæpius volutantur in cœno, promittunt mira, tentant infanda. deceptores, & decepti. Inde auidorum credulitate lassata, elusa spe prensa ritium, odio multis, contemptui sunt omnibus. Instat quoque miseris vltor Deus in eos desæuiens, qui in sortem summi imperij irrumpere semel sunt conati, abdita mortalitati nostræ & nosse dictitantes, & vulgare ausi, ausu temerario, arroganti fastu. Nunquam enim nos verecundiores esse oportet, quàm cum de futuris conijcimus. Ad summum innumeri circulatores Astrologorum in familiam & nomen inuadunt, qui in cœlestibus cæcutiunt, in vanissimis obseruationibus conteruntur. Alij per Geomantiam diuinant delineantes figuras, quas Zodiaci signis tribuunt. Alij per dies Hebdomadis & Lunæ. Quidam nomen proprium Patris & matris in numeros digerunt, numeris Planetas & signa adscribunt. Cæteri non omnino stellarum ignari tot inanissima commenta sinceris veterum artibus, ex suo ingenio adstruunt, vt merito putidi & ridiculi habeantur à sapientibus. Hæc sunt quæ sublimem alioqui scientiam odijs sapientum oneratam in omnem ætatem infamia taminarunt, quæ si quis defendere aut excusare conetur, nunquam amentiæ aut etiam malitiæ labem apud probos quosque & prudentes effugiet.

* * *

CAPVT IV.

Intra quos limites vera de Iudicijs Astrologia consistat.

ANTIQVISSIMA res veritas, huic postera mendacia semper astruuntur ab interpolatore veri diabolo. Hic omnes quantum potest scientias inficit, omnes inquinat virtutes. Non est dubitandum quin Astrologia steterit olim in priscorum hominum mentibus, puta in Adamo, in Moyse, in Salomone, sincera fide & illibata castimoniæ laude, à corruptoribus post ea sicut & cęteræ artes non mediocriter est infuscata. Adamo quidem infusam Theologi scholastici etiam agnoscunt. Moysem eruditum omni sapientia Ægyptiorum Actus Apostolorum prædicant: nec dubium quin Astrologiâ, primas quippe apud illam gentem obtinente. Iacobus quoque Patriarcha legisse se in tabulis cæli quænam euentura essent, aperte dicit in ea oratione quæ citatur ab Origine etiam contra Astrologos tum agente. At Salomon didicisse ab omnium opifice sapientia gloriatur, (vt sum præfatus) *Morum mutationes, commutationes temporum, anni cursus, stellarum dispositiones*, situs scilicet, configurationes, & quos in natura rerum effectus pariant. Vbi apertè Pineda libro 3. de rebus Salomonis cap. 18. affirmat illum Iudiciarium calluisse circa naturalia, circa inclinationes Hominum, & alios euentus ex libero arbitrio minime dependentes. Ex ijs euinci manifestum est non tantùm licitum, sed gloriosum contemplari cælum, rimari sidera, omniaque in Dei gloriam, mentis ornamentum, & humanæ vtilitatem vitæ dirigere.

Antiquitas Astrologiæ & dignitas.

Act. 7. 22.

V. de apud Euseb l. 4. de prep. Euang. cap. 9.

Ita in Græco Τροπὰς ἀλλαγὰς. *Sap. 7.*

Habet & illud magnificam Astrologiæ commendationem, quod primitias gentiũ

Deus in carne pri-

Deus

mum se Astrologis communicauit ex Gentilib.

Deus tracturus ad fidem, non se Rhetoribus & Poëtis prodidit eloquentiæ laude tumentibus, non Philosophis circa minutias quæstionum, inani sæpe atque improbo labore contritis, non politicis supercilio regna vertentibus, sed Astrologis à vulgo & rerum turbine semotis, per innocentissimas curas stellas obseruantibus.

Cæteris tum ambitione, tum auaritia distractis, tum vitæ lasciuia, & degeneri socordia prostratis, beatissimi illi homines fœlicibus vigilijs excubabant, cœlo & syderibus affixi. Hos Pater luminum per stellam euocat ad Domini cunas infantis, nunquam vtique facturus, nisi laudatissimum esset obseruare stellas. Nam quando instrumenta peccandi vertit Deus in illecebras Fidei? nunquid Mathæum publicanum per vsuræ lucra? nunquid Magdalenam per libidines ad se pellexit, vt piscatu Petrum, Eustachium venatu? Nonnunquam adhibet licitas & consuetas artes vt nos ad se pertrahat, illicitas vbique detestatus; lubenter videbat occupari circa sidera quos per sidus ad se traxit, vsus notissimæ illis scientiæ plane innocenti & laudabili aucupio. Vnde Gregorius Magnus, *Deus*(inquit)*accommodate ad eorum scientiam docuit, vt qui in stellarum obseruatione versabantur, ex stellis Christum discerent.* Videndum igitur inter quos fines illa etiam Dei calculo probata, illa Dei præmijs etiam læta nobis Astrologia consistat.

Primum certissimum est corpora cœlestia in hæc inferiora agere non secus ac Solem & Lunam, quorum mirabiles effectus in vniuersa quotidie natura experimur. Hoc Aristoteles docuit primo Meteororum, vbi definit cœlum à quo initium motus est, cæteris etiam rebus vim mouendi imperare. Nec immeritò Theon asserit manifestos esse ortus occasusque stellarum fixarum accurate obseruantibus.

Theon Ἐμφανῆς δὲ τοῖς βουλομένοις ἀκριβῶς τηρεῖν...

Ridiculus est Geminus qui stuporis esse putat, credere stellas aliquid in inferiorem naturam moliri. Nam, vt ipse ait, *Terræ halitus & vapores ad stellas vsque non pertingunt, & cum maior desæuit æstus, tunc in signis hibernis est Canicula, cui tanti tribuuntur ardores.* Quæ omnia inconcinnè & præposterè obijcit (vt satis liquet.) Nam quid est ineptius quàm existimare, non posse fieri mutationes in aëre, terra, & stellis, nisi exhalationes ad ipsam regionem siderum perueniant, quasi vero Astra contactu corporum, non virtutum terram attingant. Deinde quid stolidius quàm sidus caniculæ, quod Astrologi omnes in Geminis, plaga scilicet æstiua, constituunt, in hibernis & australibus signis reponere? Vix crederetur ea vox Astrologi ne hominis quidem, nisi aperte scriberet in Vranologia Petauij nostri P. 55. Deinde quis non rideat asserentem Astra non magis esse caulas caloris aut imbrium quam facem accensam bellorum? Idem nobilcum voluit Galenus, cum dixit affici animantium corpora à lumine Planetarum, magnamque eorum vim esse in temperamentis & miscendis & turbandis. Consentit quoque sanctus Augustinus asserens corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine regi. Inde concludit sanctus Doctor impressiones siderum corpus quidem hominis directe afficere, ad intellectum autem & voluntatem non nisi indirecte pertinere. Rationem addit quòd inferiores caussæ, quæ sunt in materia ordinatæ sint ad superiores, sicut materialia ad sua formalia.

Secundò Astra à Deo condita esse in signa liquet ex Genesi: nimis autem ieiunum est quod aiunt quidam interpretes, dici esse in signa & tempora per hendiadim, quasi in signa temporanea, hoc est in diem & noctem, menses & annos, in æstum & hyemem, in sementem & messem. nam

O istud

στοιχεῖν δὲ τὰ ἀνατολὰς καὶ δύσεις ζῴων διὰ τὴν τοῦ θεοῦ πρόνοιαν.

Geminus male putat stellas tantum indices non causas.

Μὴ εἶναι τὰ ἀπὸ μέχρι τῶν ἀπλανῶν σφαίρας διατείνειν.

De canicula vere p. 10.

Οὐ ὁμοίως ἐπὶ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ κεῖται.

Galenus apud Hemmigam.

Aug. de Trin. l. 3. c. 4.

S. Tho. q. 115. 1. part

Idem de fato art. 1.

Gen. 1. v. 14.

istud licet de sole & aliquot stellis dici meritò possit, infinitæ tamen sunt in cælo, quæ nihil horum designant. Nec enim quis Astrologiæ peritus vnquam asseruit Saturnum aut Iouem in hoc aut illo signo Æstatem facere & Messem, in altero Autummum, & Vindemiam, neque per istorum erronum cursus annos vnquam metiri placuit antiquis, quibus in id duo notissima luminaria sufficerent. Itaque sanctus Basilius, & Tostatus, & cæteri agnoscunt quod omnium sæculorum consensus profitetur, errantes atque inerrantes stellas signa esse alia quidem serenitatis, alia pluuiarum. hoc apertissime scribit Diuus Thomas (vt dixi) in opusculo de iudicijs Astrorum ad Reginaldum fratrem, Theon in commentarijs ad Aratum ait Metonis successores Astronomos, Tabulas in Locis vrbium publicis posuisse, in vnius-cuiusque anni futuri prognosticon. τοίος δὲ ἔσαι χείμων, καὶ τοιον ἐς ὥρας, τοιοδὲ ἄνεμοι, καὶ πολλα πιος βιωφιλεις χρῆμας. Meton autem ante Alexandrum annis centum floruit.

S. Tho. 1. part. q. 115. Tertiò ex eodem constat, de indole & propensione hominum posse ex stellis conijciendo, iudicari; nam respondens argumento quo objicitur Astrologos frequenter de humanis actibus verum annuntiare, fatetur *eos in pluribus posse non falsa prædicere, maximè quidem in communi, quia plures hominum sequuntur passiones, ad quas cooperari possunt corpora cælestia.* Sed nemo, *inquit, prohibetur per liberum arbitrium passionibus resistere, vnde & ipsi Astrologi*, eodem sancto Doctore attestante, *aiunt sapientem astris dominari.*

Stellæ in quibusdam sunt caussæ naturales in aliis signa, Quarto stellæ quidem constitutionis aëris aut temperamentorum possunt esse caussæ naturales & manifestæ, at verò nonnullarum sunt rerum signa, & quidem reconditioris naturæ, à Deo sæpe immissa, ad errores & resipiscentiam mortalium. Quo in numero sunt Cometæ quos ostendi priore libro non esse stellas ex fumo & halitu conflatas, sed ignes à constitutione rerum cælo infixos, qui ex altiore mundi parte in inferiorem delapsi, in conspectum se hominum dedant, ingentium sæpe calamitatum indices. Nihil opus hîc multa percensere: vt enim cætera taceamus. stellam quæ anno 1572. in Cassiopæâ fulsit totius orbis spectaculum, consecuta est tristis & cruenta orbis calamitas. Altera quæ anno 1618. feraliter luxit, regna regnis, & quod luctuosius Christum Christo iam vltra annos 25. bellis immanibus collidit, magnamque orbis partem suis funeribus obruit.

Quinto quædam noua sidera non cladium, sed felicitatis indicia sunt, qua in serie iure stellam Maiorum recensemus, quam vnam quoque ex antiquis stellis fuisse Diuus Gregorius Nyssenus putat, *D. Greg. Nyss hom. de verbi incarnat.* quæ scilicet de nouo apparuerit. Sic autem de illa Calcidius vetus author in Platonis Timæum scribens, *est quoque alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortum stellæ cuiusdam insolitæ, non morbos mortemque prænuntiantis, sed descensum Dei venerabilem, ad humanæ salutis rerumque mortalium gratiam; quam à Chaldæis fuisse obseruatam testantur qui Deum nuper natum muneribus venerati sunt.*

Deus per aspectus & coniunctiones varias magnorum Planetarum euentus jaculorum aliquando significat. Sextò, vt non nouis semper stellis aut de nouo apparentibus Deus vtitur in signa, sed veterem quoque Solem, veterem Lunam adhibet, illum ferrugine, hanc cruore tinctam, ita notos quosque Planetas spectantibus objicit, tristes, & maligna vi coniunctos quibus annorum pestilentiam, aut clades significet, alios deinde lætos & amica societate concurrentes ostendit, quibus sanitatem, abundantiam, fœlicitatemque promittat. Nec obstat in istis sidera ordinario cursu ferri, nam &

Ec-

Ecclipses naturaliter fiunt, licet sæpe multa magna & sæua portendant. Hoc crebris per tot sæculorum seriem notum est exemplis: Nec enim magna coniunctio Iouis & Saturni in Scorpione quam aiunt Mahometis natalibus extitisse, impune tunc orbi Christiano luxit diuturnam calamitatum ferax. Nec quæ mitiora sæcula placidæ faces illustrarunt lætis successibus caruere. *Diuina siquidem prouidentia*, vt ait Petrus Cardinalis Alliacensis, *quæ omnia nobis futura, præsentia habet, sæpe ordinat motus cælestes, ad ea significanda quæ in inferiori natura agi decreuit.*

Septimò, an quod in annorum generali statu, hoc etiam in priuata natiuitatum maximè verò illustrium serie. Planetæ possint efficere, vt boni, bene collocati bona & illustria nuncient, ex aduerso mali, & læuo aspectu sese intuentes sinistra, quæri non perfunctorie solet. Sanctus Thomas, fortè nimis indulgenter, concedit, *Effectus stellarum in inferioribus esse ex quibus futura vita dispositio & caussatur, & noscitur, absque necessitate.* Et sic non tantum de valetudine corporis conijci, sed de moribus & ingenio, de felicitate & miseria. *Sic eos qui in sua natiuitate, Mercurium in aliqua domorum Saturni eumque fortem habent in suo esse, bonitatem intelligentiæ putat habituros.* Sic *caput Medusæ luminaribus coniunctum, & iniquo Martis aspectu percussum, esse in genituris ominosum fatetur.* Hæc, inquam, plane ex doctrina sancti doctoris opusculo 28. seu libro de fato, qui asserit, *fatum dici tribus modis, primo dispositionem diuinam,* de futuro progressu esse, & vitæ rei inferioris: *secundo mortem dispositione pertodorum cæli inductam,* *Tertiò*, ex Hermete, *appellari formam ordinis, esse, & vitæ inferiorum, caussatam in ipsis ex periodo cælestis circuli, qui suis radiationibus ambit natiuitatem eorum.* Nec istud repugnare contendit, modo nulla actionum humanarum ex Astris inducatur necessitas. *Quoniam præscientia diuina*, vt ipse loquitur, *ea quæ ordinauit exequitur, & administrat, ministerio caussarum naturalium, maximè verò stellarum.* Siquidem sanctus Augustinus, *afflatus sidereos* (vt vocat) ad transmutationem corporum valere non negat. Hæc autem forma quam imprimunt astra, (vt idem Theologiæ Scholasticæ apex disputat) *est inter necessarium & possibile. Necessarium est quicquid est in motu cælestis circuli; possibile autem & mutabile quicquid est in materia generabilium.* Idcirco duplicem distinguit Astrologiam, *vnam de motibus & qualitatibus Astrorum, & ad hanc perueniri per demonstrationem. Alteram de effectibus Astrorum in inferioribus quæ non nisi mutabiliter recipiuntur, & ad hanc non perueniri nisi per coniecturam.*

S. Tho lib. 3. contra gentes c. 85. & opusc. 28. stellæ (inquit) illæ funereæ sunt, & monstrosam indicant vitæ terminationem articul 4.

Fati varia acceptio ex S. Thoma qui necessitatem à fato Astrologico excludit.

Itaque in toto hoc opere non tantum probat Astrologiam quæ nullam voluntati humanæ necessitatem ponit, sed propugnat, benigne interpretans Patres, si quid contra sensisse videntur, & quæ de geminorum partu cæterisque huiusmodi obijciuntur Astrologis, diluens. Idem sanctus Thomas in libro secundo de generatione & corruptione annorum nostrorum circuitus per motus cælestium corporum euolui iudicat. *Periodum* (inquit) *vitæ facit relatio ascendentis signi supra Horizontem, ad omnia signa circuli cum suis stellis & Planetis in hora generationis rei inferioris quæ caussatur à circulo cælesti, hoc enim modo quorumdam mensura est plus, vel minus, secundum effectus signorum & fortitudines stellarum quæ sunt in signis.* Infert quid largius ibidem, *hoc etiam modo innotescit, quod qui sciret virtutem signorum & stellarum in eis positarum dum nascitur res aliqua, posset pronosticari de tota vita rei generatæ, licet hoc necessitatem non poneret, quia posset impediri per accidens.* Hæc ille, quæ pace tanti viri dixe-

rim; nimis laxa, nimis Iudicibus Astrologis fauere videntur, quos constat in istis audere multum, plurimùm cæcutire. Negemus illis fortuitorum vitæ diuinationem, negemus electiones, nisi fortè ex indirecto, propensionum notitiam non inficiemur. Ita magni Theologi disputant, atque inter alios idem sanctus Doctor in summa: Scotus quoque in lib. 2. sent. distinct. 14. ait. *Astra inclinant voluntatem, in nullo tamen necessitatur. Accidit tamen frequenter Astrologos vera prognosticare de moribus hominum, propter pronitatem eorum ad sequendum appetitum sensitiuum.* Hoc sensu (opinor) dixit Panormitanus super 5. Decretalium de sortil. cap. *ex tuarum tenore.*

Astrologia nec per ius canonicum, nec per ciuile est prohibita, nec est in se mala, cùm sit vna ex artibus liberalibus, & iura præmient has scientias exercentes: modo non dicant Astrologi necessitari homines à corporibus cælestibus.

Præit his Sanctus Damascenus lib. 2. cap. 7. Scribens. *Alij & alij Planetæ diuersas complexiones, & habitus, & dispositiones in nobis constituunt.*

Censorinus de die natali cap. 13.

Τὸ καλὸν καὶ ἀληθὲς μάθημα, καὶ πόλει ξυμφέρον, καὶ τῷ θεῷ παντάπασι φίλον.

Sic Pythagoras, authore Censorino, affirmauit, *stellas vagas, mortalium Geneses moderari.* Sic Plato in Timeo, apparentias Astrorum; futurorum signa ijs qui considerare possunt mittere, deinde lib. 7. de legibus addit Astrologiam præclaram esse disciplinam, ciuitatibus vtilem, & Deo gratissimam. Aristoteles vero in meteorologicis ait, *Mundus hic inferior est contiguus superioribus motibus, vt vis vniuersa ipsius inde gubernetur.*

Trismegistus nimis ethnicè censet, fati armaturam stellas esse, quæ omnia in natura & hominibus efficiant. Inde Seneca ad Marciam, *ex horum leuissimis motibus fortuna populorum pendent, maxima ac minima proinde formantur, prout æquum iniquumve sidus incesserit;* Quæ tamen Astrologiæ iudiciariæ nimis fauere existimo, nec vlla ratione probari posse contendo.

Boëtius melius in consolatione scribit. *Cum rerum secreta rimarer, cum mihi siderum vires radio describeres, cumque mores nostros totiusque vitæ rationem ad cælestis ordinis exemplar formares.* Bene enim ad cæli concentum per liberum arbitrium formantur mores, non ab astris imperantur.

Octavo inconcussa fide tenendum est non solùm omnia quæ de Astrorum iudicijs afferuntur, nullam vim humanæ libertati, nullam rebus imponere nececessitatem. Sed ea quoque quæ de hominum propensionibus dicuntur esse incerta; quæ de aëris mutatione, & annorum varietate prædicuntur fluida, & facile mutabilia. Nam vt sapienter ait Auenezra, quæcumque cælum destinarit, possunt non euenire, *vel quia materia non sit idonea influxui suscipiendo, vel quia humana ab arbitrio nostro plurimum dependeant, vel quod fatum particulare fati vniuersalioris potestate superetur, vel quod fato omnipotentior, & cælo maior diuina prouidentia aliter fieri ordinet.*

Abusus Astrologiæ detestantur.

Nono cum nihil in astris præter leuem coniecturam habeamus, grande peccatum est eorum qui diuinæ prouidentiæ exules, auidè genituris inhiant, sua & aliorum peruersa curiositate requirunt fata, & tam incertis rebus fidem habent. Immane verò sacrilegium eorum qui se res futuras ab hominum arbitrio pendentes certè posse prædicere dictitant, in Dei sacraria ausu nefario irrumpentes. Tota hæc agendi ratio, vt ait Diuus Augustinus, *Plena est pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis.* Itaque sapienter & probe leges tam Canonicæ quam ciuiles, istam genitu-rarum libidinem exagitant, & prohibent. Res enim sacra est Astronomia, nec cuique malarum artium corruptelis temeranda. Solis olim Regibus, Sacerdotibus, aut subli-

S. Aug. lib. 2 de doctrina Christ. cap. 24.

ſtmiori ſapientia viris erat credita, qui tempora, qui minas etiam cæleſtes laſciuientibus populis nunciarent. Et nunc apud Sinenſes nulli Aſtrologiam tractant, niſi à Regibus delecti, qui & in eorum aulis habitant, huic miniſterio publica functione quaſi ſanctioribus regni curis incubantes. Hæc eadem Romanorum mens fuit, vt præſagia rerum non de triuijs hominibus, ſed de honeſtiſſimis ordinibus committerent. *Qui rerum potiebantur*, ait Cicero, *idem Auguria tenebant, vt enim ſapere, ſic diuinare regale ducebant.* Senatus quoque Romanus decreuit, vt de principum filijs ſex, ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam auguriorum traderentur, nec ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis authoritate abduceretur, ad mercedem: quamobrem quicquid de cæleſti motu, quicquid de eius in hanc inferiorem naturam effectu quæritur, magna verecundia, magna prudentia, grandi etiam diuinæ prouidentiæ veneratione quærendum eſt. Nec fruſtra Ptolomeus in centiloquio ſcripſit, *cùm is qui conſultat ipſum melius ſcrutabitur, inter id, & eius formam nulla differentia erit*, hoc eſt conſulentes applicari Deo oportere perfecta puriſſimæ mentis ſimilitudine. Nam vt ibidem ait, anima *ad cognationem*, hoc eſt ad Dei commercium *apta, veri plus aſſequitur, quam qui ſupremum in modum ſe ſcientia exercuit.*

Cic. lib. 1. de diuin.

Ptolom. in centiloq.

Decimo cum ea demum viris prudentibus probetur, Aſtrologia quæ phyſicis rationibus inſiſtit, tota inſimulatur falſi Genethliacorum doctrina, quæ conſtat vaniſſimis ingenij commentis, portentis verborum, Iudaicis & Arabicis, obſeruationibus, *quas Lamiæ Turres & Solis pectines cum Tertulliano poſſis appellare.* Et ſi fateri oporteat nonnulla ſæpe à ſapientiæ authoribus obſeruata, quorum ratio ſupra communem naturam ſit, nunquam tamen illa temere admittenda ſunt, niſi multis & grauiſſimis teſtibus approbentur, & nihil habeant ineptum aut inſulſum quod humano iudicio reluctetur. Quamobrem decreui conſequentibus capitulis inſomnia planetariorum certis rationibus confutare & naturalem quam ſtatui Aſtrologiam, fidei, philoſophiæ, boniſque moribus conſonam, qua potero iudicij æquitate diſcernere.

CAPVT V.

Quod naturali Aſtrologiæ ſacra eloquia non aduerſentur.

ASTROLOGIAM igitur naturalem eo quo hactenus dixi temperamento acceptam, nec ſcripturæ, nec Patribus, nec rationi obſtare, plenius liber oſtendere; inueniuntur enim nonnunquam homines ſpinoſi, & nimis auſteri, qui quicquid eſt bonarum artium, amœnarumque literarum cæco impetu exagitant, & contendunt omnem quæ de iudicijs eſt Aſtrologiam ſacris eloquijs vetari: locos aliquot ſcripturæ obtendunt quos ab ijs præpoſtere intellectos facile eſt diiudicare.

Primus affertur ex Deuteronomio, *non inueniatur in te qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec diuinos, nec quærat à mortuis veritatem.* Nimis fauent iudiciarijs, qui tam infirmis rationibus impugnant. Vbi enim in toto hoc textu ſugillantur? Vbi nominantur? Audio Ariolos, Somniatores, Augures, Maleficos, Engaſtrimythos, Necromantios, Aſtrologos hic non audio. Nempe conſiderandum Dei mentem in hoc præcepto ſanciendo fuiſſe vt Iudæos auocaret ab impuris diuinationibus, quibus tum Chananæi, & cæteræ eiuſmodi idololatrarum gentes de-

Deut. 18. 8.

ſtinebantur. At nimis erant rudes, nimis craſſæ, vt illam ſublimem de qua loquimur, Aſtrologiam tractarent, ſed nullam quidem attigerant, aſſuetæ tantum Dæmonibus per idola reſpondentibus, Pyromantiæ, Hydromantiæ, Characteribus, phylacterijs, vt oſtenditur libro Regum
4. Reg. 23. 24. quarto (his verbis) ſed *& Pythones & Ariolos, & figuras idolorum, & abominationes quæ fuerunt in terra Iuda & Hieruſalem, abſtulit Ioſias.* Ex quibus & cæteris locis apparet, eos qui diuinationem tum exercerent, fuiſſe magos turpes & obſcœnos, qui nihil cum Aſtrologis commune habuerunt.

Iſai 47 13. Longe verò expreſſior locus eſt qui ex Iſaia Propheta citatur, *defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent & ſaluent te Augures Cæli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis nunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.* Totum iſtud Iſaiæ caput eſt aduerſus Babylonios, qui ſpreto Deo & proculcato ſanctorum populo, toti erant in vaticinijs Chaldæorum ſcrutandis, quorum ſacrilegam Aſtrologiæ curioſitatem meritò incuſat. Primum quia in idolorum cultoribus tota fœdis ſuperſtitionibus erat infecta, deinde etiamſi ab iſtis immunis fuiſſet, grandi ſe piaculo gens illa obſtrinxerat, quod proterue ſpretis Prophetarum vocibus, & irriſo veri numinis cultu, humanis artibus confideret. Non vetantur diuitiæ, non fortitudo, non propugnacula vrbium, & tamen ſæpe carpuntur apud Prophetas, qui in huiuſmodi rebus ſpem omnem & fiduciam collocant, & de ijs intemperanter ſuperbiunt.
Iſ. 10. 12. & 13. *Viſitabo,* ait idem Propheta, *ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, dixit enim in fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi.* Quid mirum eſt igitur perſtringi Chaldæos, qui contemptis Hebræorum ſacris, & ſanctiſſimis oraculis tutos ſe & glorioſos ob leuicula Mathematicorum reſponſa dictitabant. Nihil contra modeſtiſſimos veræ Aſtrologiæ ſenſus Iſaias hoc loco cecinit. Sed vates impios & arrogantes tantum ſua cenſura notauit.

Tertia obiectio de Hieremia ſumpta, Hier. 10. 3.
eſt admodum tenuis, vbi habet à *ſignis Cæli nolite metuere quæ timent gentes.* Non enim inde inferri poteſt nulla eſſe in Cælo ſigna futurarum rerum, ſed tantum pijs & fidelibus propter diuinam protectionem non eſſe metuenda. Certè ſi nulla eſſent in Aſtris ſigna quæ de rebus venturis homines admonerent, haud quaquam veritas diceret, *erunt ſigna in Sole & Luna,* haudquaquam Luc 21. 25.
terrores de Cælo futuros ibidem denunciaret. Poſtremis locus eſt ad Galatas, in quo Apoſtolus ait, *dies obſeruatis & menſes,* Galat. 4.
& tempora, & annos, ex quo inferunt, ſtatum 10.
aëris & tempeſtatum non eſſe à fidelibus obſeruandum; nec animaduertunt, totam Pauli ad Galatas epiſtolam ſcriptam eſſe contra eos qui ſuſceptis Chriſtianis ritibus, iterum in Iudaicas obſeruationes deſluerent: obſeruabant ſcilicet ſabbatha, & neomenias & feſta ſolemnia Synagogæ, & annos ſabbathicos, quæ hîc Paulus atteſtante ſancto Hieronymo, & ſancto Chryſoſtomo redarguit, nihil de Aſtrologia cogitans. Quod ſi hæc ad rigorem ſumenda eſſent, neque horologia habere liceret ad indicandas horas, neque vlla de temporibus præſagia probanda eſſent à Chriſtianis, contra communem vitæ ciuilis ritum, quem dominus noſter non reprehendit in Euangelio inferens, *facto veſpere, dicitis ſerenum erit; rubicundum eſt enim Cælum, & mane* Math. 16.
hodie tempeſtas erit, rutilat enim triſte Cælum. v. 2. & 3.
Si omnem de rebus futuris coniecturam tol-

tolli de medio Deus statuisset, non infligeret in pœnam populorum Ariolorum, vt ipse appellat, hoc est vatum legitime diuinantium priuationem. quod tamen Isaiæ tertio minatur. *Auferet Dominus ab Hierusalem, Iudicem & prophetam & Ariolum.*

Isai. 3.

CAPVT VI.

Quod sanctorum patrum placita syncere Astrologia non reluctentur.

Crebræ & vehementes sanctis patribus cum Astrologis sunt congressiones; sed eos apertissimè notant qui omnia fato & stellis adscribunt, inde sanctos, inde fælices faciunt, ablegatâ de terrarum orbe prouidentiâ. Inde etiam reos, inde miseros constituunt, & nihil humanæ voluntati relinquunt, non est mirum si contra pestilentem doctrinam tanto conatu pietas assurgat.

Tales Priscillianistæ vt supra dixi.

Occurrit in primis Tertullianus qui qualis tunc esset in gentilium asseclis Astrologia, facile ostendit. *Non allego* (inquit) *quod idola honoret, quorum nomina Cælo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit, quod propterea homini non putant Deum requirendum, præsumentes nos stellarum immutabili arbitrio agi. Vnum propono, angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea que damnatos à Deo.* Quis huiusmodi Astrologiam non detestetur de patre mendacij natam, de sacrilegio tumentem? Num idem postea iustissime exclamat. *O diuina sententia vsque ad terram pertinax, expelluntur Mathematici. sicut angeli eorum, Vrbs, Italia, interdicitur Mathematicis, sicut Cælum Angelis.* Tatianus quoque antiquus author Ecclesiasticus, eos qui tum Astrologiam profiterentur, fati doctores esse declarat: *figuras positionis, inquit, dæmones hominibus ostendentes, tamquam in tesserarum ludo, fatum rem prorsus iniquam introduxerant.* Sanctus deinde Ambrosius qui post Sanctum Basilium longam aduersùs eos dissertationem habet plane se inuehi testatur contra liberi arbitrij impugnatores. *Neque probum,* inquit, *potes laudare, nec condemnare improbum, cum necessitati natiuitatis suæ respondere videatur, ecquid est aliud quam hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studijs derelinquitur?*

Tertull. lib. de Idol.

At verò sanctus Augustinus qui pluribus locis cum Mathematicis conserit manum, quales essent & quid profiterentur, aperit his verbis, *Volentes actus nostros corporibus calestibus subdere. & nos vendere stellis.* Deinde homilia in Psalmum sexagesimum primum cum Mathematicum iam resipiscentem Ecclesiæ produceret, exclamat. *Iste dicebat quod adulterium non faciebat propria voluntas, sed Venus, homicidium non faciebat propria voluntas, sed Mars. Iustum non faciebat Deus sed Iupiter, & alia sacrilegia non parua.*

Li. 83. qq. q. 45.

Ad summum Bardasanas qui citatur ab Eusebio libro sexto de præparatione Euangelica totus fere in eo est, vt ostendat à stellis non fieri peccatores. *Apud Seras,* inquit, *lex est nec occidere, nec fornicari, nec furari, nec adorare simulacbra, vnde in illa regione nullum templum construitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida, nec volnutatem alicuius illorum ardentissima stella Martis in medio cæli constituta ad cadem hominis coegit, nec Venus Marti coniuncta vt alienam quispiam sollicitaret vxorem potuit efficere.* Item *num omnes apud Getulos fœminæ Venerem in Capricorno aut Aquario male affectam habuerunt, quia odores aspernantur, nec tinctis induuntur vestibus, & nudis omnes pedibus degunt.*

gant Non aliter cæteri Patres disputant, omnes inuehuntur in vesaniam Planetariorum qui nihil institutioni, nihil legibus, nihil voluntati humanæ ad corrigendos mores concessere, sed omnia fatali necessitate constrixerunt. Itaque qui se huiusmodi laqueis expediunt, nihil à sanctorum placitis loquuntur alienum. Instant tamen nonnulli recentiorum, & omnem funditùs Astrologiam tollunt, quia nullam aliam esse censent præter illam quam veteres Astrologi, Chaldæi & Ægyptij professi sunt, quæ omnia fato subijcit, sed dum nimis pugnaciter aduersantur errori, ipsam ostendunt veritatem. Nam primum in aperto est grauissimos quosque antiquorum Astrologos noluisse necessitatem rebus inducere. Siquidem Ptolomæus omnium princeps, [illegible] ntiloquio, sententia quinta manif[illegible] *Potest sciens multos stellarum effectu[illegible] c seipsum ante rerum euentum præparar[illegible]* qui à me supra nominatus est Auenezra fatetur ingenue siderum vim per liberi arbitrij motum impediri. Deinde non vident viri acuti, his machinis quas intendunt, non tantum Astrologiam, sed optimas quasque artes impugnari? Nam si de poësi agatur totam Christianis eripiam, cum dicam ab antiquis illis poëtarum manasse, qui Iouem, & Apollinem, deos esse crediderunt. Si de Philosophia Aristotelis, nullam esse aliam contendam quàm quæ mundi æternitatem confiteatur, si de Musica totam hymnis deorum inanium, & amatorijs versibus fuisse inquinatam. Si quæ à Veteribus deprauata fuere non licet erroribus repurgare, liberare inquinamentis, quid tandem nobis integrum, quid vtile, quid amœnum restabit? omnia erunt de vsu vitæ rescindenda, non aqua, non aëre toties sordibus, & nidore sacrilegarum victimarum pollutis nobis erit vtendum.

CAPVT VII.

Quod sacri Canones tantum superstitiosam & maleficam Astrologiam condemnent.

SÆPE etiam in Concilijs & sacris Canonibus exagitatur Astrologia, sed ea aut superstitiosa est, aut malefica, religioni & bonis moribus aduersa. Extat Concilium Bracarense primum, canone nono, sua censura illam sic perstringens. *Si quis animas & corpora humana fatali signo credit astringi, sicut pagani & Priscillianistæ dixerunt, Anathema sit.* Et canone decimo, *Si quis duodecim signa quæ Mathematici obseruare solent, per singula animæ vel corporis membra disposita credit, anathema sit.* Ex quo apparet notari eos qui Astra fatali necessitate dominium in animas sibi vendicare credunt. Lateranense quoque Concilium, sub Leone decimo, & Iulio secundo grauiter contra Astrologos censuit, sed quos? Arnoldum puta Villanouensem eiusque socios, qui supremum Iudicij diem tanta caligine obductum ex Astrorum positione diuinare se posse intoleranda insania crediderunt. Alexander vero Papa tertius Presbyterum, qui de furto quopiam in sua Ecclesia admisso per Astrologiam expiscari aliquid præsumpserat, amouit à diuinis, dignum omninò hac pœna qui ab Astris hæc sciri hæc requiri posse credidit. Multa quoque similia secunda parte decreti, causa 26. q. 2. & 5. reperiuntur; vbi decretum est Mathematicos, & qui Astris conantur actiones nostras, & actionum euenta prædicere, nimis errare.

Absoluit tandem Concilium Tridentinum, de libris prohibitis regula nona, & qui conciliorum censuras incurrant, satis declarat his verbis. *Episcopi diligenter prouideant,*

aut, vt Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices, legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certi aliquid euenturum affirmant. Quod si quidam canones strictius vetent obseruari Lunæ & stellarum cursus ad præsagia etiam temporum, inde factum est quod prætextu licitorum in illicita temerarij homines sæpissime laberentur, etiam cum de mutatione aëris prædictionem pollicerentur. Nonnunquam dies fastos ac nefastos ex antiquis Patriarchis, comentitias quoque Apostolorum de statu Ecclesiæ reuelationes admiscebant, vt habet Nicephorus Homologeta, τὴν δὲ ἀποκάλυψιν τοῦ Παύλου, καὶ τὰ λεγόμενα βροντολόγια, καὶ σεληνοδρόμια οὐ χρὴ δέχεσθαι, βέβηλα γὰρ πάντα. *Reuelationem Pauli, & commentarios de fulminibus, de prædictionibus mensium, & auspicijs Calendarum, admittere non oportet, sunt enim prophani omnes.* Sapientissime quoque Sixtus Papa quintus vetuit, ne liceret Iudiciariam exercere præter quam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam: facientes autem iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare auderent damnauit, etiamsi id certo se non affirmare assererent. erat enim tunc dira circa genituras curiositas vitæ Pontificum, & cæterorum Principum non innoxia. Ex quo fit vt non tantum mala, sed occasiones quoque malorum prudenter amputari debuerint, ne per speciem studiositatis in nefandam curiositatem audax Iapetidarum genus irreperet. Adde quod bulla vetat *de futuris contingentibus & successibus fortuitis iudicari*, quæ nemo sanus Astris imputat, non autem de effectibus qui ab ipsis ordine naturali pendent.

Bull. tom. 2. p. 510.

CAPVT VIII.

Discutiuntur rationes quibus impossibilis Astrologia à multis indicatur.

IVVAT nunc rationibus congredi, & sparsas tot libris obiectiones quibus Astrologia naturalis extra vim humani ingenij censetur à doctis, in vnum agmen cogere, & an aliquid euincant plenius discutere. In quatuor à me diuidentur partes, quarum prima est ab ignoratione motuum cælestium, secunda ab inscitia qualitatum cuiusque sideris, tertia à modo agendi corporum cælestium, quarta ab effectis. Creditum igitur inprimis à multis iisque grauissimis viris, nihil posse ex Astris conijci propter effusam cæli rapiditatem quæ singulis momentis auolantium siderum statum auehat, promissa & minas incerta vertigine confundens.

Placuit hæc ratio Diuo Augustino in Nigidij rotam amœna vi ingenij ludenti. Huic enim cum dissimilia obijcerentur fata geminorum, rotam figuli rapidius intorsit, intortam bis atramento qua potuit celeritate quasi vna in parte notauit. desistente motu, inuenta sunt quæ fixerat signa non paruo interuallo dissidere, sic in hac cæli, vt aiebat, velocitate tempora Geminorum, quæ eadem putantur sæpe dissimillima sunt sicut & fata. Hoc figmentum, inquit sanctus Doctor, fragilius est quàm vasa, quæ illa rotatione finguntur; Nam si tanta est stellarum veluti præcipiti turbine incussa celeritas, nemo vnquam poterit annotare momenta nascentium, nemo de euentis quæ inde pendent pronunciare. Circumfundit plaudentes animos hæc argumentatio magna speciæ probabilitatis, nec tamen euincit. Nam nimis credulum

Aug. l. 5. de ciuit. Dei c. 3.

est existimare per singula momenta sic mutari cæli faciem, vt alia atque alia semper fata nascentibus imponat; nimis extra artem est credere sic cælum verti vt nullum annotandis siderum locis relinquat locum. Nam siue motum diurnum consideres, siue proprium, cuiusque Planetæ, vterque iam sagacissime deprehensus, & accuratissimo calculo annotatus. Certe quæ omnium rapidissima est ab ortu in occasum conuersio iam tenetur, iam per horas & minuta describitur. Non est putandum Solem & cætera Astra sic currere, vt ab Oriente, in Occidentem imperceptа transuolent. Mouentur quidem rapidè, sed per immensa spatia mouentur, cernuntur oriri supra finitorem, progredi, incedere, ascendere, descendere, labi, occidere. Non hæc momentis sed horis transiguntur. Vna sæpè hora non multum sideris actionem immutat, vnus gradus quem sol intra viginti quatuor horas motu proprio decurrit, non affert illam in Astrologiâ Physica, quam sibi fingunt ingentem differentiam. Hanc cogitant inexperti, hanc scribunt siderum ignari. Si hæc vortico à Cæli rapiditas facit vt annotare Astra idem fere sit, ac in procurrente fluuio scribere, cur habemus horologia? Cur vmbris properantem lucem sequimur? Cur diem in horas, horas in momenta diuidimus? An vero decepti & decipientes sumus, qui hæc quotidie tam castigatis annotamus inuentis? Si tanta est Cæli velocitas, vt eius motu nihil certi determinari possit, cur æquinoctia, & solstitia destinatis à Mathematicis punctis constantissime redeunt? Cur Solis, & Lunæ Ecclipses obseruantium calculos non effugiunt? Sed tot annis ante ad numeros pronuntiantur. An calculus in istis valet, in genituris non valet, quasi non vbique eodem modo mensura temporum constet. Apparet omnino hanc opinionem quæ nihil ex Cælo præsagiri posse propter motus incertitudinem cogitauit, illusisse potius credulis quàm aliquid contra Astrologiam probasse.

Longè doctior ratio est, quæ ignorantiam Cæli persuadere nititur ex tot discrepantibus principum Astrologorum de motu planetarum sententijs. Hipparchus Rhodius vir acerrimi iudicij & improbi laboris primus tentauit Solis, & Lunæ æqualium motuum Canones describere, post hunc ducentis & octoginta quinque annis, Ptolomæus Alexandrinus Astrologiæ princeps & pater, siderum errantium, & inerrantium leges coëgit in numeros, qui multis sæculis vsui fuëre. Albategnius Arabs, qui floruit in Syria circa annum Christi 880. næuos in Ptolomæi luminibus aspexit, nec satis accuratè conuenire cum cælo, quæ ille prius ediderat ostendit, nouum calculum suo sæculo proposuit. Albategnij commenta post annos ducentos Arzaël correxit. Fluctuabat Astronomicarum rerum status inter hæc dissidia, cum Alphonso decimo Hispaniæ Regi placuit vndique gentium viros Astronomiæ peritissimos atque perspicacissimos conuocare, vt labanti opem ferrent. Horum opera circa annum Domini 1251. collatis quadringentis Aureorum millibus nouum canonem motuum cælestium Toleti construxit. Hunc fide & æquabilitate Cælo supparem duobus circiter sæculis credidêre. Desciuisse tandem circa annum 1460. Purbachius & Regiomontanus animaduertêre. Inde Copernicus vir magni, atque audacis ingenij nouam ex omnium temporum obseruationibus Astrologiam condere cœpit, edito de reuolutionibus cælestibus opere, ex quo Erasmus Reinholdus Prutenicas tabulas absolutissimas omnium vt tum existimabant, quas orbis

vi-

viderat, confecit. Displicuêre Tychonibrahe Copernici Hypotheses, & cum annis 26. scrutando cælo Huenæ vacasset munificentia Friderici secundi Daniæ Regis adiutus, nouos motus, nouas etiam stellas vidit, nec omnia tamen quæ cogitauerat, vulgauit, morte præceptus. Hæc Rudolphi secundi Imperatoris mandato Keplero insigni Mathematico cura incubuit, qui Rudolphinas tabulas Vlmæ extulit; has necdum accuratas Lansbergius qui hæc omnia narrat, prodidit, & quod à multis magnisque viris per tot sæcula affectatum, à nemine vnquam effectum fuerat, se tandem perfecisse gloriatur, vt leges motuum cælestium perpetuas ederet cum Cælo ad miraculum vsque consentientes.

Quis igitur (aiunt) inter tot principum Astrologorum rixas Cælo credere, & de Cælo pronuntiare aliquid possit? Tota si quæ est de iudicijs Astrologia, motus cælestis obseruatione nititur, qui cum post Herculeos tot sæculorum labores inextricabilis iudicetur, vbi tandem Astrologicæ prædictiones, vbi responsa quæ putant oracula? Sed certè nimis ex hac parte nec satis ex æquo vexantur. Nam tota illa quæ inter acerrimos viros fuit de planetarum Theoria concertatio, de minutijs, imò de minutis fuit quæ vix apparent, nisi post multorum sæculorum lapsus, & nihil turbant in iudiciaria, de qua crasse admodum iudicant, qui putant omnia peruerti, & confundi, si quid minutorum, vel graduum in calculo aut supersit aut desit. Spectantur Astra quo in signo, qua in signi parte aut gradu, non anxie desudatur in graduum differentijs, in putealibus, azemenis lucidis, obscuris, quos vani Arabes commenti sunt: omnia minus affectantibus liquidiora. Quid mirum si de minutijs motuum cælestium adhuc Astrologi disceptent? Nondum principia rerum naturalium bene physicis nota, de obiecto logici certant. In corpore humano toties palpato, toties dissecto, noua subinde medici deprehendunt: non perit ars de qua quæritur, de qua disputatur. Hæc conditio rerum humanarum est, vt non semel se totus mundus aperiat, non simul sua sacra tam abdita tam abstrusa nobis tradat, seruat aliquid posterorum diligentiæ. An quia sub Iulio Cæsare aliquot scrupulis in anni reformatione aberratum est à Sosigene, idcirco nulli anni fuerunt, & nulla de annorum calculo scientia est. Non iudiciariam hoc argumentum impetit, sed totam Astronomiam conuellere nititur impetu non tantum irrito, sed cæco. Ad eamdem rationem pertinet quod dicunt anni ratione mutata, perire omnem coniectorum operam, omnia studia dissipari: non perit Cælum si reformatur annus, non tolluntur Astra, si dies aliquot qui per sæculorum lapsus excreuerant, in calendario resciuduntur, manet Sol idem in suis motibus semper inconcussus & eumdem planetæ æquabilibus spatijs affectantur, siue addas, siue demas de calculis humanis, quem nos vigesimum primum Martij appellamus, alij vndecimum vocant. In idem tamen ferme punctum semper Æquinoctia redeunt, & obseruantur à peritis.

Grandius istud & animaduersione dignius, quod stellæ fixæ inueniuntur à notis signiferi punctis desciuisse. Nam prima quæ in Arietis constellatione visitur stella, cum Metonis temporibus in verna æquinoctialis intersectione collocata videretur, inuenta sub Timochare duobus gradibus, sex sub Ptolomæo, sub Albumazare septemdecim: sub Alphonso, viginti tribus, sub Copernico septem supra

viginti decessisse. Inde non leuis oritur quæstio an coniecturæ quæ ab Astrologis fiunt de signiferi gradibus, an de constellationibus sint faciendæ? Respondent vtrumque obseruandum, neque enim figuræ cælestes fixarum sunt negligendæ, à quibus magna vis in hunc inferiorem mundum influit, neque tamen solis orbita quæ primo semper loco spectantibus occurrere debet, vnquam deserenda est. Nam licet gradus illi signiferi per quos decurrit, vacui sint stellis, eamdem tamen vim retinent quam prius habuêre cum sideribus coniuncti, siue huiusmodi partium cæli ea natura est, siue de propinquo eamdem hauriant suorum siderum afflatu. Siue quod ipsi mordicùs defendunt, supra Zodiacum stellatum, alius sit ἄναστρος, & inuisibilis, à quo vis maxima & immutabilis in res sublunares deriuatur. Itaque non video cur per ignorationem motuum cælestium Astrologiam omnem inanem meritò possimus appellare, hoc præsertim tempore, quo tot exquisitissimæ acutissimorum hominum tabulæ prodierunt, vt potius de nostri sæculi felicitate sit gloriandum & exclamandum quod aiebat Manilius.

Iam nusquam natura latet, peruidimus omnem.
Et capto potimur mundo.

CAPVT IX.

Secunda ratio examinatur de ignoratione naturæ, & qualitatum cuiusque sideris.

PEne nobis cælum eripuêre qui Astrologiam pertinacia magis quàm rationibus insectantur. Aiunt cæli vires arcanas, aut nullas in hunc inferiorem orbem esse, aut hominibus ignotas. Omnia quæ in natura geruntur per primas qualitates fieri ab elementis, Sole & Luna, motu tantum & lumine naturam hanc sensibilem administrantibus: quæ verò de Ioue, Saturno, & Marte, cæterisque planetis, aut fixis perhibentur vana quædam esse delirantium Astrologorum commenta.

Hæc partim ab imperitis, partim à peruicacibus ingenijs dicuntur quæ quotidiana perspicacium experientia satis refellit. Nec immeritò vetat Ptolomæus cum istis verbosa probatione congredi, qui non modò Philosophorum sagacitatem, sed mentem quoque hominum sensumque exuere. Nam si ex Sole & Luna & qualitatibus elementorum omnia penderent, idem & perpetuus esset statis temporibus omnium tempestatum tenor, nullæ vnquam hyemes calidæ & Austrinæ, nullæ æstates Aquilone rigidæ contingerent: nec improuisi imbres, nec insolitæ niues ingruerent. Omnes vtique anni immota æquabilitate suum orbem decurrerent. Si nullæ sunt in Arcanis siderum vires, dicant acuti homines cur punicum malum cùm seritur, aut plantatur, tot annis det sobolem, quot diebus ab interlunio Luna discesserit? cur pulegium suspensum in tectis floret ipso brumali die? vnde Maris accessus & recessus tanta constantia stati? vnde tot & tanta in abditissimis sub terra speluncis generantur, ad quas nec solis calor, nec lumen appellit. Si nihil aiunt sidera cur Aristoteli, Hippocrati, Galeno, Plinio, & omni eruditorum genti tam solers cura fuit stellarum ortus & occasus notare, ex ijs tempestates, ex ijs morbos annunciare? Aristoteles dixit: *Orionis exortu dies maximè variari, flatusque importunos commoueri, quod in mutatione varia maximè omnia sint, quæ non vno certoque tempore, motuq; describuntur. Atqui oritur Orion ineunte autumno, occidit hyeme, vnde quia non*

A Porta lib. 1. mag. nat. de caussis rerum.

Aristot. problem.

non uno tempore constat, sed alio incipit, alio cessat, flatus etiam inconstantes esse necesse est: vtpotè cum ancipiti conditione proueniant, quæ sibi tempus vtramque sortitum est.

Nunquid apertissimè variæ tempestatis caussam in varium Orionis ortum atque occasum retulit? At qui malignè Astrologiam vexant, aiunt non Orionis, sed Autumni tantum & Hyemis habuisse rationem. Quid igitur opus erat Orionem nominare? quid eius exortum atque occasum annotare? Num satis erat ineuntis autumni & hyemis signare tempora? sed si nihil Orion confert, si nihil etiam quæ supra Orionis vires sunt Planetæ efficiunt, eadem continuò tempestas istis diebus recurreret vt potè statis & ex anni certa ratione redeuntibus, quod tamen sæpissime falsum experimur, vt omnino fateri oporteat esse in diuerso Planetarum situ vim arcanam quam nullus nisi peruicax negat, nisi hebes non agnoscit. At quæ supra nos nihil ad nos aiunt, si quæ Astrorum vires, illæ mortalibus abditæ atque imperuiæ, sed quibus? stupidis fere aut socordibus, aut futiliter actuosis.

Pudeat nos effectus siderum non obseruare quos plantæ sentiunt, quos brutæ animantes norunt. Olea, salix, tilia, vlmus quoque & alba populus solstitium demonstrant, si vndesque obuertunt, & lanugine canescentes dorsum ostendunt, lupinus abeuntem solem intuetur, vt caulem nusquam intorqueat quotidie agricolis horarum index, etiam nubilo cælum obumbrante. Lunaris herba rotundis folijs, circinatis, ceruleis, Lunæ dies nouit, vno dum illa crescit in dies folio producto, quod cum decrescente deponat. Cœpa quod multo mirandum est magis inter olera omnia, sola siderum vicissitudines notat, & contrarias habet augendi minuendique vires; reuiuiscit enim decedente Luna, cum adolescente decrescit: Num pudor ignorare quod salices, lupini & capræ norunt. De animalibus superuacaneum est dicere in tanta luce & tot rerum congerie. Sentit formica minimum animal siderum vices, vt interlunio cesset, plenilunio totis noctibus operetur. Sentiunt murium fibræ quæ lunari numero respondent, & ælulorum pupillæ vt nunc ampliores, nunc arctiores cernantur. Scarabæus pilulam ex stercore humo effossa viginti & octo diebus obruit tantisper condens, donec ambiat signiferum Luna, ad interlunium reuertitur, scrobem aperit & nouam sobolem excludit. Heliodromos auis quotidie ortum & occasum cum Sole habet, solstitij diem vitio auis prodit: Æquinoctium Caniceps manifestat: parra orientem indicat Sirium ipso die fugax. Et cessamus à cælo & sideribus auerti dum in patrimonium nostrum aues & quadrupedes inuadunt? At verò qui fieri potest (aiunt) vt tantam siderum multitudinem etiam qui curiosissimi sunt, agnoscant, vix sequuntur oculis, quomodo mente concipiant tam abstrusas vires tam remoti nullo cum Angelis commercio? Quid si accuratè rimantibus non tantum vnum & alterum, sed multa excidant. Necesse est vana fieri præsagia ignorantibus quid quæque tot stellarum latentium impedimenti, aut etiam adiumenti ferat. Hanc rationem Seneca vbique sagax attigit. *Quinque stellarum potestatem Chaldæorum obseruatio excepit, quid tu tot millia siderum iudicas otiosa lucere? Quid est porro aliud quod errorem incutiat peritis natalium, quam quod nos paucis sideribus assignant, cum omnia quæ supra nos sunt, partem sibi nostri vendicent.*

Ad hæc responderi facile potest; Astrologos habere rationem Solis & Lunæ, quinque Planetarum, duodecim constellationum signiferi, & omnium fixarum

Plin. A Porta lib. 1. Mag. nat. de caussis rerum.

Ioan. Iuseb. Hist. natur. lib. 1.

Seneca natur. lib. 2. c. 32.

primæ magnitudinis, quæ quidem omnia tam clara, tam excelsa, & tanta efficacitate prædita sunt vt facilè cæterarum stellarum vim obruant. Certissimum est autem submissiora propius in nos pondus suum dirigere, vnde penes Planetas maxima authoritas est, nec fixæ magnum vnquam impetum corporibus imprimunt nisi eorum radijs stimulentur: non est necesse illos etiam qui Philosophiæ prima laude florent, omnia corporum mixta nosse, nec Medicos tam variam stirpium congeriem amplecti mente, ingens memoriæ pondus. Mederi vtique solent paucis & notis, parum de tot exterarum plantarum varietate solliciti. Quis vetet etiam Astrologos de paucarum stellarum aspectu sua apotelesmata recensere? At dices nihil medicinæ confectæ obsunt herbæ quæ ignorantur à medicis, cùm in ægros non agant absentes. Hîc autem corpore & aspectu præsentes sunt tot stellæ quæ omittuntur à Mathematicis, natalium iudicia turbaturæ. Imo quę relinquuntur, gregariæ sunt, & nihil aduersùs Planetarum principumque fixarum prævalidum robur possunt præaltæ & minutæ: verum dubitare quis possit quomodo Planetarum fixarumque naturam, & qualitates discernant Mathematici: nam cum nunquam solitarij ignes in cælo, sed ex cæterorum agmine fulgeant, qui possunt scire an frigus à Saturno, calor & serenitas à Ioue, an ab aliquo alio sidere tum circumstante? Cauillari istud est non disputare. Nam si licet omnia in dubium reuocare, dicam non constare mihi an calor qui nos æstiuis diebus vrit, sit à sole an ab alia stella quæ tum illum ambiat, an humor sit à Luna, an ab Astris quibus coronatur, in ambiguo omnes herbarum vires ponam, & quid peculiare cuique tribuitur, dicam non habere istud ex suo, sed afflatum de vicino. Imperitorum est ista dicere, ad omnia hæsitantium ista cogitare. Planetæ qui ferè cuncta in Astrologia efficiunt, tam noti sunt obseruantibus quam vulgatæ stirpes medicinæ peritis. Affixi tot sæculis illic fuere contemplantium vultus, illic ingenia, & mentes. Videre solitarios, videre coniunctos quacumque se darent, quid ferrent, aut significarent per tot exemplorum millia notauere. Errare facilius est in distantia stellarum à terris percensenda, in magnitudine mensuranda, quam in effectis assignandis, quia in vno acies oculorum laborat, & ægre penetrat in regna tam abdita, tam remota. In altero, vltro ad nos astra descendunt, & suas vires in nobis produnt. Exstant clara singulis mensibus testimonia, nunquam ferè Iouis cum Luna fit congressus, quin cælum aliqua saltem diei parte miti rideat clementia. Nunquam fermè Saturni coniunctio dominatur, quin frigidum aliquid aut nubilum, aut minus amœnum, subtristi aëre minetur. Hæc speculantibus tam nota, quam Grammaticis elementa literarum. Deinde rogant quomodo Saturnum discernamus, aut Iouem, quos redire per Zodiacum ad numeros scimus, quos notamus in cœlo, notamus in tabulis tam accuratis, quorum affectus tam destinatos & toties experimur. Vltimo tandem loco obijciunt non posse quid in Astrologia prædici, nisi per experimenta; At cum nunquam ferè eadem cæli facies redeat, quî possum experiri, quid hæc aut illa portendat si singulis momentis stellarum positus auolent, & omnem nobis iudicandi solertiam eripiant. Sed non est, vt dixi, tota mihi cæli malitia ad calculos vocanda, satis est vt Planetarum præcipuarumque fixarum configurationes sciam, quas recurrere sæpius videmus, quas obseruamus, quas pro nobis viginti ingentes tot sæculis, tot annorum millibus obseruarunt, & cælestem

stem doctrinam posteris quasi in patrimonium tradiderunt. Certè si tam scrupulosè cum cæteris scientijs agitur, nullæ erunt, quia nusquam similitudo ad perfectum cedit. ridebimus physicorum obseruationes, & experimenta medicorum, cùm dicemus nunquam inueniri duo corpora perfectè temperamentis simillima, ex quo fit vt quæ per comparationem vnius ad alterum constant artes, mendacijs omnino nitantur; sed hæc dicere hominis est, qui bellum scientijs, bellum ipsi indixerit veritati.

CAPVT X.

Tertia ratio expenditur de modo agendi stellarum.

IAm verò in modo quo agunt stellæ, multa & frigida Mathematicis objiciuntur ab aduersarijs. Quærunt enim quid caussæ sit cur effectus siderum sæpe in tam longum tempus prorogari videamus, vtrùm illa vis quam afflauere nascentibus duret in cælo & destinata expectet momenta, vt terris illabens efficiat quod promisit. an ipsi inseratur infanti, vt veluti tota & paulatim coalescens iusto tempore erumpat. Ridiculum est quærere, an qualitates, quæ per varias stellarum configurationes exspirantur, sublata positione corporum cælestium in ipso æthere maneant, cum constet agentium vires imprimi patientibus. Non est dubium quin tenellis puerorum artubus, vbi primum lucem salutare incipiunt, Planetarum vis adhærescat, cur autem continuò non prodatur tota, idem est ac si interroges cur semen non statim in animal, aut puer non subitò in iustam viri formam exsurgat? quid miramur quod in tota vniuersi natura quotidie transigitur, hîc fieri, vt bonarum malarumque rerum semina diu sæpe foueantur, antequam in apertum prorumpant. Granum est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbor enititur; cui ab astris ignea vis concreta est, non confestim ex vtero matris prosiliens arma capiet, sed infans morosulus, iracundus puer, præceps adolescens, forte ita sæuitiæ & sanguini proludet. Natus est quispiam male sano corpore; non ideo statim extinguitur, reluctante natura, & vim aduersam reuerberante. At cùm mali contagio robustior est, paulatim atteritur, languet & deficit. Mortem alicui citam læuus constellationis aspectus minatur, non ideo in vitæ limine semper moritur, habent enim periodi cælestes suos numeros, quibus absolutis destinata perficiantur.

Deinde sæpius interrogant, quomodo in nos agant astra? in promptu respondere est, agunt vt caussæ, significant etiam vt signa, agunt vt caussæ & quidem manifestæ, in tempestatibus aëris, in dispositione corporum, in temperamentis hominum, excitando calorem aut frigus, humorem aut siccitatem, & hæc inter se miscendo vnde tam varius est rerum inferiorum status. Faciunt serenitatem & pluuias, faciunt ægrotos & sanos, acres & lentos, lætos & tristes, cupidos & torpentes, propensiones faciunt, vitia aut virtutes nullo modo faciunt. Aptissimè diuus Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, *Illi vero qui positionem stellarum quodammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cælo faciunt iniuriam in cuius velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si ali-* Aug. lib. 5. de ciu. Dei, c. 1.

qua

qua terrena ciuitas decreuisset genere humano decernente, fuerat euertenda. Absit à Christiano homine tam execranda opinio vt suorum flagitiorum caussas regerat in cælum.

In his verò quæ humanæ vitæ prospera & aduersa notant, vt cometæ, vt nouæ stellæ, aut etiam beneficarum, maleficarumque coniunctiones non sunt caussæ saltem perspicuæ, sed signa non secus ac Irides ad serenitatem, aut etiam igneæ acies quæ in libris Machabæorum commemorantur ad bella, sic ad bona maláve temporum signanda Dei consilio ab initio rerum ordinata, pro solatio terroreve mortalium. Semper quidem promittunt aut minantur, non tamen semper necessario, quæ promisere aut comminata sunt, inducunt, Deo super omnem vim stellarum dispensante, Maiestate conditoris. Attigit quoque Diuus Augustinus hanc interpretandi rationem, loco citato. *Quod si dicuntur stellæ significare potius ista quam facere, vt quasi locutio quadam sit, illa positio prædicens futura, non agens: Non enim mediocriter doctorum hominum fuit ista sententia.*

2 Machab. 5.1.

Contigit autem per vniuersam Hierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, omnes auratam in bonum monstra conuerti.

Inde subit mirari cur scholæ doctor astra neget esse signa, haud probabili argumento inductus, signum nempe quodcumque naturale & corporeum, vel effectum esse dicit eius rei quam significat, vt fumum ignis, vel ab eadem caussa, cùm eodem effectu procedere, qualis est Iris, quæ serenitatem significat, & inde est vnde ipsa serenitas. Inferri igitur sidera non esse signa rerum inferiorum, quia non sunt earum effectus: nec enim ab istis generantur, nec habent aliquam caussam cum eisdem communem. Sed pace tanti viri dixerim, nimis stricta est, nec satis expressa hæc signi definitio quæ valet tantum in signis naturæ sublunaris, non autem in cælestibus. Nemo enim negat hyadas esse signa pluuiæ, cum præsertim hac significatione stellas dici signa in Genesi sanctus Basilius, & sanctus Ambrosius, & alij interpretentur. At quis vnquam cogitauit aut Hyadas aut Arcturum à terræ pluuijs oriri, & ex hoc nostro cœno coalescere? Longe concinniorem signi definitionem habet S. Thomas opusculo quinquagesimo octauo. *Signum*, inquit, *est res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud relinquit conijciendum.* Præclare istud quidem, & nec dubium quin hoc modo sidera signa sint quæ se sua luce primo aspectu produnt omnibus, solis autem sapientibus multa de futuris conijcienda, quamquam non necessariò suggerunt. Passim quoque physici dicunt quædam esse absolutè signa, quædam caussas simul & signa, quale est temperamentum, quod morbum sæpe signat, & facit. Hoc sensu dixit Doctor Angelicus eodem opusculo signa pluuiæ eadē continere & significare. Sæpè autē significari quædam à stellis experimentis scimus quæ nescimus in ipsis contineri tanquā in caussis, ideo signa potius quàm caussas nominamus. Restat quod aiunt homines non esse stellis subditos, quia cùm sint corporeæ, in animos omnis materiæ expertes agere nulla ratione possunt. Sed huic quæstioni non admodum implexæ satisfecit ipse Theologorum apex loco citato, asserens ipsas indirectè & *dispositiue* (vt loquitur) in voluntatem agere afficiendo corpus, & varios in parte inferiori excitando motus, quibus imbecilla vis hominum non satis rationis & arbitrij tenax, sæpè succumbit. *Pauci autem sunt* (inquit) *qui ratione inclinationes moderentur, & ideo Astrologi in multis vera pronunciant.*

S. Thom. opusc. 58. c. 9.

* * *

CA-

Capvt XI.

Quarta ratio, quæ ab effectis, explicatur.

Occvrrvnt postremo experimenta, in quibus certatur Marte vario atque ancipiti. Hinc stupendæ aliquot Astrologorum prædictiones, illinc mendacia multa & insignia, quæ odium probis, deceptis pudorem, omnibus risum excitant. Si constaret Mathematicorum responsis fides, nulla beatior ars in terris, nulla videretur illustrior. Sed postquam inflatos credulitate spiritus distendêre, vacuos & mœrentes relinquunt. Ad hæc respondere facilè est, mirum non esse si persæpe mentiantur illi de trinio Planetarij qui omnia humanarum actionum momenta, & totam fortunæ aleam, denunciare interrogantibus aggrediuntur. Audent enim vana, tentant pudenda, sperant illicita mortalitati nostræ. De parentibus ex filiorum genituris pronunciant, numerant fratres & sorores, censent bona, decernunt scelera, morbos ad calculum vocant, discrimina & mortes cum adiunctis describunt, & in omnibus artem fœde prostituunt. Non hæc Astrologia, sed insania est quam Ptolomæus Mathematicorum princeps apertissimè damnauit. *Ea enim tantùm ab Astrologis prædici posse dicit quæ à temperamento pendent. Eos autem qui extra naturales causas aliqua diuinant quæstus caussa, diuinatoriam venditare, & vulgo imponere.* Prima autem centiloquij sententia magnifice incipit his verbis. *A te & à scientia, fieri enim nequit, vt qui sciens est, particulares rerum formas pronunciet, sicuti nec sensus particularem, sed generalem quamdam suscipit rei sensibilis formam. Oportet tractantem hæc rerum coniecturâ vti, soli autem numine afflati prædicunt particularia.* Si quis igitur intra constitutos à sapientibus limites Astrologiam profiteri velit, & se ab istis nugatorum vaticinijs expedire, non se tot mentiendi periculis obijciet, & rectà ad destinatum scopum collineabit.

Ptolom. lib. 1. de prædict. Astron.

At dicet aliquis, in ijs quæ de præsagijs tempestatum, de constitutione corporum, de temperamentis, & indole hominum dicuntur, sæpè errores esse permultos: ex quo fit vt tota pene quæ in iudicijs versatur Astrologia, inanitatis arguatur. Huic ergo obiectioni satisfaciam si dixero, primùm diuinationem ex astris rem esse omnium pene difficillimam: sæpè falsa natiuitatis momenta dantur pro veris, sæpè ad vnum attendunt quos varia, & implexa, & contraria aduersis ponderibus librare oportebat. De facili enuntiat quisquis facili ingenio, multos fallit falsa obseruatio, multos ratio falsa, plures computatio. Astrologia in rerum natura vbique est, sed rarissime Astrologus inuenitur. Adde iam iudiciariam esse de genere coniecturalium artium, qualis est Medicina, qualis etiam Politica, tam Ciuilis, quam Militaris, quæ in tot euentis rerum propter vagas & ancipites caussas, quid fieri soleat sagaciter indicant, quid necessariò futurum sit, nunquam temerè pronunciant. Aptari nos rebus oportet, non res nobis. Naturam non faciunt artes, sed speculantur. Nemo profluentem solidari postulat, aut petras fluere. Non fallunt astra, constantissime suas proprietates seruant; sed quæ vim Astrorum inferiora suscipiunt, fluida & incerta. Sæpius tamen periti siderum rectissime iudicant, & multa nec leuibus ingenijs loquuntur admiranda. Absurdum autem est dicere Regias hic habet in genitura stellas, diadema illi certò promittitur, etiam inter miselli tugurij sordes edito. Tu vis vestem sine panno. Non sic agunt caussæ cælestes, vt non requirant materiam ad suas vires sus-

suscipiendas apte & concinne dispositam. Radium solis ex speculis ardentibus reflexum, omnia quæ circumstant corpora suscipiunt, non omnia æque vruntur, sed ramenta aut palea longè viuacius concipiunt flammas. Omnes cæli vim experiuntur, omnes tamen non æque afficiuntur, quia non vbique eadem inferiorum dispositio est. Itaque vt ait Sixtus ab Hemminga nobilissimus Astrologus, licet motus influxusque corporum cælestium in hunc mundum perpetuo ac necessario quodam ordine agant, non tamen eodem modo quo à superioribus procedunt, ab inferioribus recipi ob inconstantem, semperque fluentem qua composita sunt materiam, quorum natura nunc auget decreta cælestia, accelerat ac promouet; tunc minuit, auertit, peruertit, cælestemque necessitatem in contingentiam permutat. Adhæc quod etiam agnoscit Volphius libro de Astrologiæ vsu, circumstantiæ regionum, religionum, legum, morum, parentum, institutorum, educationis, commercij, locorum, temporum, decreta siderum, sæpè variant & mutant. Sed maximam vim habet consilium, deliberatio, prudentia, & humanæ libertas voluntatis.

Quæris cur omnes qui Virginem in horoscopo, aut stellas regias cum luminaribus coniunctas habent, non euadunt Reges & Principes? in promptu caussa est, deest artifici stellæ materia, Domus, parentes, census, amici, clientelæ grandis & superba occasio. Erunt tamen qui sic nascentur siue pastores, siue opifices, in sua natione primi, & cælestibus notis in hoc sortis obscuro aliquo modo conspicui. Quæris cur pluuiarum occursus stellarum non semper imbres generet, nulla in cælo mora est, per aërem & nubes stat, quæ nondum ad partus aquarum aptè coaluerent.

Inde nobis ad decantatum toties de geminis argumentum non difficilis solutio est: fatigant enim nos inani quæstione vbique Iacobum & Esaü personantes, ad eludendam vim siderum. Sed primum vni quod toties obtrudunt pari multa possumus de similitudine geminorum paria regerere. Habemus sanctos Cosmam & Damianum consimili vita, religione & professione pari, eodem etiam die martyrio coronatos. Habemus Geruasium & Protasium nobile par sanctorum, ijsdem rebus, ijsdem casibus exercitum. Habemus sacros Pontifices Medardum & Gildardum, simul natos, simul Pontifices, simul fato functos. Tradit etiam Campanella se vidisse Vitales filios adeo per similes vultu, vt discerni non possent, moribus planè concordes, simul sanos, simul infirmos, eodem etiam anno mortuos. Non dispares fuere quos geminos ex ægritudinum paritate Hippocrates agnouit. Cur de tot, ac tantis silent, de Iacob & Esaü perpetuò conclamant? Norunt qui mediocriter Astrologiæ periti sunt, fere nascentibus geminis modò statum fere eumdem cæli diu manere, qui nullam in moribus mutationem faciat, modò etiam breui interuallo planetas qui infra Horizontem, erant supra assurgere, qui dissimillimam vim habeant, dissimillimos etiam effectus in eum qui secundo loco nascitur, pariant.

Hîc argutatur Diuus Augustinus, dum quærit, si Gemini à diuersis planetis sunt, cur non etiam diuersos habent parentes, quasi astra præstare possint quod Deus non potest vt factum sit infectum, vt filius non sit patris filius, nec filij Genitor pater: sin autem similes habent stellas cur (inquit) non semper simul peregrinantur, simul ducunt vxores, simul procreant liberos? Debuerat addere cur non semper simul stant, & simul sedent, simul vigilant

lant & simul dormiunt? Aptissimè respondet Quintilianus in Geminis languentibus. *Nihil in rebus humanis valuit esse natura tam simile quod non aliqua proprietate secerneret. Quid refert an ex eisdem prima illa duorum corporum, animorum compago seminibus oriatur? sibi quisque firmatur, sibi quisque componitur, & duo pluresve fratres nascuntur fato singulari.*

Itaque Geminis qui modò iisdem prorsus sideribus nascentes afflati sunt, multa consimilia dicimus, æqualitatem negamus in omnibus, quæ neque in vnius hominis membris reperitur. An verò non mihi liceat, sicut & illis cauillari, & dicere, si sub iisdem Astris natum est istud corpus, cur pedi non obtigit caput esse, aut stomacho iecur? Sed hæc dum nimis stringunt, laxant omnia. At verò ostendere licet Geminos sub eadem cæli positione editos, qui longè diuersis sunt moribus. Quid tum? Num & canes quos in concionem Spartanorum protulit Lycurgus, ambo & eodem fere momento ex venatoribus erant parentibus editi, cur vnus in leporem, alter in offam insiluit? Hoc assuetudo fecit, vno in syluis exercito, altero culinæ mancipato. Et miramur Esaü & Iacobum moribus adeo discrepantes. Hoc educatio præstitit, vni in agro, alteri in tabernaculo. Hæc, secunda & affabre facta natura est, semper instans, semper incumbens, quæ primæ impetum sæpius infringit. Infinitè varia sunt quæ vim & actiones siderum retundunt, natura seminis, nutritio, institutio, externorum conditio, casus, occasio, fortuna, prouidentia.

Deinde quærunt an qui in acie aut naufragio moriuntur, eamdem omnes in horoscopo mortis constellationem sortiti sint? Non est credibile, non est verum. Quidam hîc suo fato, quidam præter fatum intereunt. Inter amæna vitæ multos stellæ ducebant, in auersum per dura Martis aut maris opera, vel alterius imperium egit, vel casus abripuit, sub fœlicibus astris sæpè infœliciter moriuntur, qui fœlicitatem spernere quàm sequi maluerunt. Quid miramur si toties contra sidera dimicamus? contra gratiam, contra Deum quotidie pugnatur. Non ideo gratia non fuit si in vacuum fuit, non ideo scientiæ nullæ sunt, si quid in scientijs à professoribus erratur. *Ars opinabilis* (vt ait Cicero) *fallit nonnunquam, sæpissime ad veritatem dirigit. Est enim ab omni æternitate repetita, in qua cum penè innumerabiles res eodem modo euenirent, iisdem signis antegressis ars est effecta.* Si semel à quopiam visum est, visio est in rebus. Si semel ex Astrologia arte diuinatum est, diuinatio ex Astris est, vt aiebat Cratippus. *Nam sine oculis non potest extare officium & munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere. Qui semel ita vsus est oculis, vt vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Ita igitur sine diuinatione non potest & officium & munus diuinationis extare, potest autem quis cum diuinationem habeat errare aliquandò, nec vera cernere, satis est ad confirmandam diuinationem, semel ita esse aliquid diuinatum, vt nihil fortuitò credidisse videatur.* Sunt autem huius generis multa vt quotidianis experimentis patet, quæ ab Astrologis verissimè dicta sunt, vt necessariò fatendum sit rectè ex syderum inspectione quædam præsagiri, possunt Arioli, possunt Magi multa prædicere, sed quod fortuitum est sine ratione & methodo, aut expestifera dæmonum societate venit, inter artes, & scientias annumerari non potest.

Cic. lib. 1. de diuin.

* * *

Capvt XII.

Quæ ab Astrologis obseruari, & prædici, innocenter & vtiliter poßint.

IVdicantem Astrologiam in duas diuidimus partes, vna ex generalis, altera particularis. Primùm nata est generalis cùm cœpêre sapientes ostenta cæli, quales sunt cometæ, sollicitiùs obseruare, & permulta experimenta inde denunciare aquarum eluuiones, conflagrationesque terrarum, annonæ penuriam, famem, pestem, discordias, sectas, bella, & clades, denique vrbium, regionum & populorum fata.

Secundæ incubuerunt curæ in mutationes aëris, in præsagia temporum atque tempestatum, quibus medicina, nautica agricultura, peregrinatio & vitæ commoditas regi iuuarique posset; hæc in genere. In particulari verò tandem Astrologi deuenêre ad diuinationem circa cuiusque hominis genituram quam horoscopum vocant, audax opus, & multis erroribus inuolutum. De hoc triplici diuinandi genere, atque imprimis de Astrologia generali, circa euentus vrbium, prouinciarum, regionum, imperiorum iuuat differere.

Genituras vrbium facere proximum dementiæ arbitror, sed imperiorum fata describere, & certas illis durationis periodos ex Astris, vt faciunt, definire insolentissimæ insaniæ est. Hoc tamen sibi arrogarunt non Astrologi, sed potius Titanes, summi dominatoris sceptra & iura tentare ausi. Albumazar magnos quos vocant orbes commentus, ait vnumquodque ex signis & planetis imperium orbis tenere per annos trecentos & sexaginta, quibus exactis nouum inchoari orbem alio planeta signoque succedente. Tum verò ex prædominantis signi & sideris natura toto illo annorum circuitu omnia fieri, His calculis & spatijs terminos etiam Christianæ religioni ausus impio conatu assignare, quos ipsa iam dudum prætergressa est.

Haly ad triplicitates signorum recurrit, & ait imperiorum sectarumque vicissitudines fieri, prout magna coniunctio Saturni, aut Iouis in triplicitate ignea, aërea, aqua, vel terrea deprehenditur. Addunt Christi Domini religionem cœpisse, dum hæc Sysigia in leone esset triplicitatis quippe igneæ: Mahumetanam superstitionem inchoatam, dum eadem in Scorpionis trigone aqueo, versaretur. Sic Romanorum, sic Constantini, sic Caroli magni Monarchias, ad hos referunt calculos. Sed vt iam monui triplicitates istæ igneæ, aëreæ, aqueæ, terreæ mihi admodum suspectæ sunt, quæ in Physica fundamentum non habent. Ausus quoque Cardanus asserere post annum 1583. quô eadem maximorum planetarum vnio steterit, futurum nouum, potentissimum omnium dominatum, cui subderentur omnia. En quò vanitas mentes inanes perduxit! En quo arrogantis ingenij temeritas præcipitauit!

Recens author, vir eruditionis multæ magis quàm sanæ, dum omnium vincere studet ingenia, seipsum non vicit, sed ea in Astrologicorum libro edidit, quæ premere ars poterat, ratio debuit.

Prima, inquit, caussa generalis translationis imperiorum, artium, religionis, est continuus solis descensus ad terram, comburendam (nam Solem iam spatio quinquaginta quinque millium Leucarum descendisse sibi potius fingit, quàm alijs probat. Cùm igitur, inquit, altissimus esset, erat imperium & religio sub æquatore. Soli enim

enim eorum tum, purgabat spiritus animales, & attenuabar, ex quo ingeniosiores erant, & magis probi. Vbi autem virtus est, Liuio ibi etiam fortuna. Vnde capaciores regnandi tum illis mentes. Cum autem Sol cœpisset descendere, aruit tellus æquinoctialis ex parte, factaque sunt ingenia fuliginosa præsertim propè tropicos; ex quo religio & imperium in Babylonios secessit. At postquam descendente paulatim Sole cœperunt Ægyptij & Babylonij fuligine vexari, dominatus transiuit in Medos. A Medis iam vi nimia caloris arescentibus in Persas, à Persis & ipsis postea fuligine intinctis in Græcos, qui spiritus nacti erant perpurgatiores, mox ipsis incalescentibus in Romanos.

Multa hîc deridenda tanto viro indigna, multa dictu incredibilia, auditu etiam aspera. Primò quòd vult Solem vltra per igæa solita descendere, quod mathematici prudentes & periti non agnoscunt. Secundò quòd maximam sub æquatore Monarchiam memorat antè Babylonios, & Ægyptios, quod nec Herodotus, nec Strabo, nec vllus veterum sensit. Tertiò quòd ingenia acutiora, aptiora virtuti credit, contra Platonem qui rarissimam rem putabat ingenium mansuetum & magnum. Quartò quòd purgatas, fuligine mentes habere in comitatu fortunam censet, contrà Aristotelem, contrà communem sensum, & experientiam eorum qui toties legunt & vident imperia terrarum maxima penes Barbaras nationes stupidas & illiteratas fuisse, atque adhuc & in Turcis esse. Præterea quàm inconcinnè ait religionem Babylonijs simul & imperium obtigisse, cum perpurgatis essent mentibus. At quæro quam tum religionem habuere, num aliam quàm Ethnicam & sacrilegam? Num profanos & abominandos cultus? Ecquis hoc inter fauores cæli audeat numerare? Mitto alias caussas quas sumit à translatione fixarum, de cardine in cardinem. A mutatione planetarum de signo in signum. A mutatione obliquitatum tam in excursu Solis, quàm cæterorum erronum: hæc enim omnia sunt eiusdem farinæ, in Theologo explodenda, nec ferenda in Astrologis.

An verò alia ratio mutationis regnorum inquirenda est quàm quæ per Prophetas est reuelata? *Ipse*, vt dictum est à Daniele, *mutat tempora & ætates, transfert regna, atque constituit*. Et pleniùs ab Ecclesiastico. *Exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem. Radices gentium superbarum arefecit, & plantauit humiles ex ipsis gentibus*. Procul igitur ablegandi sunt Regnorum dispositores, vt ipsi appellant, qui terminos imperijs audent decernere, leui fundamento, ratione cæca. Hanc enim sibi gloriam Deus optimus maximus reseruauit. Hanc prouidentiam in pectoris sui sacrario consecrauit. Atque vt duri oribus astris desæuientibus, aut ipsa sui corruptione inficientibus elementis, strages hominum pecudumque permittit: Nunquam tamen ab ijs patitur species quæ sunt quasi æterna rerum exemplaria, funditùs extingui. Pari profectò ratione, magna illa rerum humanarum quæ ipse fecit imperia conseruat, nec ipsis quidem sideribus abolenda concedit, nisi grauibus de caussis irritatus scelerum vltor accedat.

Dan. 2. 21.

Eccl. 10. 18.

At verò quærendum hoc quoque videtur, num publica quædam Astrologia sit, sicut & priuatorum, quæ vrbium nationumque aduersa præsagire possit. Hoc longè modestius Ptolomæus libro secundo de iudicijs Astrorum quàm recentiores Astrologi, tractauit. Interdum (inquit) grauiores & certarum quasi recursionum casus inquiri solent quales sunt bellorum, pestilentiæ, terræ motus, diluuij, & huiusmodi.

di interdum leuiores & remissiores, vt annuæ tempestates intentio, vel remissio, itemque hyems aspera, vel leuis, déque ventis & æstu similiter: nec non fertilitate & fœcunditate, quæque sunt alia generis huius.

Nunc autem quibus hæc rationibus exquirat, considerandum est, non magnos orbes, non descendentem Solem, non ambulantia extra suos fines excogitat sidera, sed ostendit variè gentes omnes affici pro accessu ad Solem vel ab eodem recessu. Quædam autem Zodiaci signa pro terrarum situ vni magis genti quàm alteri esse familiaria. Itaque arieti adscribit Britanniam, Galliam, Germaniam, Palæstinam, Tauro, Persidem, Geminos Ægyptum, Afros Cancro, Leoni Italiam, Virgini Babyloniam & Græciam, Libræ Thebaïdem, Scorpioni Mauros & Cappadocas, Sagittario Hispaniam & Arabiam fœlicem, Capricorno Indiam, Aquario Æthiopiam, Piscibus Ciliciam. Hæc pauca exempli caussâ ex multis decerpimus, quibus & ipse suos planetas præsides addit quod minus soliditatis habere mihi videtur.

His præcognitis asserit non esse priorem aut potentiorem caussam quàm quæ ducitur a defectiuis Solis ac Lunæ copulationibus, vbi magnæ sunt, & horrendæ, & ex cursu stellarum, quæ tum loca in quibus fiunt, peragrant. Num hoc prudenter? num hoc ad vocem domini accommodatè? qui defectus etiam Solis & Lunæ inter ingruentia malorum signa toties memorat in Euangelio, *Sol obscurabitur* (inquit) *& Luna non dabit lumen suum.* Itaque salubrioris in hac parte iudicij Bodinus libro quarto de republicâ, qui maximorum planetarum Saturni, Iouis, & Martis coniunctiones magnum quid portendere autumat, nec inanes defectus Solis & Lunæ iudicat, maximè cum eodē anno concurrunt. Cœpit experimentū fides in Arbellis, & in Persei fato, duobus ijsque ingentibus imperijs in gemina Ecclipsi prostratis. Congressus fuit magnorum Planetarum in Scorpione, bello Cæsaris & Pompeij, in excidio Solymæ, bello Vitelliano, & Mahometa emergente. Idem intra annum quo Lutherus natus est, in Scorpione inuentus. Anno quoque M D.LXIV. conuenere duo altissimi planetæ in Leone cum Sole & Mercurio. Inde multa noua & stupenda consecuta. Rex Carolus IX Hæreticorum factione circumsessus. Henricus Sueciæ spoliatus à suis & in carcerem coniectus. Maria Stuarta à rebellibus indignissime vexata, erepto imperij iure, afflictaque libertate. Thuneti Rex profugus. Mauri & Hollandi in Regem Catholicum tumultuantes. Eadem Synodus Saturni & Iouis recurrens in piscibus anno M.D.LXXXIII. semina ingentium bellorum sparsit in Gallia. Anno M.D. LXXXVIII. quem Climactericum mundi Astrologorum plerique dixerant, cum vtriusque luminaris Ecclipses contigissent, contaminatissima fuerunt tempora Guisiorum interitu, & mox atroci Henrici tertij morte, quàm bellum immensum, & clades infinitæ excepere. Antea quippe anno M.CCCCLXIV. cùm Saturnus & Iupiter in eodem sidere piscium, licet naturæ amœnioris, coaluissent, magna pars orbis in Martem excita. Hoc quoque sæculo, intra annum quo tria primaria capita, in quibus res Europæ vertebantur, cecidere, Saturnus, Iupiter & Mars in Piscibus conuenere.

Matth. 24. 29.

In Ecclipsibus autem considerandum Ptolomæus monet quo in signo fiant, cui potius minentur genti, quanto temporis inter-

interuallo durent. Quotquot enim horas æquinoctiales inuenerimus, tot in solari quidem deliquio annos, Lunari verò menses duraturos effectus pronunciabimus: Et quidem si ad orientem fuerint, circa primos quatuor nasci menses: Si ad medium Cæli verticem, cæteris quatuor consequentibus: Si ad occidentem circa vltimos. Atque vt sagaciùs subodorari possimus quid portendant non segniter erunt obseruanda signa in quibus transiguntur, tum signorum domini, configurationesque quas ad cæteras stellas sortiti sunt. Nam ratio euentuum fere pro eorum natura contingit. In signis humanis magis hominum generi minantur. In brutis pro forma stellarum in quas incidunt. In Tropicis signis mutationes aëris, magnasque in imperijs rerum conuersiones indicant. In Septemtrionalibus ijsque terrenis, terræ motus. Orientales fructibus & teneræ ætati sunt infestæ. Quæ in medio cælo sunt templis, Regibus, ætati virili. Occidentales senectæ, & moribus antiquis. Omnes fere Solis Ecclipses aërem refrigerant, imbresque pariant, Lunares exsiccant. Vtraque segetibus maximè dum florescere incipiũt, tenerisq; arborũ germinibus noxia.

Si defectui Saturnus dominetur, rigidæ portenduntur hyemes, morbi diuturni, labes, marcores, molestæ fluxiones, febres quartánæ, exilia, inopia, angustiæ, luctus, terrores, mortes potissimùm ætate prouectorum. Brutas quoque animantes aptas hominum vsui comminuit, & vescentes morbifera vi malorum inficit. Excitat frigus nebulosum & horrendum, tempestates aduersas, densas nubes, caligines, niuis magnam & importunam vim, vnde serpentum multitudo concrescit. In fluuijs & Mari facit hyemes, naufragia, piscium interitus. In terra vastitatem per erucas, locustas grandines, inundationes. Si Iupiter solus dominatum obtineat, omnia clementiori aspectu mitigat, noxiasque maleficorum reprimit vires. Si Mars, feruore nimio corrumpit, febres affert tertianas, sanguinis eruptiones, morbos acutos, violentas mortes, contumelias, iniurias, incendia, homicidia, rapinas, latrocinia. Sæuit bellis, seditionibus intestinis, carcere, populationibus, inopinatis, cædibus & principum iracundia. In aëre commouet calidos ventos, pestilentes, tabificas fulminum iaculationes & flammas. Venus eadem efficit quæ Iupiter, cum venustate quadam & gratia mulcens tristia, placans aduersa. Mercurius ad stellæ se naturam aptat cum qua fuerit configuratus, & si sinistra illa fuerit, omnium est maximè acer & impetuosus.

Præterea in deliquijs obseruandi sunt colores non modò luminarium, sed eorum etiam quæ circa ipsa colligi solent. Si nigra sunt & liuida, Saturninos effectus demonstrant. Si candida, Iouiales. Si rutila, Martios. Si flaua, Venereos, si varia, Mercuriales. Pro quantitate autem obsessi sideris augentur vel remittuntur mala. Hæc omnia Ptolomæus libro secundo de iudicijs Astrorum obseruat, non vanus augur historias temporum consideranti, quibus ferme Solis & Lunæ Ecclipses funesta pleraque & luctuosa cladibus intulere. Idcirco Platonis æuo capitale fuit dicere Solem à Luna obscurari. Archelaus Rex in Ecclipsi Solis, regiam clausit, filiumque totondit vt in publica calamitate. Defectus idem contigit quando Annibal à Scipione victus est. Quando Augustus rebus humanis ereptus. Anno mundi 3343. denotauit corruptissimum regni Iudaici statum. Anno 3350. captiuitatem miserrimæ gentis. Anno 3360. excidium sub Nabuchodonosore. Anno 3619. bellum Peloponnesiacum, Anno Christi 592. dirum ho-

Alex. Aphod. prob. 46.

hominis portentum Phocam Imperatorem. Anno 622. Mahumetem. Anno 612. maculosus sol mortem Caroli magni denunciauit. Anno 1033. supremum Roberti Regis diem, Anno 1415. Ioannis Hus funestum supplicium, & tetram Hussitarum rebellionem. Quid opus est ire per omnia, vix vlla Solis Ecclipses ingens contingit, quæ his notis careat.

Præter deliquia luminarium obseruari cometas iubet de quibus multa priore libro dixi. Tantum addo de ijs iudicia fieri iuxta regulas Ecclipsium. Si in terrestribus signis fuerint, portendi sterilitatem; si in aquosis inundationes & pestes: si in aëreis ventos, & seditiones: si in igneis, calores, bella & incendia. Tempore Anaxagoræ ingens cometa arsit septuaginta quinque diebus. Consecuta rabies ventorum qui saxa longo tractu volutauere per aërem. Anno primo belli Peloponnesiaci inter Græcos, tam atrocis & tam diuturni cometes ingens sexaginta diebus fulsit. Post mortem Demetrij Syriæ Regis quo tempore Machabæorum instabant luctuosissima tempora, cometa horrendæ magnitudinis exarsit, quem claritate luminis ignei, & rutilantis, noctis tenebras dispulisse, & magnitudine solem æquasse scribit Camerarius libro 2. de ostentis.

Alstedius.

Cladem horrendam Romanorum in Germania sub Augusto Imperatore, & Quintilio Varo duce, dirus quoque cometes insigniuit.

Anno quo obijt Claudius Cæsar, & Nero successit, feralis Imperator, nouus cometes caput extulit, quem Seneca iactabat cometis infamiam abstulisse tam prospero Neronis imperio, sed ipse infidam vaticinij fidem non diu post expertus.

Anno quo excisa Hierosolyma, & infinitæ clades in imperio Romano, ex Galbæ, Othonis, Vitellij, & Vespasiani bellis sunt consecutæ, terrificus cometa in modum Gladij flammas euomentis apparuit, vt scribit Iosephus de bello Iudaïco.

Anno 181. sub imperio Commodi qui orbi terrarum perniciosissimus fuit, alius cometes tot funerum denunciator accensus.

Anno 195. sub Seuero, cùm vndique arderet persecutio Christianorum, alius cometa sæui temporis testimonium tulit.

Pestilentem Arij hæresim varij quoque cometæ præcessere. Mortem Constantini magni, & sæua filiorum inter se prælia cometes denunciauit.

Romam ab Alarico captam, & graues orbis concussi calamitates, cometa sæuus indicauit, alius sub Attila ferale luxit tot calamitatum augur.

Alius sub Iustiniano seditionem Constantinopolis omnium tetertimam insigniuit. Vastitatem Romæ sub Totila alius indixit, nec sine grandi cometa Mahometes orbem Christianum teterrime lacerauit. Duo cometæ visi cùm trecenta hominum millia Constantinopoli pestis absumpsit.

Anno 763. cometam frigus ingens & deinde vredo frugum vastatrix excepit. Cometam quoque vidit bellum sacrum, quod per multos tractum annos orbi Christiano deploratissimum fuit.

Anno 1433. cometam annonæ caritas per sex annos consecuta, cladem Varnensem, & posthac ingentem Turcarum potentiam capta Constantinopoli alius significauit.

Anno 1477. post cometam visum, fuit flagrantissima æstas exsiccatis frugibus, syluis accensis, & fluuijs arescentibus.

Anno 1516. exortum Lutheri qui anno sequente emersit, cometes de cælo dixit.

Anno 1572. conspecta est noua stella in syde-

sydere Cassiopeiæ, quæ pro cometa cælesti habita, tum factiones hæreticorum in Gallia luctuosæ, inde nuptiæ Parisinæ & cædes horrendæ.

Longum esset cætera percensere. Quis hæc ostenta minari è cælesti suggestu frustrà vidit? Si Saturnini sunt cometæ, implent omnia funeribus. Si Martij, immodicas pariunt siccitates, pestes diras, bellaque sæuissima. Si Venerei, attonitos morbos, paralyses, febres, seditiones. Si Mercuriales, fulgura, tonitrua, terræmotus, ventos grandes, subdolas artes, humano generi perniciosas.

Anno millesimo sexcentesimo, decimo octauo, Nouembris vigesimo septimo, apparuit cometa rutilus præcedens Solem, qui tum erat in Sagitarij quarto gradu, cùm corde Scorpij, quàm stellam supra cæteras funestam agnoscunt Astrologi. Comam graduum viginti quinque diffundebat in occasum: Corpus in Arcton ibat, contra ordinem signorum: Fuitque cum emergeret in opposito Saturni partilissimo, existentis in Geminorum quarto, & in quadrato Martis, qui tum obtinebat Virginis decimum octauum. Die 24. Decembri post dies viginti septem valde imminutus, circa medium Ianuarij in circulo Arctico positus, cum fulgorem caudæ vibrasset, omnino disparuit. Multa hîc notanda, primùm quod visus est in sagittario signo igneæ triplicitatis, acri, & bellicoso. Secundo quod cum corde Scorpij quod multa violenta, multa per tacitum scelus serpentia (vt aiunt) indicare solet. Tertiò quod in opposito Saturni. Quartò quod in quadrato Martis. Saturnus hic dominans (vt ait Ptolomæus) libro secundo de iudicijs Astrorum, signat exitia, angustias, luctus, terrores, mortes tempestates, hyemes, fluuiorum exundationes, aquarum corruptiones, famem, pestem, perniciem omnium rerum. Martis autem quadratum, vt idem notat, in humanum genus sæuit bellis, seditionibus intestinis, carceribus populationibus, iracundia Principum, tumultibus plebium; quæ omnia his calamitosis temporibus sumus experti. Atque vt cauda in occidentem ibat, minabatur Hispaniæ & Angliæ, corpus verò in septemtrionem, Germaniæ. Vtique exspectabatur vt reuoluto Saturno extra idem signum quo erat primo tempore apparitionis cessarent bella & tumultus, quod in pace Germanica tum inchoatum. Sed heu miseri! feralem illum cometam adhuc sentimus, adhuc horremus, nostris funeribus immersi, toties & nunquam sepulti. O maxime, ô potentissime rerum sator, cui militant angelorum castra, cui sidera parent, cui seruiunt elementa, desine iam tuam ostendere potentiam ea parte qua tonas, qua fulminas, qua faciem confundis vniuersi. Agnoscant te tui plurimum posse, cùm plurimùm misereris. Dic Angelo percutienti, quisquis ille est, vt tepentem tot infœlicium cruore gladium in vaginam condat, & ne ad extremam populorum vastitatem deſæuiat. Pax illa toties optata, toties vocata; ea parte sacrum & verendum caput exerat, quam tetri cometæ funestarunt, in huius amplexus currere iuuabit atque inuolare, hanc suis sedibus reportare, huius sub vmbra viuere, & te Deum pacis, parentem misericordiæ, æternis laudibus prosequi.

CAPVT XIII.

De Præsagijs temporum.

PRæsagia temporum perplexissimas habent in Astrologia difficultates, quas etiam acutè Plinius vidit. *Primùm enim* (inquit) *omnium dierum ipsorum anni, solisque motus prope inexplicabilis ratio est. Accedit con-* Plinius lib. 18. c. 25.

R fes-

fessa rerum obscuritas, nunc præcurrente, nec paucis diebus tempestatum significatione, quod prochemasim Græci vocant, nunc postueniente, quod Epichemasim & plerumque alias citius, alias tardius cæli affectu ad terram deciduo. Præterea cùm omnia hæc statis sideribus, cæloque affixis constent, interueniunt motus stellarum, grandines, imbres, & ipsi non leui effectu, vt docuimus, turbantque concepta rei ordinem. Idque ne nobis tantum putemus accidere, & reliqua fallit animalia sagaciora circa hoc, vt vita eorum constet, æstiuasque alites præposteri rigores necant, hybernas, æstus. Ideo Virgilius errantium quoque siderum rationem ediscendam præcipit, admonens obseruandum frigida Saturni stellæ transitum. Sæpè retellit antiquos fixarum stellarum obseruatio quam non satis perspectam habebant & planetarum ignoratio. Nonnunquam Aristoteles, Plinius, & cæteri tempora absolutè decernunt ex fixarum ortu & occasu, quæ tamen varietatem magnam habent effectuum, pro errantium aspectu. Plerique nunc etiam ex solis inerrantibus pronuntiant, nec aduertunt ortum earum qui à Cesare, Columella, & Ouidio, describuntur pro diuerso regionum situ mutari. Nihil hîc tam obnoxium errori, quàm ex vnius aut alterius stellæ aspectu præcipiti sensu iudicare.

Multa in hoc argumento mihi non otiosè consideranda videntur, ac primùm solis ratio: nam, vt ait Ptolomæus, Sol vniuersales temporum constitutiones, & modos facit, atque id pro varijs Zodiaci signis in quibus diuersatur. Absque illo nihil reliqua sidera efficiunt, nec tamen ille solus omnia; nam pro accessu & recessu planetarum mirum in modum tempestates vertit. Aduertendum autem impingere nos frequenter in lapsus, nisi rationem habeamus stellarum fixarum, signorum Zodiaci, quæ tardius nunc Solem sequuntur. Vnde vidimus Sole Capricornum ingrediente circa natalem Domini, aut humenti Cælo, aut placido frigore dies decurrisse: initio autem aquarij acerrimum algorem extitisse, quia tum stellæ quæ in Capri fronte visuntur, cum Sole se exerunt. Quatuor temporum cardines in tropicis solstitijsque constituti, omni æuo, & ab omnibus obseruati. Inde Solis orbitam secuti veteres tempora diiudicauere; Et Romani quidem aperiri terram & pullulare à bruma, die quinquagesimo-septimo definierunt. Ab Æquinoctio verno, die quadragesimo octauo æstatis initia numerabant. A solstitio æstiuo, die vigesimo quinto æstus validos rabiemque caniculæ. Inde die quadragesimo tertio à solstitio, autumnum censebant. Ab Æquinoctio autumnali, exactis diebus sex & quadraginta, hyemem: quam Democritus talem futuram putauit, qualis ipse solstitij hyberni dies esset.

Hæc alijs seriùs, alijs etiam maturiùs progrediuntur pro diuerso terrarum tractu. Nobis quibus polus ad 48. gradus eminet, fermè vno mense tardius quàm Romæ obueniunt. At liquidum est inesse Soli quasdam progressiones, certasque à tropicis & solstitijs periodos, quibus mutationes præcipuas facit. Illæ imprimis spectandæ sunt, vt de calore, aut frigore, de sereno aut nubilo certius coniiciatur. Lunationem Aprilis ferè semper experimur frigidam & sæuam, quia tum Sol ad Arctos frigoris & grandinis niuiumque thesauros accedit, ciens ventos halitusque, crudo adhuc aëre immensos, diu luctans cum plagis gelidis, & nondum victor. Nec omittenda Ecclipsis solaris consideratio, siquidem præcessit! Nam sæpè aërem frigidiorem etiam æstate facit, quod anno 1639. sumus experti. Nec circumstantes Solem planetæ, aut eorum aspectus leuiter erunt stringendi, tantum inde

Intra 45. gradus fermè variat.

inde momenti est, vt regale sidus purissimo lumine fulgeat, & nullo maleficorum lædatur impedimento. Post Solem plurimum pollet Luna, quod ex menstruo eius cursu toties discimus. Et quidem Cardanus ait illam in ijs præsertim regionibus quæ ad polos propius accedunt, Reginam esse temporum, hyemesque & æstates ex suo aspectu decernere. Videndum qua ætate sit, quæ peragret signa, quibus sit sociata stellis, à quibus aspiciatur. A quarta die iudicari totam nimis credulum & leue, in tam lubrico ipsius flexu, & tanta aspectuum vndique occursantium varietate. Longè certius quod aiunt iam crescentem & lumine auctam magis calefacere & serenare, humectare decrescentem, maximè vbi hyberna decurrit signa. Qui in duobus luminaribus omnia verti putant, imperite iudicant, alioqui nulla fere esset in statis anni temporibus diuersitas, quam toties sentimus, toties miramur. Necesse est de his iudicaturo præcipuarum stellarum spectari positiones & motus, sed anni dominos in figuris eligere, & ex ijs ventura omnia prænunciare, quod mathematici præcipiunt anxiæ sollicitudinis & irritæ. Quod singulæ tempestates vnius imperantis in annum sideris dominio subiaceant, pompam magis sapit quàm veritatem. Si de statu veris æstatis, autumni, hyemis, generatim sit iudicandum. Ptolomæus iubet spectari interlunia aut plenilunia quæ ingressum Solis in huiusmodi cardines antecedunt, & pro eorum dispositione decerni.

Nimis vagum est, & fortè magis incertum, de toto anno, aut de quatuor eius tempestatibus in vniuersum iudicare, firmiora sunt quæ erectis in singulas mensium quadraturas figuris, de positionibus Astrorum statuuntur. In hoc veluti plano statim tota stellarum acies instructa conspicitur, quæ infrà quæ supra terram, quæ orientales, quæ occiduæ, quæ culminantes, quæ depressæ. Statim Solis & Lunæ vel detrimenta ex maleficis planetis, vel compendia ex beneficis perspicua visuntur. Tum si quid ratione & iudicio assequi desideras, specta primùm, post Solem & Lunam quinque planetarum congressus, maximè superiorum, & eos quidem non platicos, sed propè partiles, & accuratos. Nam intra quinque gradus potissimùm vires suas exerunt. Animaduerti cum hæc elucubrarem, fœdam imbribus æstatem, & caussam expiscatus deprehendi. Saturni & Martis coniunctionem in signis hibernis satis diutur. nam, in hoc plurimùm turbasse. Vidi posthac Sole æstiua signa peragrante amœnissimos, & in fine etiam Septembris calidissimos dies diluxisse, cùm Mars propior Soli admotus esset, & Mercurius fœlix in sua Virgine regnaret. Nunquam impune fit continuus multorum planetarum concursus, aut in placidas serenitates, aut in terras hyemes conspirat. Magnæ autem mutationes aëris non accidunt, nisi vnus superiorum Planetarum moueat. Saturni & Iouis coniunctio, vt diuturnior, sic efficacior, & siquidem præualuerit Saturnus, tristiora, si Iupiter amœniora denunciat. Si in hibernis signis fuerit, Sole etiam ibi versante, copiam imbrium facit. Si in signis æstiuis atque igneis, æstate deprehendatur, calorem vehementius auget. Nonnunquam cum tonitruis, & grandine. Saturni & Martis Syzigia aërem turbat, & corrumpit, nubes ac ventos multiplicat, pluuias & grandines, nonnunquam etiam fulgura tonitruaque pro conditione temporis incutit. Pestem quoque præsertim si in humanis signis fiat, minatur.

Saturni & Solis coniunctio indicat dies

frigidos, nebulosos, malignos, pro conditione temporis. Anno 1647. die sabbati. xi. Maij in Sysigia Saturni, Solis, & Algol, fuere tonitrua, & tempestates. Saturni & Veneris, pluuios, & tristes. Saturni & Mercurij, rigidum aërem, & ventosum. Saturni & Lunæ, algidum crassum & mœstum. Lansbergius libro de motu terræ notat anno 1629. medio Februarij, post æstiualis temporis aërem, frigus ingens exortum die 18. in aspectu Saturni & Veneris, accedentibus radijs Lunæ.

Iouis vbique prosper fulgor auget placida, mitigat aduersa. Cum Marte per æstum parit calorem vehementem, plerumque tonitruis & fulgoribus mixtum: hyeme, frigoris remissionem, aërisque temperiem. Cum Sole præsertim in signis aëreis ventos salubres & laudatissimam serenitatem. In humidis genitales pluuias. Cum Venere ridere Cælum iubet, & naturæ stimulat fœcunditatem. Cum Mercurio ventos excitat. Cum Luna albas nubes spargit, temperiemque componit.

Hoc anno 642. notatum.

An. 1641. ♃ & ♂ Sicera nubium.

Mars cum Sole, æstate vehementius calorem incendit, frigus mitigat hyeme, adducens etiam imbres, tonitrua, & fulgura. Cum Venere in humido positus pluuias fundit ingentes. Cum Mercurio ventos calidos & sæpè impetuosos. Cum Luna plerumque croceas & rubras intendit Cælo nubes, modicos etiam flatus excitans.

Sol cum Venere & Mercurio in signis lætis mitis & tranquillus; Cum Luna altetat aërem pro natura temporis & planetæ prædominantis. Atque vt summatim dicam, Saturnus tristis & frigidus, Iupiter parens est serenitatis. Mars tempestatum, Venus humidi temperati, Mercurius ventorum, Luna post oppositionem fere magis pluuia. Aguntautem omnes planetæ fortius in Ecclyptica, & pro varietate Regionum discrepantes sortiuntur effectus, vt procliue sit errare illis qui ex Ptolomæi effatis totam mete orologiam tractant. In his omnibus anteire debet iudicium, consideratio temporum anni, atque signorum, cæterorumque planetarum aspectus, qui coniunctionis vires aut frangere, aut mitigare, aut etiam irritare possunt. Adde quæ de coniunctione dicta, de cæteris quoque configurationibus quamquam longè inualidiores sunt, videri intelligenda. Post Solis & Lunæ statum cæterorumque errantium Sysigias, contemplare in Ephemeride iter Lunæ per signa singula, & inspice in quam planetarum copulam aut aspectus incurrat; habet enim hæc consideratio non leue momentum ad temporum significationem. Vix Ioui applicat, quin aliqua diei parte serenum faciat! Vix Saturno quin breue saltem nubilum eadem luce obtendat. Sed pro ratione temporis aut in æstus serenos, aut in terras hyemes compositi, atque obfirmati, configurationes istæ quia celeriter transeunt, minus sentiuntur.

Tertiò demum loco sicut in genituris hominum fieri solet, intuere quodnam signum interlunij siue plenilunij aut alius quadraturæ puncto, supra horizontem ascendat, cuius etiam naturæ sit ipsum quod tum Cæli verticem premit. Sæpè enim obseruatum est ascendentibus hybernis ac tristibus imbres cieri, & tum demum impleri decretam, cum ad eadem Luna peruenerit. Alias vidi Geminis finitorem in neomenia obtinentibus, iucundissimam Cæli faciem, & dies aureos nitere: Qua autem qualitate singula signa sint prædita, ex Ptolomæo dixi superius.

Quartò idem author in centiloquio, sententia trigesima quarta, memorabile habet axioma quo asseuerat, dominatorem seu hospitatorem interlunij, si Cardinalis fue-

fuerit quæcumque illo mense futura sunt, significare. Hospitatorem autem vocat planetam, qui præest signo in quo tum Luna renouatur, vt si Neomenia contingat in Libra, cùm sit Domus Veneris, ipsa Solis & Lunæ qui simul copulantur hospitatrix, ipsa mensis directrix censebitur. Si modò vnum ex quatuor figuræ cardinibus obtinuerit. Inde in Capro & Aquario tristes sunt lunationes, Saturno quippe hospitatore, in Ariete, & Scorpione domibus Martis, tumultuosæ, in Tauro & Libra, benignæ, blando Veneris dominatu. Sed vt verum fatear, comperi sæpissime falli, qui per ista planetarum dominia diuinant. Itaque & dominos annorum & mensium, & dierum ad fabulas censeo relegandos.

Quintò notandæ sunt portarum quas vocant apertiones pluuijs & ventis, quæ nihil aliud sunt præter coniunctiones planetarum, quorum Domus contrariæ sunt, vt Saturni & Solis, Saturni & Lunæ, Iouis & Mercurij, Martis & Veneris: Quod ipsum fit cùm Luna transfertur à coniunctione Solis ad Saturnum, vel Saturni ad Solem: Iouis ad Mercurium, Mercurij ad Iouem, Martis ad Venerem, Veneris ad Martem. Animaduersum est, pro ratione temporum sæpe in istis cataractas Cæli pandi, & stagnantibus pluuijs terras operiri, aut Cælum ad multos dies stante coniunctione nubilo inuolui. Nec prætereundi hîc sunt errantium transitus à signo ad signum, naturæ præsertim contrariæ. Tunc enim aliquid aëri quasi mouentibus castris validiùs imprimunt.

Sexto cardines quoque Lunæ assignant, ex quibus iuxta qualitatem loci, & aspectus, variat aërem. Primus est coniunctio Solis & Lunæ. Secundus gradus ab ea 12. Tertius ab eadem Sysigia gradus 45. Quartus 90. Quintus post signa quatuor & gradus 15. Sextus gradu duodecimo ante oppositionem. Reliqui per eadem interualla gradium ab oppositione obseruantur.

Septimò diligentissime obseruandi sunt ortus, & occasus præcipuarum stellarum inerrantium, in quibus fere omnia antiqui constituebant. Ad temporum mutationes valere multum creduntur sequentes.

Caput Medusæ Oriens Aquarij 8.5. Ianuarij 27.

Hædorum prior Piscium 17.22. Martij 7.

Lucida Coronæ ♎ *8.41. Octobris 1.*

Aculeus Scorpij Capri 11. Ianuarij 1.

Cornu Arietis, Arietis 3. Martij 25.

Pleiades Tauri 12. Maij 2.

Hyades Geminorum 10. Maij 30.31. Iunij 5.

Orion regnare incipit Geminorum 29. Iunij. 20.

Et consequenter,

Canis maior Leonis 12. Augusti 4.

Canis minor Leonis 3. Iulij 26.

Herculis Cancri 10. Iulij 2.

Præsepè Leonis initio, 23. Iulij.

Asinus Austrinus Leonis 1.43. 25 Iulij.

Vnde ortu Asellorum Iulij finis sæpè pluuius.

Die 31. Iulij oritur stella quæ in brachio Cancri Austrino, imbrem ferens, Si Luna & aspectus maleficorum consentiant.

Os Leonis, Iulij 29.

Lucida Hydræ, Virginis Secundo Augusti 25.

Cauda Leonis Septembris 2.

Aiunt stellas tempestuosas præcipuas esse Orionem, Arcturum & Coronam. Ventosas, Hædos, & Capellam. Igneas, Leonem & Canem. Pluuiosas, Hyadas & Pleiadas. Sed ego animaduerti eas ad aëris grandem inflexionem parum facere, nisi coniunctione planetarum stimulentur. Quam sæpè enim apud nos canicula refrixit,

xit,& serenarunt hyades, erronibus quia nobis propiores sunt dominatum aëris obtinentibus.

Octauo prudenter iungendæ sunt sublunares caussæ cælestibus, sicut enim non omnis constellatio regia Reges facit, sed omnia secundum dispositionem subiecti obueniunt. Ita quæ de aëre dicuntur pro modo elementaris corporis sunt ponderanda. Terra enim suas habet vicissitudines humiditatis & siccitatis: Nam duplex illi facultas vna attrahendi aquas maximas in occultas concoctionis sedes, altera expellendi vapores concoctos, per quemdam quasi sudorem in quo stimulatur à planetis. Magnum autem momentum est in attractione, quæ nisi iusta fuerit, & euaporationum materia defierit, fit vt stellarum stimuli nihil excernant, vnde ex statu terræ & aquæ verius plerumque de mutationibus aëris conijcitur. Quàm sæpè constellationi pluuiæ, terra exsucca vapores negat quæ in nubes coalescant, fundantur in pluuias. Magna vbique pro varietate climatum, temporum contingit varietas. Quædam vltrò materiã Ætheri suggerunt meteoris formandis aptam. Quædam parciùs ministrant. Adiuuant etiam venti dominatores aëris, qui sæpius ab ea mundi parte veniunt in quàm plures & potentiores planetæ inclinant. Vidimus stagnantes imbribus campos, dum meridiem omnes ferè errones peragrarent; sed illi nonnunquam nec cœlesti classico vocati sponte in familiares sibi oras veniunt, mouente se aëre, & molem incursantium humorum per spiramenta reuerberante. Vidimus toto ferè anno 1648. Austrum pertinaciter regnare, vt sæpiùs solet: Et meo quidem sensu ratio hæc est, quod Aquilo in supernis aëris (vt notat Baco) procreatur, Auster in infernis. Nostri autem vapores sunt magis crassi & glutinosi, vt pote è pingui solo excitati, ideoque in alta non conscendunt vt septemtrionales ventos moueant, sed in inferioribus residentes, meridionales efficiunt. Non est hominis etiam peritissimi certis temporum momentis quasi ad vadimonium citatas assignare pluuias, grandines & fulgura. Magnum est si paratas in hæc dispositiones præuideat, & si præuisa sequantur sæpius, admirabilem vim ars habet. Rusticorum est ac pueriliter sentientium, vbique incusare Astrologos quòd prædictiones euentis non respondeant. Nemo in his, si sanus est, infallibiles pollicetur effectus. Vt in morbis, vt in bellis, vt in tot rerum politicarum administratione fit, sic in Astrologia euenit, opinari hominum est, Dei scire. Inter sublunares autem caussas non leuem venti rationem obtinent, idcirco nec leuiter qua incubuerint spectandi.

Ab oriente Æquinoctiali, vt aptè Seneca recenset, flat subsolanus, à solstitio æstiuali Cæcias, ab hyberno Eurus seu Vulturnus, omnes calidi, sereni, & salubres. Hyeme tamen experti sumus Vulturnum sæuum & vlulantem. Ab occasu Zephyrus, cui collaterales à Septemtrione Corus siue Argestes: A Meridie Africus, humidi & tempestuosi, sed non semper & vbique pluuij. A Meridie Auster, cui sociantur Euronotus, & Libonotus, graues, plumbei & pluuiosi. ab Arcto Aquilo, cui militant Septemtrio, & Thrascias frigidi, sicci, & hyeme niuosi, grandinosi. Hos deinde in plures alij diuidunt, quos nihil opus est hic enucleatius numerare.

Nonò nihil vetat ex constitutione temporum euentus circa morbos fataque terrarum præsagire. Si Ver humidum erit, decernet herbarum copiam inutilium, fructuumque putredinem, febres, oculorumque lippitudines; si calidum, citam floritionẽ, morbos acutos. Si frigidum, paucos fru-

fructus, penuriam vini. Si siccum, frumenti raritatem.

Si Aestas pluuiosa, putrefacit fructus & corpora, creat morbos pestilentes, & catarros. Si sicca, fructus salubres, segetum inopsam, mortem Piscium, ægritudines biliosas. Si frigida, incolumem annum, fructus serotinos. Si vehementiùs calida, ardentissimas febres & deliria.

Si Autumnus humidior, vina corrumpit in Vere, & morbificam hyemem facit. Si siccior, pituitosis erit commodus, infestus biliosis. Si calidior, morbidus & malus. Si frigidior iacturam faciet autumnalium fructuum.

Hyems verò si frigida & sicca laudatissima est. Si sæua, interfectrix. Si calida & humida, insalubris.

In morbis autem particularium multa & clara Luna decernit, si spectetur quo in loco sit, morbo primùm grassante. Deinde quod iter conficiat, quando ad sua quadrata diebus Criticis deueniat, in quæ tum planetarum corpora, & aspectus incurrat: certum est enim multa inde præsagiri quæ Maginus, & Argolus fusè & eruditè tradidere.

Decimò coniecturam adiuuant prognostica temporum quæ describit Plinius libro decimo octauo, capite trigesimo quinto historiæ naturalis, & magnificis versibus Virgilius prosequitur libro primo Georgicon.

Qualia sunt, nubes nigras rubentibus interuenientes, circa Solem orientem pluuias signare. Lunam si antè quartam non apparuerit, vento Fauonio flante, Hyemalem toto mense fore. Tonitrua matutina ventos significare, Imbrem meridiana. Si nubes vt vellera canæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsagire. Nube grauida candicante grandinem imminere. Si ab ortu nubes in occasum abiburit, serenare. Autumni quoque serenitatem ventosam hyemem facere. Si ver & æstas non sine riguo transierint, Autumnum serenum dare. Solem si niger, si pallidus, si occidens nubilo inuolutus, hyemare. Si dum oritur & occidit tersus & illimis, nec tamen vrens ac solito maior, radijsque refractis, defæcatum aërem promittere. Id ipsum declarat limbus aureus, aut candens, horizontis extrema sub Auroram stringens, & matutino rore madens inferior aëris regio, qui in fenestris vitreis lachrymabili humore conspersis fit conspicuus. Ros quoque multus homo infusus, in sereno declarat imbrem eodem die vix futurum. Lunam si tribus diebus antè vel post synodum, plenilunium & quadraturam, pura & tenui luce fulserit, amœnum tempus denunciare. Si nigra, calida, ac spissa, imbres minari. Si ruber & perspicuus orbis apparet, etiam ea parte qua non illustratur, ventos ciere. Si die quinta habet cornua obtusa, pluuias dare, & quidem si cornu inferum, primò quadrante, si superum, extremo. Si area cingit paulatim euanescens serenum fieri, si multæ & hærentes, hyemem. Si decima sexta vehementiùs flammea apparuerit, asperas tempestates imminere.

Adde quòd imbres futuros omnia ferè animalia sentiant. Pungunt muscæ, queruntur ranæ, vermes è terra prodeunt, pectunt se feles, latent formicæ, vlulant lupi, boues auram captant, arietes cornibus pugnant, excutiunt aures asini, stridunt sorices, ludunt porci, plumas discernunt aues, lacus & fluuios hirundines pennis libant, apes in aluearibus manent, ad nidos columbæ maturæ redeunt. Gregatim ambulant araneæ, galli cantandi horam præueniunt, gallinæ volutantur in puluere, fungi concrescunt ad lucernas,

nas, Irides candelas ambiunt. Ecquid est in tota natura non præsagum, quid est non diuinum? Iuuabit autem singula quæ ad tempestatum rationem faciunt diligentissime obseruare: Nec ex vno aut altero signo præcipitanter decernere. Multa hic perplexa sunt, & ambigua, serenitas pluuijs, serenitati pluuiæ sæpè improuisa caussa succedunt, quia de naturæ decreto est, temporum vices reciprocis motibus alternari.

Multa etiam notatu digna (& quædam dictis à me similia) habet eruditissimus Baco in historia ventorum, vt,

Corpus Solis in occasu sanguineum præmonstrat magnos ventos.

Si nubes rubescant exoriente Sole significant Vesperi pluuiam, quod multis experimentis vidi & probaui: Nec frustra Matthæi capite decimo sexto, dictum. *Hodie tempestas, rutilat enim triste Cælum.* Græcum habet πυῤῥάζει quod est *rubet*; Sed cur eodem verbo designat pluuiam & serenitatem: Nam ibidem scribit, *Vespere, dicitis serenum erit, Rubicundum enim est Cælum.* Respondetur nubes rubicundas mane imbrem significare, quia cum sint crassæ, nigræ, & per Solis radios rubro tantùm colore per accidens intingantur, cumque Horizonti orientali instent, & per longum ducantur iter, eodem sæpius die, in aquas resoluuntur. At Vespertinæ, puræ, tenues, & excoctæ, tum etiam deuexæ, & occasui propius admotæ. Itaque aut exorbentur à Sole, aut nocturnum effluunt in rorem, qui amœnitatis diutnæ non vanus augur esse solet.

Matth. 16. 3.

πυῤῥάζει στυγνάζων ὁ οὐρανός.

Si Sol Oriens cingatur Circulo, à qua parte is Circulus se aperiet, expectetur Ventus: sin totus æqualiter defluxerit, serenitas.

Si circa Solem orientem densabunt se nubes, impendet tempestas.

Quinta Luna suspecta est nautis. Die quoque Lunæ decimo septimo, biduo ferè post plenilunium, imber esse solet, biduo quoq; ante neomeniam, vel intra biduum post.

Si Luna circa diem quartum nusquam apparuerit, turbidum erit toto mense.

Circuli circa Lunam si duplices fuerint, horridæ, tempestates erunt.

Ecclipses Lunæ comitantur Venti, Solis verò, sereni vt plurimùm dies.

In exortu Pleiadum & Hyadum pluuiæ sæpè molles.

In exortu Orionis & Arcturi tempestas ingruit, si cætera sunt disposita.

Cælum æqualiter splendens in nouilunijs serenitatem affert, æqualiter obscurum, imbres.

Tonitrua matutina Ventos, meridiana pluuias notant.

Cum Cælo sereno fulgurauerit, tempestatis futuræ indicium est.

Liquidatio Cæli nubili, in contrarium Venti flantis, serenum pollicetur.

Nubes plumeæ, & similes ramis palmæ, aquarum nunciæ, sicut montes pileati.

Nubecula subito oriens Cælo vndique sereno, mutationem aëris prænunciat.

Pluuia sedat Ventos, Venti compescunt pluuiam.

Auster magis humilis est, Boreas spirans ex alto.

Auster & Zephyrus spirant ab ea parte, vbi maxima est vaporum copia.

Post pruinas & niues diuturniores, Auster flat fortius, & aquarum eluuiones facit.

Austro flante fit mare cœruleum, & magis lucidum, atrum verò sub Borea.

Cum aër subito fit trepidior, in proximo humor est.

Eurus spirans vere adulto, calamitas fructuum.

Ven-

Ventus se mutat conformiter ad motum Solis, ab Euro ad Austrum, ab Austro ad Zephyrum, à Zephyro, ad Boream, à Borea ad Eurum.

Si incipiente hyeme Auster, & postea Boreas, erit hyems glacialis. Contra erit tepida, si cœperit Boreas, & consequatur Auster.

Magnæ mutationes vt hyemum tepidarum, æstatum gelidarum, redeunt ad Circulum annorum XXXV.

Virgiliarum occasus matutinus, si nubilo Cælo accidat, hyemem pluuiam denunciat. Si sereno, asperam. Maginus.

Si Delphini occasu matutino, imbres fuerint, non erunt exoriente Arcturo.

Arcturum non sine procellosa grandine oriri dixit Columella.

Hæc & similia sunt ad prædictiones accurate faciendas obseruanda; nam qui solis sideribus inhiant, sæpe aberrant à scopo.

Anno 1649. die decimo Ianuarij cæpere Parisijs eluuiones Aquarum horrendæ, nulla hominum memoria visæ, ita vt per Vicos Lutetiæ, nauiculis iretur. Si tum fuisset Synodus multorum & magnorum planetarum in signo aqueo, triumphassent Astrologi, & omnia ad illam constellationem retulissent. Sed nihil horum erat. Prudentes Physici considerauere Austrum antea ferè per biennium totum regnasse, & vaporum inde vim infinitam coaluisse quos in aquas ingentes solutos oportuit. Adde quod niues crebræ statim initio hyemis fuere, quas Auster diu spirans, liquefecit, liquefactæ fluuios mirum in modum auxere. Ipsi denique Amnes certis annorum periodis exundant. Nam & idem diluuium Parisijs contigisse anno 1496. in veteri lapide annotatum.

CAPVT XIV.

De Genesibus seu Horoscopis.

Antiqvissima res est ex sideribus futura conijcere, siquidem Zoroastres Bactrianorum Rex, qui annis ferè quingentis floruit ante bellum Troianum, librum scripsit de prædictionibus ex stellis. Sed veteribus simplicissima opinor ratio fuit, in Solis, Lunæ & planetarum dispositiones tantùm intentis. Posteri maximè Chaldæi, Arabes, Ægyptij, priorum sensa dum distendunt, fallacibus nugis corrupere, atque vbi cessit ars in lucrum, nullus inueniendi, nec mentiendi finis.

Omnes ferè Iudiciariæ authores antiqui, inculti & semi-Barbari, insanire potius quàm loqui didicere. Non mirum si Platoni, si Aristoteli, si Theophrasto & cæteris quibusque Philosophorum celeberrimis hæc ars intacta: Nam neque motus Planetarum illis tum erant comperti, & totus ferè in elementis & inferiori natura labor. Pudebat viros acri iudicio incognita prodere, nec apud Chaldæos fides, consuetos falli & fallere. Nullus ferè author alicuius nominis de Astrologia scripsit ante Manilium Poëtam, amœnitate carminis potius quàm scientiæ peritiâ commendandum.

Primus omnium viâ & methodo de astrorum iudicijs Philosophatus est Ptolomæus, qui secundo post Christum sæculo floruit. Hic enim cùm de motibus cælestibus antea scripsisset, addidit quadripartitum de iudicijs Astrorum, in quo totam diuinationis rationem, quæ ex stellis est, copiosè persequitur. Ac modestè quidem initio primi libri profitetur iudiciariam illam Astrologiam, quam tradit, non esse adeo certam vt comparari possit cum scien-

tiâ de motibus cælestibus. Sic enim ille. *Atque ita, ne ab vllo, cui veritas curæ sit harum rerum, comparatio fiat cum prima & immutabili certitudine, cùm intellexerit materiæ & illius habitudinis imbecillitatem & difficultatem coniectura cauenda.* Deinde capite secundo ait, *Euidentissimum esse pertransire & diffundi vim quamdam ab æthereа & sempiterna natura, in vniuersa terra circumposita, & semper mutationi obnoxia, quæque sub Luna sunt prima elementa ignis & aëris, quæ quidem ipsa includantur & agitentur æthereis motibus, includant autem & coagitent inferiora omnia.*

Tandem capite tertio pollicetur se experimentis ordine naturali dispositus de stellarum virtutibus acturum: hoc exequitur planetarum proprias vires ex natura ipsa recensens capite quarto libri primi: Sed statim eodem libro deflectit à Physicis rationibus & veterum Babyloniorum commenta sequitur, commemorans signa masculina & fœminina, imperantia, obedientia, domos, exaltationes, triplicitates, dodecatomorias & cætera artis inuenta persequens.

At libro tertio, & quarto vbi potissimùm de genituris agit, totum se commodat priscorum Ægyptiorum & Babyloniorum persæpè friuolis & inanibus inuentis. Nam libri tertij caput 2 agit perplexissimè de ascendente natiuitatis indagando, & eum sequitur modum qui errori sit procliuiter obnoxius.

Ad iudicandum autem constituit in re quaque significatores, vt ingenij, Mercurium, & Lunam; coniugij, Solem, in viris, Lunam, in fœminis; & similiter in cæteris: deinde expendit in tota figura natiuitatis, quibus vndique planetis, bonis aut malis occurrant, & ex hoc statu pronunciat. Dominia autem planetarum vbique considerat etiam à domo absentium, & prout benè aut malè affecti fuerint, iuxta domum, exaltationem, triplicitatem, terminos, faciem, de tota re constituit.

In particulari quoque hominis genesi agit de parentibus, de fratribus, sororibus, filijs, amicis, seruis, quæ quidem omnia extranea sunt & inconcinna.

Itaque existimo eum qui iuxta Ptolomæi regulas diuinarit, in crebros lapsurum errores, vt ex principe artis huius intelligatur quantum insit cæteris vanitatis.

Post Ptolomæum scripsit Constantini æuo Iulius Firmicus Siculus, ad Mauortium Lollianum, Astronomicῶn libros octo, cum esset (vt ipse ait) Mathesi permodica, à conflictationibus caussarum caninis, quas vocat, ad Mathematicas disciplinas abstractus. Itaque trepidè hoc opus est aggressus, tantùm Babyloniorum & Ægyptiorum sensa styli Latini pompa vestiuit. Primò libro confutat Astrologiæ censores verbosè & debiliter: In secundò habet artis rudimenta multorum præceptis trita: In tertio & quarto tractat decreta signorum, & planetarum per singulas cæli stationes seu domos; In quintò persequitur septem erronum definita, in singulis eiusdem signiferi signis: In sexto agit de coniunctionibus & affectibus planetarum: In septimo de diuersis genituris in genere vt seruorum, expositorum, captiuorum. Octauus de Mitiogenesibus qui illi ascribitur, non est eiusdem cum se tantùm libros septem scripsisse dicat.

Fateri omnino oportet, in isto authore multas veterum obseruationes non esse spernendas; sed si quis stare eius institutis vllo modo velit, & ex decretis Planetarum, quæ ipse affert in domibus Cæli & signis Zodaici pronunciare, multa fabulosa, multa inconsulta, & prorsus temeraria inueniet. Deinde idem homo deformis, & formosus, diues & pauper, felix & mi-

miser, probus & peruersus, decernetur, eam sæpè contrarijs propter domos & asterismos Zodiaci significationibus.

Et hæc tamen ratio communis omnibus antiquis per aphorismos diuinare, *vt Sol in Leone in ascendente natiuitatis, & Luna in Tauro fortunat multum. Pars fortunæ si fuerit in oriente, & dominus eius eam respiciat, significat natum fore diuitem & potentem in substantijs: Dominus ascendentis si fuerit in Duodecima domo, significat quod erit natus mala vita & laboriose.*

Pleni sunt istis Hermes, Bethen, Almansor, Omar, Zael, Messalan, quæ postea Iunctinus & Schonerus sunt imitati. Hæc Methodus non tantùm est immensa sed incerta, ita vnum problema alterum vbique destruit.

Itaque Prudentius Cyprianus Leouiticus, & Iouius Pontanus communibus præceptis insistunt, tantam rerum farraginem exosi, non aliter Alkabitius & Nebo.

Vicit omnium ingenia Cardanus sibi dux & author post Ptolomæum, multa vbique de suo sensu definit mira, audacia, stupenda, sed sæpè res maturè ponderantibus vana & nullo fundamento subnixa. Nunc ferè omnes vtrumque miscent, nam & dominia Ptolomæi more obseruant, & aphorismos sæpè fallacissimos habent, quibus latam erroribus ianuam aperiunt. Itaque Astrologiam quam ferè omnes hodie profitentur, sterilem, vanam & superstitiosam iudico, & quæ germana est paucis concentam volo.

Primò constitutiones domorum pro diuitijs, pro parentibus, pro fratribus & sororibus, pro itineribus, somnijs, seruis, iumentis vanissimas esse iudico & ab eruscatoribus Arabum iuuentas.

Secundò lubricum est & ruinosum fundamentum, quo omnes Astrologi innituntur, obseruare Planetas dominos signorum, & domuum, atque ex ijs de vita, de morte, de paupertate, de diuitijs, de honoribus, de infamia, & de cæteris omnibus diuinare: sunt enim inanes & prorsus phãtasticæ dominationes, ex eorum erroribus deriuatæ qui eosdem Planetas Deos existimarunt.

Tertiò eiusdem insaniæ est obseruare horas Planetarias quibus singuli Planetæ dominentur, & pro ratione dominantis, de felicitate aut infelicitate iudicare; Hoc enim Ethnicos mores planè sapit, & latam errorum viam aperit.

Quartò insantiæ est credere magnos orbes annorum 360. quibus certi planetæ & certa signa præsideant, statumque istorum annorum fieri, pro conditione dominantium planetarum. In eo sensu totus est Escuidus Anglus in rarissimo, & vanissimo libro qui ab anno 1345. ad annum 1559. statuit magnum orbem peruenisse ad leonem, & dominium Lunæ stare.

Quintò omnia fere quæ de Planetarum fortitudinibus & debilitatibus tradũt inanissima sunt, termini, facies, Almugæa, combustiones, retrogradationes, gaudia, carpenta, exilia, casus, detrimenta, gradus lucidi, fumosi, puteales, Azemenæ, triplicitates igneæ, aëreæ, aqueæ, terrestres. Solent quinque præcipuè in Genituris expendere Domum, exaltationẽ, triplicitatem, terminum, faciẽ, quæ pusilla & infirma sunt. Domus illæ leui fundamento subnixæ. Nempè postquam Saturno tribuêre Aquarium & Caprum tristes vtique & nigras sedes, cæteras puerili inuento per consequentiam numerant, dum Ioui pisces, & Marti Arietem assignant. Itaque sæpè deprehensum eos qui quatuor planetas in domibus & exaltationibus haberẽt, quos felicissimos fore prædicant, fuisse admodum infelices: Quiq; Iouẽ in casu, & in Domo cadente nacti sunt, omnes felicitate transcendisse.

Exaltationes inde sunt, quod Apsides planetarum à centro altissimas quas in veteribus annotarunt, pro amplitudine, & potentia per fallaciam verbi vsurparunt.

Triplicitates pugnant contra naturam, dum Cancrum frigidum faciunt, Sagittarium æstuantem; Pugnant contra Ptolomæi mentem qui signa Zodiaci non vnius aut alterius qualitatis esse putat, sed multarum, cùm sint ex omnigenis ferè stellis composita. Vnde & primas partes Arietis humidas agnoscit, licet ipsum in triplicitatem igneam asserant. Virginem vniuersaliter humidam prædicat, quàm illi siccam constituunt & ita in cæteris. At fortè dicent aliud esse constellationes, aliud signa, stellas firmamenti otiosas facient, & ad commentitium Cælum recurrent supra Firmamentum positum, quod aiunt duodecim imaginibus esse distinctum, quas nemo vnquam vidit, nec visurus est, nec vllo sensu arguit, nec motu quidem euicit. Nam spiralis Solis & Lunæ, & cæterorum Planetarum aut stellarum motus tollit necessitatem noui orbis quem inferre student: ex quo apparet triplicitates istas esse fidei sublestæ, & admodum ambiguæ. Termini imaginarij sunt & à præcipuis artificibus mirum in modum controuersi. Facies nihil est, nec à Ptolomæo memorata.

Stationes & retrogradationes Planetarum non sunt nisi apparenter (vt notat Heliodorus in Paulum Alexandrinum) his verbis: Planetæ reuera neque stant neque cursum retardant, aut retroagunt, sed hoc ad nostram fit æstimationem. Combustiones commentitiæ à prudentibus habentur: non sunt enim Planetæ infirma capita (vt ait Picus) quæ insolari timeant in tanta corporum cælestium distantia, Quinimo meliora sunt illis omnia cum Sole coniunctis, vt terræ æstate. Porrò, diuisiones signorum, & importuna nomina, qualia sunt Masculina, fœminina, imperantia, obedientia, muta, loquacia, pinguia, macilenta, Hylec & Alcochodon temporum dispensatores, Antiscia, etsi quæ huiusmodi cùm nulla innitantur ratione, & experimentis constet infinitis, nihil efficere, inter somnia releganda sunt. Vix Domos (vt dixi) & exaltationes fero, nec video cur Iupiter peregrinus sit in Geminis, regnet verò in piscibus, imò existimo, è natura esse, vt boni planetæ, Septemtrionales plus nos & beatiùs afficiant: mali contra ibidem magis noceant, & à nobis remoti in parte australi minus. Itaque grauiter ferè omnes in eo errant, & infelicissimè diuinant, quando de Honore, de diuitijs, & cæteris dicturi, statim Domos illas fictitias obseruant, & planetas dominos harum sedium spectant, licet ab ijs longè dissitos, & prout status eorum fuerit, de re proposita augurantur: Dominia enim ista vanissima sunt, & nihil quidquam planetæ possunt, vbi neque præsentes sunt, neque vllum aspectum habent.

Sextò Cælum est caussa vniuersalis quæ determinatur à causis sublunaribus, quarum rationem ferè nullam habent, cùm tamen sint in mutationibus rerum efficacissimæ. Sol generat hominem cum homine, Leonem cum Leone: nec ætherei afflatus rerum particularium formas magis faciunt, quàm flatus qui inspiratur organis, distinctionem canticorum. Astra omnia aut operantur, aut cessant, pro dispositione subiecti, Parentes, nutrices, educatio, patria, mores gentis, consuetudines, contubernia, leges, & quæ supra omnia est Prouidentia, liberumve hominis Arbitrium, omnibus ferè momentis syderum frustrantur effectus. At vulgares Astrologi nihil horum expendentes somnia sua quasi fata de Cæli cathedra pronunciant.

Se-

Septimò in ipsa genituræ figura constituenda, quæ est omnium diuinationum fundamentum, diuersissimi sunt. Alij Firmicum, alij Campanum, alij Alkabitium sequuntur. Multos trahit Regiomontanus, Cardanus sui dispar & ambiguus, vt ex multis genituris patet; Suspecta mihi videtur ars quæ in ipso limine professores tam vario æstu opinionum distrahit atque confundit.

Octauò tota eorum ars incerta & fluxa, laborans in rebus ferre ignotis & humanæ menti imperuijs. Turbat illam tāta caussarum vndique affluentium grauitas, & multiplicitas. Turbant sydetum vultus, tot collucentium flammarum abstrusæ vires. Ars certè hîc longa, vita breuis, & experimenta dubiâ fide natantia. Quid habent hîc sapientes præter tenues coniecturas rerum vniuersalium. At illi particularia quasi de tripode denunciare se gloriantur.

Nonò directiones quas supra cætera omnia magni faciunt, incertissimæ sunt quia non constat quod dicunt, annos signari per singulos gradus æquatoris. Phantasma est, non ratio, quæ id iussit, figmentum est, non veritas, quod mens peperit. Deinde in tanta dirigendorum multitudine, vix licet Anerætam, aut Apheram apte seligere: Necdum liquet an iuxta Regiomontanum, an iuxta Arabes directio sit instituenda. Ridiculum quoque est quod non tantùm corpora planetarum, sed leuissimos quosque aspectus quasi vmbras rerum dirigunt, vt subiecta mirum in modum multiplicent. Punctum Horoscopi semper volans, semper fugiens consequuntur, quod vbi statuere vbi volunt, mira de præteritis garriunt, infantes in futuris.

Decimò omnes fere primi nominis Astrologi, contrarijs in sese opinionibus feruntur infesti, & quæ alijs prospera, alijs sæpè infausta iudicantur. Calculos quoque in rerum momentis expendendis diuersissimos habent, dum alij directiones per horaria tempora, alij per circulos positionum exequuntur. Magna autem deceptio rectificatio est, qua solent horam datam eludere, & eam sibi fingere quam suis inuentis & fabulis vident competere. Inde fit vt omnes genituras peruertant, nec tamen assequantur quod appetunt. Nam si morbus vnus, aliusve casus ad votum occurrat, cæteri sæpissimè non respondent. Deinde obscurum per obscurius probant, dum horam dubiam per alia longè incertiora, & magis fallacia conantur astruere.

Itaque suis ipsi principijs quæ sunt sine lege, sine ratione, sine modo, facile refelluntur, & mihi experimentis constat eos qui hæc ab ijs statuta scrupulosiùs obseruant, sæpiùs atque infeliciùs in diuinando falli, ac hominum derisui prodiga se facilitate obijcere.

CAPVT XV.

De ijs quæ naturali Astrologia circa Genesis dici possunt.

IAM penè totam Astrologiam diuinatricem profligauimus, ne tamen principijs & sensibus S. Thomæ pertinaciùs obluctari videamur, concedimus esse aliquid in astris circa hominis genituras, quod moueat, quod inclinet, quod disponat, non tamen imperet, aut cogat.

Primò haud omninò errant in ijs quæ de duodecim signorum Zodiaci significationibus dicunt, modò se intra naturalis Astrologiæ limites contineant. Sic erunt nobis tria signa Verna, calida, & humida Aries, Taurus, Gemini. Tria æstiua, calida, & sicca, Cancer, Leo, Virgo. Tria autum-

nalia, parùm calida, multum humida, Libra, Scorpius, Arcitenens. Tria hyberna, humida, & frigida, Caper, Amphora, Pisces. Absit iam vt Cancer dicatur frigidus, Arcitenens igneus. Infinita sunt quæ hîc Planetarij garriunt, & profundè vana. Dicam quæ diligentiori obseruatione comperta. Ptolomæus Astrologiæ Princeps scripsit duodecim signorum apotelesmata quæ ex parte, disertissimis versibus reddidit Manilius, sed grauiter in ijs errauit quòd ea quæ propensiones hominum tantùm faciunt, in mores trahit & fata.

Deindè quòd vltrà naturalis Astrologiæ limites euectus, de fortuitis vitæ casibus dicit, quæ haudquaquam probari velim.

Sic igitur illi audiendus vt Poëta, amœnitate magis Carminis, quàm solida rerum veritate commendandus.

ARIES.

Dives *fœcundis Aries in vellera lanis,*
Et dubia trepido præcordia pectore finget,
Seque sua semper cupientia vendere laude. Manil. lib.
Et dabit in prædas animos, soluetque pudorem.
Hunc iuuat ignotas semper transire per vrbes,
Scrutarique nouum pelagus, totius & esse
Orbis in hospitio.

Quàm pueriliter hoc primùm, & quàm putida allusione dictum, vt lanis diuites esse debeant, qui sub Ariete nascuntur: cætera melius ad naturam signi, si de propensione tantùm intelligantur: cùm sit enim signum mobile, varijs tempestatibus obnoxium, calidum quoque, & igneum (vt volunt) celeres, & aliquando ancipites facit ingenij motus, acres, animosos ac facile mutabiles. Vigor quoq; mentis amore excellentiæ incitatus magis accenditur, & generosos lubenter ignes alit.

Quod autem ait sollicitari in peregrinationes, & prædas, inde fit quòd Martij Mensis sidus est, sub cuius ortum frequentiùs homines itinera, arma, & expeditiones meditantur. Qui verò afflatus Cæli cæteros incitant, nascentibus imprimi non est incredibile. Nam ferè anni tempestates & signa in quibus Sol diuersatur, quisque nascendo sequitur. At Iouius Pontanus alludens ad Arietis principatum, qui vtique illis Domus est Martis, exaltatio Solis, Natos, inquit, reddit insignes, imperiosos, magnanimos, consilio & sermone audaces, elatos, & forte ceruicosos, quod elegantius in Vrania cecinit. Pontan. lib. 5. de rebus cælest. cap. 4.

Hos animi vigor insignes, hos libera corda
Audaces reddunt effando, & recta mouentes.
Imperiosa viris Maiestas, hi sua plebi
Describunt iura, & populo dominantur & vrbi.
Quique ipsi norint parere, & ducere, & alta
Ceruice excussisse iugum, atque odisse nocentes.
Inconstans vitæ tenor, ac mutabile pectus,
Elatum tamen & cupidum, rectique, probique;
Quòd facile ingentes versent iraque, minaque.

Addidit vanè (vt solent) qui genituræ suæ tempore Arietem medio in Cælo collocatum habuerit, propter loci ipsius maiestatem, Principum ac Regum aulas frequentabit, honoresque assequetur. Nihilominus fortuna eius varia & inconstans erit, propter signi mobilitatem; Nunc amittentur ab ea parte, nunc rursus colligentur amissa. Laborare doloribus capitis hoc sub signo natos Ioannes à porta notat. Cardanus pericula violentæ mortis ab horoscopante portendi, quod non est credibile. Cætera eius generis sunt quod dixi, coniecturæ semper ambiguæ, non demonstrationis certæ. Diuidunt, præterea Arabes signa singula in varias partes, quas aiunt valde differentis esse naturæ, alias Saturnias, alias Iouias, alias etiam Mercuriales crebro appellant. Sed hæc parùm certa, nec

nec digna quæ notentur enucleatiùs. In decadibus tamen cuiusque signi potest esse aliqua mutatio, prout ad vicinum sidus magis accedit, aut recedit.

TAVRVS.

Astrorum nomen fecere mores hominum: Appellata quippe sunt ab ipsis effectis quæ in vniuersa natura, maximè autem in studijs & affectibus nostris pariunt. Sole Taurum peragrante quem Ptolomæus ἰσόθερμον agnoscit, aperit se terra hiberna compede ferè iam soluta, & clementioribus auris ridens. Inde agrorum studium amorque rusticandi, cuius Taurus index & ferè comes. Inde vt natales ferunt, sub Tauro nascuntur libenter Agricolæ, aut prædiorum hortorumque culturæ dediti. Ingenio sunt minimè vafro, corpore præstanti, lata fronte & pectore, oculisque sæpè grandiusculis. Nonnunquam tardi & laboriosi, sæpius in amœna vitæ deliciarumque propendent. Constitutio Cæli mitis, & terra vbere glebarum læta, quæ tum domiti rigore frigoris emergit, ad saginam corporis magis facit quàm acumen mentis. Vnde cecinit Manilius.

Taurus non est siccus & frigidus, sed calidi humidique particeps, ut ait Pontanus & ut vult Ptolomæus. ἰσόθερμον.

Taurus simplicibus donabit rura colonis:
Pacatisque labor venict, nec præmia laudis
Sed terra tribuit partus.
Laudis amor, tacita mentes, & pectora tarda.
Mole valent, habitatque puer sub fronte Cupido.
At quos prima creant nascentis sidera Tauri,
Fœminei incedunt.

Plerique tamen Tauro horoscopante nascuntur constantes, honesti, veraces, non habent quidem ingenia velocia & desultoria, sed firma, quæ si stimulentur, mirabiles edunt effectus. Testes Andreas Alciatus, Ioannes Stadius, Georgius Sabinus qui Mercurium habent in Tauro. Illustrissima Pleiadum quam Arabes Aldebaram vocant, in constellatione Tauri, & nunc in quarto gradu Geminorum inuenta, mirificam vim eloquentiæ (vt aiunt) promittit. Sed hoc audaciâ multâ, fide exigua.

GEMINI.

Geminorum sidus, Mercurij Domus, principatum tenet ingenij amœnioris, propter calidam nec iam tanto humore præpinguem, inclinante vere temperiem. Risus totius naturæ sub hac constellatione facit ingeniosos, subtiles, gratos, dociles, prudentes, officiosos, cautos. Inde Astrologi, Geometræ, Arithmetici, Poëtæ, oratores, fatidici, negotiatores, artifices multiscij. Totos huic signo eruditio pandit sinus, & sæpè in occultarum rerum adyta curiositas sollicitat. Nescio an sub Geminis natus Manilius, qui se illis tanta carminis vbertate profudit.

Mollius e Geminis studium est, & mitior ætas,
Per varios cantus modulataque vocibus ora;
Et graciles calamos, & neruis insita verba,
Ingenitumque sonum. Labor est etiam ipsa voluptas.
Arma procul lituosque volunt, tristemque senectam.
Otia & æternam peragunt in morte iuuentam.
Inueniunt & in astra vias, numerisque modisque.
Consummant orbem, postquam illos sidera linquunt.
Natura ingenio minor est, perque omnia seruit,
In tot fœcundi Gemini commenta feruntur.

Iterum quoque.

Sed geminos aqua cum profert vnda, tegitque
Parte, dabit studia, & ductas perducet ad artes.
Nec triste ingenium, sed miti tincta lepore

Cor-

Corda creant, vocisque bonis, citharaque sonantis.
Instruit, & dotes alto cum pectore fingit.

Similiter Iouius Pontanus in Vrania.

Hi rerum occultas caussas, arcanaque sacra
Rimantur, verbisque modos & carmina neruis
Adiungunt, pretio aut capti fora multa frequentant.
Aut veterum monumenta docent, & scripta virorum.
Aut operam impendunt linguis interprete cura,
Et decus, & quicquid monstrat sapientia norunt
Celestes Gemini.

CANCER.

Cancer est signum præstantissimum, è quo nos ex altissima mundi specula Sol aspicit. Et sua quidem natura feruentissimum est, ex casu fit vt humescat, propter immensos vapores, quos Solis acerrima vis tum excitat, cuius retrogradatio signo nomen dedit. In cæteris nihil habet cum Cancro commune. Imo cum primo sideri sit veluti thronus maiestatis & Lunæ, vt volunt, Domus, humido quod illi accidit cum calore bene temperato, facit vt Iouius Pontanus notat, acutos ingenio, suaues, doctos, iucunda cum bonis consuetudine, impatientes iniquitatis, & improborum osores, qui facilè irascantur, facile etiam mitescant. Iam extra chorum saltat A porta, cum dicit. Tractabunt res publicas, aut regias, æquitate singulari, opulenti, & honesti, & inimicis timendi, qui necessitate compulsi illis blandientur. Erunt quoque magnanimi, gloriæ cupidi, factiosi dissimulatores, & negotia cum tarditatis moderatione perficient. Ex allusione puerili ad Chelas; alij parcos & tenaces faciunt. Manilius omnes ferè mercatores, leuissimo fundamento, quod Chartaginenses mercaturæ dedit in hoc signo sint inuenti. Inde canit.

Ille tenax animi, multosque effusus in vsus,
Attribuit varios quæstus, artemque lucrorum:
Merce peregrina fortunam ferre per vrbes,
Et grauis annonæ speculantem incendia, ventis.
Credere opes, orbisque orbi bona vendere posse.
Ingenium solers, suaque in compendia pugnax
Dulcibus vsuris, æquo quoque tempora vendit.

Sed hæc leuia cum constet natales Iulij Cæsaris Cancro illustratos, & plerosque Reges sub illo natos. Nonnunquam sub eodem nascuntur statura demissa, peregrinationum auidi, quibus morbi à pulmone & oculis immineant.

LEO.

Leo Solis Domus, ardentissimum sidus sæpè (vt ait Iouius) facit in iram atque indignationem pronos, elata mente, vehementibus cogitationibus, superbos, imperiosos, primorum locorum semper auidos, & nisi sibi moderentur, acres, violentos, acerbos, res nouas molientes, contemptores, rapaces, crudeles. Si verò temperate affectui possint, nobiles, generosos, magnis atque inuictis animis, bellicosos, venationi deditos, vindices improborum, militari honore ciuili claros, clementes, placabiles, summis aptos dignitatibus, maximè si clarissima stella quæ cor Leonis appellatur. Soli aut Lunæ coniuncta natalibus affulserit. Sed hoc nimis diuinare est, & extra metas ferri. Manilius totus voracitati Leonis intentus, natum sub Leone sic depinxit.

Ille patri natisque reus, quas cœperit ipse
Non legabit opes, censumque immerget in ipso,
Tanta fames animumque cibi tam dira cupido
Corripit, vt capiat semet, nec compleat vnquam,
Inque epulas funus reuocet, pretiumque sepulchri.
Ille nouas semper pugnas, noua bella ferarum
Apparat, & pecorum spolio viuitque rapinis.
Sunt quorum similes animos nec mænia frenent,

Inge-

Ingenium ad subitas iras, facilesque recessus,
Et quales puero sententia pectore simplex.

Ita Poëtæ in quamcumque partem versus facilitas tulit sæpè luxuriant, multa loquuntur tacenda, multa omittunt dicenda.

VIRGO.

Virgo mitissimum atque temperatissimum sidus, facit pios, iucundos, humanos, amabiles, & amicitiæ cultores, facundos, bonarum artium gnaros, & rerum abditarum perscrutatores. Præstat quoque iustos, institutores morum, æquos, pudibundos, castos, aris addictos, & diuini cultus studiosos. Initia illis si Iouio creditur, plerumque ærumnosa, finis lætus. Quòd autem Virgini etiam imperia decernant mathematici, allusum puto ad coronam quæ cum hac constellatione oritur. Sed id extra limites Astrologicos. Hæc ferè complexus Manilius.

At quibus Erigone dixit nascentibus æuum,
Ad studium ducit mores, & pectora doctis
Artibus instituit.
Illa decus linguæ faciet regnumque loquendi,
Atque oculos mentis qui possint cernere cuncta,
Quamuis occultis natura condita caussis
In vitio bonus. At teneros pudor impedit annos,
Magnaque naturæ cohibendo munera frænat.
Alta per imperium tribuet fastigia summum,
Rectoremque dabit legum, iurisque sacrati,
Sancta pudicitia Diuorum templa colentem.

LIBRA.

Libra, lucem & tenebras sacra moderatione dispensans, fælicium natalium præses. Vnde Manilius vanus in ijs Augur canit.

Felix æquato genitus sub pondere libræ:
Iudex extrema sistet vitaque necisque,
Imponetque iugum terris, legesque rogabit.
Illum vrbes & regna trement, nutuque regentur
Vnius, & cæli post terras fata manebunt.

Hæc illæ assentatione ad Augusti Cæsaris natiuitatem haud obscura. Nec tamen abnuunt cæteri, inesse aliquid Libræ præclarum & magnificum, quod sol in medio tum cæli quasi in throno positus, iustitiam reddat vniuerso, dierum, noctium, caloris frigorisque temperamento. Vnde sub Libra nascuntur (vt aiunt) Dei cultus amatores iustitiæ modestiæque studiosi, honesti, facundi. Decente sunt (vt ait Leopoldus) forma, nec ab amoribus ac delicijs auersi. Contentiosa plerumque habent certamina, vario & mutabili vitæ genere confligantes, sed in omnibus inuicti, suis addicti iudicijs, impatientes alieni, & nonnunquam in æmulationem & inuidiam proni.

SCORPIVS.

Magnum de modico malum Scorpium terra suppurat. Tot illi venena quot ingenia (ait Tertullianus in Gnosticos.) Nec ab illis planè immunis cælestis Scorpius, Martis Domus Tonitruosa, & turbulenta. Notat itaque (si fabulis fides) vafros, litigatores, deceptores, iracundos, belli & sanguinis auidos (vt scribit Manilius.

Scorpius armata violenti cuspide cauda,
In bellum ardentes animos, & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine ciuem.
Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum.
Atque hostem sibi quisque parat, dum bella quiescunt.

Addit Iouius homines nisi dominentur affectibus, inde etiam euadere derisores, mendaces, violentos, infidos rapaces, alienorum cupidos, sui studiosos, insidiatores, periuros multorumque scelerum conscios,

quos aliquando simulatione religionis tegant. At verò si se Deo & rationi curandos committant, adiuuat illos sidus, largiens ingenij acumen: robur animi, dexteritatē, facundiam & fiduciam.

SAGITTARIVS.

Sagittarius, sidus insigne & magnificū designat cordatos, ingeniosos, & omnium rerum scientes, animi & corporis robore præstantes, laboriosos, magnanimos, bellis, nauigationibus, & rebus duris exercitos, Generosi quoque sunt, liberales, iusti, benefici, moderati, misericordes maximè ex anteriori parte sideris. Nam pars equo mixta in deteriores quoque degenerat mores. Inde equorum domitores, milites, duces; victorijs & laureis haud ignobiles. Non alio ascendente (vt aiunt) Ioannes Austriacus ad Naupactum Othomanorum Lunas Christiano Soli subiecit, ingenti classe debellata. Bene Manilius ad vim constellationis allusit.

Et neruos tribuit membris, & acumina cordi,
Et celeres motus, nec delassabile pectus.
Pectora clara dabit bello, magnisque trophæis
Conspicuum, patrias victorem ducet ad vrbes.

Prima facies (vt fingunt) mortem plerumque violentam notat, vnde & idem canit.

Sed nimium indulgens rebus fortuna secundis,
Inuidet in facie, sæuitque asperrima fronti.

Sed istud extra fidem.

CAPER.

Caper in maximo lucis detrimento, caloris & serenitatis exilio. Signat ingenia abstrusa, & sæpè grandia. Inde occultarum rerum indagatores curiosi, arcanarum religionum exploratores, & naturæ conscij, & qui in eruendis terræ visceribus impigram collocent operam. Inde etiam agriculturæ dediti, inde itinerum studiosi, & variarum scrutatores regionum: laboriosi ferme sunt, seduli, vigilantes, rebus domesticis intenti, & nisi à beneficis planetis illustrentur tristes, ærumnosi, superstitiosi; Corpora firma, & robusta, bello, nauigationibus, & rerum arduis apta. Habent etiam nonnunquam aliquid amœnum & lætum, propter Veneris triangularitatem, nec ab amoribus, ludis, verborumque lenocinijs omnino sunt auersi, maximè qui sole Caprum obtinente nascuntur, geniali scilicet hyeme, & in epulas prona. Manilius ad curiositatem metallorum totum penè apotelesma direxit.

Vesta tuos Capricorne fouet penetralibus ignes.
Hinc artes, studiumque trahit,
Scrutari corda metallis,
Depositas & opes, terraque exurere venas.
Quicquid & argento, fabricatur, quicquid & auro
Quod ferrum calidi soluant atque æra camini,
Consumantque foci Cererem, tua munera surgent.
Addit & in vestes studium, mutataque sæpè
Mens natat.
Militiam ponto dictat, puppisque colendæ,
Dura ministeria, & vita discrimen inertis.

AQVARIVS.

Aquarius iam lucis auctæ reditu lætus, signum calidum, & humidum, humanum quoque, & mansuetum, dat aptam corporis temperiem, mixtam etiam sæpè candore & rubore facit. Ingenium illi solers, iucundi mores, conuictus suauis, magna in religionem, modestiam, castimoniam propensio. Nihil sordidum, nihil tenax, nihil in consuetudine asperum. Solutiores tamen curæ, nec rebus parandis aut seruandis satis intentæ, frons mollior, & prona in delicias & gloriam vita, sæpè magnorum virorū amicitijs clara: fauet illis Manilius.

Quod si quem sanctumque velis, castumque probumque

Hic

Hic tibi nascetur cùm primus Aquarius exit.
Mite genus, docilesque fluunt de sidere partus.
Pectora nec sordent, faciles in damna feruntur;
Nec deest, nec superest census: sic profluit vrna.

Allusere ad nomen, qui maris, fluuiorum, & fontium amorem tribuere, & si in imo sit genituræ, periculum ex aquis denunciauere.

PISCES.

In Piscibus (vt aiunt) Iouis Domus, & lætus illustrium stellarum comitatus. Vnde & inter magnas constellationes nomen habent. Vix aut nunquam erit (ait Ptolomæus) quin cuius ascendens fuerit virgo, aut Pisces, non sit illi occasio dominij, seu regni. Quod tamen parùm probabile mihi, & leueris auribus videtur. Aiunt autem eos qui sub Piscibus nascuntur, esse corpore præstanti, propter humidi copiam, ingeniosos, peregrinandi cupidos, maris auidos, ancipites, ambiguuos, studiosos rerum popularium, multorum amicitijs notos, consilio sanos, beneuolentia fideli, vicissitudini rerum obnoxios. Sed quod mirum est à mutis Piscibus deriuari linguæ intemperantiam, in susurros & maledicentiam profusæ. Sic enim Manilius.

His erit in pontum studium, vitamque profundo.
Credent, & puppes, aut puppibus arma parabunt.
Quicquid & in proprios pelagus desiderat vsus.
Innumeræ venient artes, vix nomina rebus
Sufficiunt, tot sunt quot parua membra carinæ
Adde gubernandi studium.
Fœcundum genus est natis, & amica voluptas,
Et celeres motus, mutataque cuncta per æuum.
Nec ne sit in primos animus procedere Pisces,
Garrulitas odiosa manet, linguaque venenum.

Ex his apparet, quod multa leuia & incerta Astrologi illi antiqui effutiant: Ex vno autem signo ascendente, statim pronunciare de moribus hominum anile est, & multis erroribus obnoxium. Optimè istud vidit Sextus, Empiricus, cùm dixit, Ἁπλούστερα κατὰ ζώδιον ἢ ἁπλῶ ἄστρος δύναμιν γινόμενα, ἀκριβέστερα τὰ κατὰ σύγκρασιν πλειόνων. Aphorismos qui tantùm ex vno Zodiaci signo; aut vna stella desumuntur esse simpliciores, accuratiores qui ex variorum siderum mixtura stabiliũtur. Secundo haudquaquam vbiq. falluntur in assignandis planetarum qualitatibus, si naturali via progrediantur. Sed excurrunt vltra lineas, dum planetis mores, & Magisteria, & fortunam assignant, qui motibus animorum & propensionibus debuerant esse contenti.

Satvrnvs Planetarum altissimus, & à Sole lucis & caloris, salubritatis etiam & lætitiæ fonte remotissimus, frigidus est & siccus, liuidi coloris, & plumbei, subtristis, terreus, ponderosus, amicabili naturæ temperamento non innoxius, nisi beneficorum aspectu temperetur. Itaque nec incongruè obseruatum sæpè frigora tempestates, pluuias, turbines, eluuies aquarum, tristitiam ingenij morumque asperitatem, morbos, interitus & aduersa nuntiare, provt nos è varijs cæli partibus aspicit. At verò mitigatus inclinat in amorem solitudinis non feræ, sed honestæ, in religionem, & studia, vnde multarum rerum scientia, atque experientia, vis profunda consilij, morum grauitas atque constantia, vigiles in rebus vtilibus curæ, sobrietas, parcimonia, sedulitas, parandi labor, & custodiendi diligentia, ædificandi & agricolandi studium, & provt conditio cuiusque fuerit, grandes & in abdito mentis diu volutatæ cogitationes. Inde maximi duces, inde doctores sapientissimi, & religiosi, vitæ austeritate insignes, & nihil penè excelsum absque Saturni mixtura est. Nec abs re Iouius Pontanus.

Vide Ptolom. lib. 3. de iudicijs Astrorum cap. 17.

Ingenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
Consilijs, constansque animi prudensque futuri.

Iovis saluberrimus fulgor vitali calore & humido conuenienti temperatus, aëreus, sanguineus, diurnus, inter cæli delicias numeratur. Nihil hoc sidere aut ad vitam efficacius, aut ad alacritatem iucundius. Huius aspectu cælestes Domus rident, diffugiunt nubila, & pacata serenitas mulcet. Temperiem humorum optatissimam facit, & qui humores sæpè consequuntur mores aptat aureos. Inde propendet animus in honestatem, æquitatem, rectitudinem iudicij studium veritatis, amorem iustitiæ, & vitæ socialis affectus beneficos ac salutares. Quamobrem qui sub Ioue propitio aspectu intuente nascuntur, sæpè (vt ait Ptolomæus) sunt cordati, magnanimi, religiosi, munifici, humani, iusti, misericordes, honorifici, optimatum rerum cupidi, magniloqui, studiosi, sapientes, administrationi rerum & imperijs nati. Si verò aut malo aspectu infecta, aut abiectè constituta Iouis stella in Genitura fuerit, sublimia deijciet, & obscurabit illustria, pro magnanimitate vanitatem, pro religione superstitionem, pro liberalitate prodigentiam (vt ait Pontanus) subijciet, degenerans à virtutibus, aut ipsas infuscans virtutes.

Martis sidus omnium testimonijs violentum existimatur, & propter caloris siccitatisque intemperantiam, torrida vi naturæ infestum. Itaque in coniunctionibus luminarium, & præcipuarum stellarum, obseruatur habere aliquid vehemens & sæpè horrificum. Nec dubium quin inferiorem naturam agat atque percellat, in hominibus sanguinem adurens, bilemque inflammans. Inde fortè rixæ, contentiones, iurgia, inimicitiæ, bella. Inde iracundia, temeritas, audacia, impudentia, implacabilitas, ferocia, & quæ ferme sequuntur grassationes, latrocinia, prædæ, mutilationes, vulnera, cædes, incendia, non quæ necessariò accidant, sed quæ ex humorum intemperie orire facile possint, nisi diuina vis moderatione rationis obsistat. Nimium autem errant vulgares Genethliaci qui sinistra omnia stellæ Martis irreuocabili sententia tribuunt. Nam si opportuno loco posita in genituris præsidet, facit ex Ptolomæi sententia natos, validos, animosos, potentes, bellicosos, acres ingenio, animi fiducia præstantes, qui se pro patria periculis obijciant, magnarumque rerum discrimina intrepidè subeant. Si secus autem se habuerit, præstare poterit crudeles, sanguinolentes, seditiosos, clamosos, percussores, proteruos, rapaces, maleficos, immites, insanos, religionis Deique contemptores. Adde quòd propter vim malignam temperamenti, excitet in corporibus febres, postulas, tubercula, vlcera, carbunculos, inustiones: Tum violentas etiam mortes, ex ferro, ex igne, ex morbis acutis, præsagire putatur.

Nimis demissè de Sole sentiunt Planetarij, qui naturæ ancipitis esse voluere. Nam (vt ipsi aiunt) cæteris iunctus planetis, non modò colore comburit, sed impedit lumine, beneficorum decreta frustrans, & maleficorum vires noxias intendens. Absurdè istud quidem, & aduersus Principis sideris dignitatem iniuriosè. Longè melius Cardanus in lib. 1. Ptolomæi de iudicijs, *sol maxima omnium fortunarum est, neque vllus planeta magis est beneficus, neque magis temperatus*. Certum enim est ex Philosophiæ naturalis principijs, solem esse calidum & siccum, sed moderatè, amicissimum naturæ, lætitiæ parentem, fontem vitæ, omnium operationum præsidem, & præcipuum in natura summæ mentis administrum. Nihil cæteris inest planetis boni pulchrique, quod non ab illo hauriant, quod non in illum refundant, vnde & Regem suum maximorumque munerum largito-

Ptolom. lib. 1. de iudicijs ait veteres solem habuisse pro ancipiti, sicut & Mercurium.

gito-

gitorem perpetuis itineribus coronant. Constat certè ea quæ flagrantissimo Soli nimis admota sunt, lædi, sed hoc imbecillitatem rerum non luminis malignitatem arguit. Non est hoc verendum stellis quæ infinitis propè spatijs à Sole distant. Friuolum est credi eas à Sole vri, & infici. Non est timendum populis qui in temperatis regionibus habitant, & si æstus accendit, nemo tamen pueros recens natos feruentibus Solis radijs exponere cogitur, vt eos torreri necesse sit, dum viuere incipiunt. Quomodo hic erronibus suis noxius, quos fœlicissimos prædicant cum ei prorsus immersi fuerint? quomodo hic noxius qui generationis pater est, à quo calor excitatur, efferuescunt spiritus, ingenium abundat, mens acuitur? Quomodo hic noxius à quo (vt ipsi aiunt) in genituris cum summo loco præfuerit, existunt honores, Pontificatus, sacerdotia, magistratus, fasces, tituli, coronæ, & omnis fœlicitas. Absque dubio est in Solis aspectu aliquid grande, fortunatum, magnificum: nam & natiuitates diurnas nocturnis, cæteris paribus, longè præstare omnibus pro comperto est.

Veneris stella, vt obseruatio tot sæculorum docuit, propter humidi conuenientis temperamentum genitalis est, ac prolifica, non solùm Lunæ ad fouendam humectationem, sed etiam soli ad informanda corpora deseruiens. Itaque summam habet naturæ benignitatem à qua fœlix & fortunata censetur in genituris, & vulgo fortuna minor ab Astrologis non secus ac Iupiter fortuna maior appellatur. Nec dubium quin ob temperiem illam amicam naturæ, & generationi beneficam, ab ea existant desideria, cupiditates, amores, oblectamenta, munditiarum cultus, atque ornatus studia, amœnitas ingenij, indolis iucunditas, & amabilitas quædam illices habens animorum, & ad se occulta vi rapiens. Nec abs re dicunt fauentibus eius radijs nasci fœminas eximia specie atque elegantia morum præditas, homines venustos, artium iucundarum sectatores, & in speciosa quæque teneritudine affectus pronos. Quos Dei fauor ab impuris amoribus vindicat, retinent tamen aliquid molle & lætum, & socialis vitæ appetens, & quod quis miretur, ex eo ipso sidere à quo cupidinis faces accenduntur, igniculos quoque ad religionem excitari perhibent, vnde plerosque videmus deferuescente iam mundi cupiditate, transuolare in monasteria, & amores quos rebus caducis malè impenderant, Deo vendicare.

Mercurium Ptolomæus subitarum mutationum in vtramque partem effectorem pronunciat libro primo de iudicijs. Illum certè omnes agili natura atque versatili loquuntur. In caussa est acutus & penetrabilis humor, quem vt ait Iouianus Pontanus, excitare solet in corporibus, vnde animi quoque afficiuntur, & formantur ingenia. Huic acumen intelligentiæ, mentis subtilitatem, dexteritatem in rebus, inuentorum fœcunditatem, eruditionem, eloquentiam omnes vna voce tribuunt. Sub hoc nasci volunt viros ingeniosos, Philosophos, Astrologos, Arithmeticos, Oratores, Poëtas, Scribas, Cancellarios, Mercatores, Pictores, Sculptores & industriosos omnis generis artifices. Nihil sine Mercurio in ingenijs viget, nihil lucet in mentibus. Omnes qui eumdem bene collocatum in genitura habent, nec in Helicone dormire, nec in Parnasso somniare desiderent. Solus Mercurij aspectus fælix & propitius omnes ingenij recludet fontes (& vt aiunt) præstabit eruditos, cautos, multiscios. Sed si in mobilibus signis fuerit, timendum ne mobilitatem mentis afferat, quæ per omnia volitare semper aueat, nec vnquam ar-

tium scientiarumque fundamenta per solidum iaciat.

Lunam ait Aristoteles secundum à Sole locum obtinere, atque authoritatem tũ caloris, tum lucis. itaque quod dixit Pontanus in libro de Luna, ad Ægidium Eremitam: Cum calor solaris generationis prima sit atque appositissima causa, Luna secundo illi succedit loco, quasi vicaria Solis, & in calefaciẽdo genitalem ad operam, & in illuminandis nocturnis tenebris lucẽque terris ministranda. Itaque multam in corporibus vim habet, ab ipsa infantis in vtero concretione. Atque vt à matre infanti præbentur alimenta, sic à Luna vires animato corpori subministrantur, quas assidua peruagatione à Sole & à cæteris planetis mutuatur. Hæc animalitati hominis præest, hæc dominatum in fœtum obtinet, quem suis discursibus assiduè fermentat. Hæc conformandis membris sudat artifex, hæc totam nutritionem regit. Potestatem quoque suam in cerebro non inualidam exercet, nec dubium quin bene è Mercurio & Luna affecti, ingeniosi sint, malos autem aspectus sortiti, mente vaga atque instabili in varios casus incidant. Luna in optimo statu est (vt ait Cardanus) à prima quadra ad oppositionem, & maximè in quatuor vltimis diebus qui sunt ante oppositionem: Tunc enim primò abundat lumine copioso. Secundò idem augetur in dies & horas. Tertiò est in parte superiori eccentrici. Quartò ascendit continuò ad Apogæum. Per contrarium pessimè disposita in vltima quadra & maximè in quatuor vltimis diebus ante coniunctionem. Alludunt autem ad eius naturam Genethliaci, cum eidem tribuunt Reginas, viduas, matres, vxores, plebem, legatos, cursores, nuntios, itinera, nauigationes, peregrinationes & historiarum studia. Porrò Luna & Venus inter fœmininos & nocturnos Planetas censentur, Sol, Saturnus, Iupiter, inter masculinos & diurnos; Mercurius in ambiguo est. Addunt autem in genituris Mathematici partem fortunæ, & caput caudamque Draconis. Pars fortunæ est locus cæli seu signum quod tantùm distat à Luna, quantùm Sol à signo ascendente. Draconem verò appellant figuram duorum circulorum quam Solis & Lunæ cursus efficiunt. Caput Draconis est ille nodus, vnde Luna ad Boream ascendit. Cauda est sectio vnde ad Austrum descendit. Hæc puncta cum Sole & Luna moueri faciunt & signant in Ephemeridibus, qua ratione non video, neque cur cauda in septima & octaua domo sæpè sit ominosa. Pars fortunæ ad Chimæram propiùs accedit.

Cardanus in Ptolemæi lib. 3. de iudicijs.

Tertiò quæ de coniunctionibus planetarum dicunt, non omninò absurda & fallacia, si naturæ & rationis legibus temperentur.

Satvrnvs & Iupiter simul iuncti, & bene collocati, humorum temperaturam, & quasi fermentationem commodissimam afferunt. Atq; vt Virgilius ait occultum salis saporem referri in lacte, quod optimum censetur esse condimentum, sic Saturnus dextro Ioue mollitus, & veluti conditus, facit plerumque laudatissimos mores: instillans probitatem, verecundiam, modestiam, & gratam in familiari consuetudine suauitatem. Itaque & qui sub hac coniunctione nascuntur, sæpè sunt honesti, graues, iucundi, prudentes, sensati, in amicitijs colendis fidi, benefici, & æqui verique amantissimi, studiosi, arcanarum rerum cupidi, & inde magnis honoribus apti. At si vtraque stella malè posita fuerit, periculum est ne sint tristes, suspicaces, ficti, infidi, inertes, queruli, imprudentes, inepti, & tamen ambitiosi.

Saturnus & Mars quòd inimici sint & malefici, sæpè in genituris cùm præsertim im-

Inexplicati cupiditate solliciti.

imperfecta desideriorum suorum vota relinquũt. Firmicus.

importunè & ignobiliter collocati fuerint, mores valdè ambiguos & multa inde aduersa(vt aiunt) & ærumnosa significant. Ignea quidem & exæstuans Martis natura frigescentem atque obtorpidam vim Saturni fouens fortè in aliquam temperiem non illaudatam cesserit. Sed non rarò accidit, vt sub hac constellatione geniti, sint ingenio ancipiti, mira calliditate, & simulandi dissimulandique artificio prædit, audaces simul & timidi, inquieti, rixarum auidi, & memores iniuriarum, profunda vi consilij & subdola, solliciti, & si potentia adsit, sæui.

Saturnus Soli nimis admotus vim eius beneficam impedit, & ipsum caloris fontem inerti frigiditate sæpius inficit, atque contristat. Hinc nubilo dies inuolui, hinc eluuie aquarum serenitatem fœdari, hinc rigere nascentium neruos, vbi sideris malignitas penitus obsederit, experientiâ nouimus. At incredibile, quod aiunt, inde quoque in fortunis hominum lætum quidpiam portendi, quòd res etiam prospere fluentes affligat, & vi inimica labefactet. Sed tamen Porta putat caliditatem & siccitatem Solis, Saturni frigiditate mitigari, fierique ex vtroque non illaudatam temperiem, nec valetudini semper aduersam, nec felicitati.

Ioannes Porta libro 3. Physiognomia cælestis.

Ex Saturni verò & Veneris coniunctione, modificatis plerumque vtriusque humoribus, aiunt temperiem fieri, vt neque Veneris mollities præter modum effluat, neque Saturni durities stupore tristitiaque obrigescat. Inde qui nascuntur, esse temperatis moribus, proba institutione, singulari verecundia ac pudore, summa etiam renitentia, in re vxoria sedulos, sed riualitatis affectibus obnoxios, abstinentes, parcos, taciturnos, prodigis & audacibus facilè indignantes, pios, & religiosos. At verò quia rarò obtigit hominibus amica temperies, verendum est(aiunt) ne ista coniunctio omnes æui delicias inquinet, efficiatque natos ingenio tristi, volnptate sordida, vita infœlici.

Rigor mētis idem.

Saturnus cum Mercurio infauste copulatus, sæpè affert mores asperos, inconditos, difficiles, inamœnos, fallaces, peruersos, immites, mentem stupidam, atque ineptam, linguam etiam nonnunquam impeditam. At si vtriusque copula nō importuna atque absona fuerit, poterunt esse nati in rebus administrandis seduli, & diligentes, arcanarum rerũ indagatores, eruditi, sagaces, multiscij. Certè in Pico Mirãdulano, & in alijs plerisq; Saturni & Mercurij societas mirabilis ingenij vim fecit.

Saturnus cum Luna aut humoris aut frigoris nimia vi affectum, sæpè obtorpidum corpus reddit, nec ingenij facit vim lætam. Aiunt autem frustra Genethliaci inde non infortunatos nasci, si natalis diurnus fuerit, & fortunæ aspexerint. Certum est multos quibus hæc Sysigia obtigit, profunda mente, sed peruicaci extitisse.

Maxima decernunt insignia dignitatum. Idem.

Iupiter cum Marte notat viros acres, expeditos, magna spirantes, excelsos, gerendis rebus efficaces, imperijs militaribus atq; etiam ciuilibus natos, & fortunatos quidem illos, nisi prædominante Martis ardore, in arrogantiã, & luxum, peruicaciam atque ferociam abripiantur. Cum Sole laudatissimos mores, & inde (vt nugantur) claritatem nominis, splendorem, magnificentiam, regificam sortem, felicitatemq; permagnam. Cum Venere(si tot nugis fides) honestatẽ, nitorem, illustres amicitias, felix coniugium, affluentiã rerũ, liberos, prosperosque successus: sed cauendum ne indulgentia luxuriantis fortunæ, amoribus & delicijs subditos immergat. Cũ Mercurio ingeniosos, eloquentes, sensatos, negotiosos, rebus ciuilibus insignes, opulentos, aptos ad parandum, nec ad cõ-

ser-

seruandum impigros. Cum Luna commodos quoque mores habet, fortunæ, & census incrementa.

Mars cum Sole exuberantem vim caloris, acres spiritus & sæpè præcipites, iras fastidiosas atque peruicaces, magnificentiam luxum atque profusionem. Et(vt ipsi volunt) ab igne & ferro pericula. Cum venere clandestinos amores, iurgia & rixas, mulierum caussâ, lætitiam, hilaritatem, spectacula, & ludos, artes illecebrosas & lenocinijs plenas. Cum Mercurio acutos, perspicaces, impigros, agiles, versatiles, astutos, eruditos, disertos, qui se rebus summa dexteritate accommodent & sæpius consequantur optata. Cum Luna audaces, impetuosos, in rebus aggrediendis præcipites, festinos in gerendis, & aliquando in gestis infelices, si partilis coniunctio fuerit vix sine magnis discriminibus, vt aiunt inuenietur.

Magnum nomen mirabilis expectatio, ac diuina pene fama. Firmicus. Natus ab omnibus diligitur. Ipse quoq; miro amoris affectu caeteros prosequitur.

Sol cum Venere laudatum, amabilem, moribus integris, fama candida, amatorem populi, & populo pro insigni charitate dilectum. Cum Mercurio cordatum, prudentem, insignem, magnorum virorum amicitia & beneficijs clarum, & inde præfecturis & dignitatibus auctum. Cum Luna breuem vitam, sed altam plerumque potestatem, maximè si propitius, & fauens fuerit, ipsius interlunij hospitator. Compertum tamen multos in Sysigia natos diu vixisse.

☉ & Lunæ coniunctio malum testimonium perhibet, ait Firmicus; sed vt opinor falsò.

Venus cum Mercurio ea præstat mentibus quæ genitalis humor plantis, ingenium ferax & lætum, vrbanum, facetum, artibus & scientijs aptum, facile & fallax, ipsiusque penè naturæ artifex. consuetudinem iucundam, & amabilem, beneuolentiã & charitatem, amicitiasque fideles, nisi quod à Mercuriali inconstantia formidandum. Cum Luna fastum quendam, & formæ pulchritudinem, fluxamque in coniugio aliquando fidem.

Mercurius & Luna sapientiam laudabilem, claritudinem nominis, sed vagam instabilitatem.

* Hæc mathematici ex varijs obseruationibus notant, & fortasse congruentiùs quàm cætera, quamquam hæc vt dixi, nec probo, nec censeo, pro necessarijs habenda, quando sublunares caussæ Astrorum tam sæpè frustrantur effectus. Porrò quæ de coniunctione planetarum dicta sunt, non de placita intelligenda sunt qua latissimè in eodem sumuntur signo, sed de partili quæ accuratior est, & saltem intra paucos gradus. Nil opus hìc cætera persequi, & singulas planetarum configurationes signare ; quia fere naturam coniunctionis, sed non æquis viribus sequuntur. Quadranguli oppositique aspectus in maleficis minaces sunt & noxij, contra triangulares sex angularesque beneuoli, maximè in beneficis, in malignis etiam syderibus minùs mali.

Iudicium authoris de præmissis.

Ex ijs vt stemus S. Damasceni, S. Thomæ, Scoti & aliorum Theologorum principijs; si consideretur signum ascendens, & id quod medium cæli occupat, quæque illis opposita in quarta & septima domo; si spectentur planetæ, atque in primis Sol & Luna, expendaturque an sint septemtrionales & nobis magis verticales, quo in statu sunt potentiores : an meridionales, in qua positione sunt imbecilliores: an Orientales, quo tempore sunt puriores; an Occidentales, quo impuriores Deinde quo in signo, qua in parte sint, an cardinales aut cardini propiores, vbi fortiores: an ab eo deiecti, vbi infirmiores; quomodo affecti ad Solem, & Lunam, vt se habeant ad horoscopum & medium Cælum, vt sint inter se coniuncti, quod est maximi momenti: vt sese mutuò aspiciant: tum fieri potest vt aliquid tanquam per nebulam conijciatur de ijs quæ ad corporales actus attinent,

vt verbis vtar S. Thomæ, puta de corporis robore, aut imbecillitate, de valetudine, & infirmitate, de temperamento, & corporatura, de ingenio, de morum propensionibus, de inclinatione in magisterium & professionem. At verò tot effutire de patre & matre, de coniugio, de filijs, de vxore, de fratribus, & sororibus, de diuitijs & honoribus, & officijs, de rixis & certaminibus, de plagis, de fortuitis vitæ casibus, de mortis genere, de vitæ mensuris, vel friuolum est, vel ad magicas prædictiones accedit, nulla ratione tolerandum.

CAPVT XVI.

De electionibus quòd vanissima sint.

ALIAM quoque insaniam in electionibus dierum & operum insaniunt non ferendam. Nihil hîc de agricolis, nihil de nautis, nihil de peregrinationibus loquor, quos rerum gerendarum commoda captare tempora ex Astrorum obseruatione nemo vetat. Medicos non incuso, sed potius laudo, si cum Hippocrate & Galeno obseruent Lunæ criticos dies, canem, hyadas, & arcturum, luminarium denique cum planetis configurationem; at verò ad omnem actum, omnem congressum, omnem gradum, sciscitari ex stellis quid sis acturus, non tantùm est inutile sed ridiculum. Nam quis istas ineptias ferat? Vestem non esse induendam vbi Luna fuerit in Leone collocata: nec membrum ferro admouendum, cùm eadem signum tenuerit quod illi membro dominatur. Esse autem orandum, cùm caput Draconis in medio cæli fuerit constitutum, Ioue benignius aspiciente. Esse Philosophandum cum Venus & Mercurius fuerint Orientales à Sole. Esse sumendam medicinam Lunâ existente in signis ruminātibus. Hæc sunt quæ Astrologiā dicterijs & sannis omnium obiecere: Hæc sunt quę plurimos honore, fortunis, fama mente quoq; spoliauere. Ludouicus Sfortia qui omnia ad nutū vanissimi atq; imperitissimi planetarij gerebat, accisis rebus, in carcere infelicē spiritū exhausit. Alius dum momēta maritalis comercij nimis sedulus à Genethliaco inquirit, cupidines vt ipse arbitratu geniturus, edidit monstra. Iniuriam faciunt stellis qui ab ijs futilia expectant. Non in hoc conditæ sunt ab æterno rerum satore. Non est hæc Astrorum sapientia, sed insipientium decipula, sollicitudo crucians, & vita ærumnosissima. Quamobrem pluribus exagitare supersedeo, ne contradicere rebus stultis (quod ait Arnobius) stultitiæ sit maioris, nec referre quid dicas, hæc an impugnes, an asseras.

CAPVT XVII.

De mortis cæterorumque euentuum temporibus, vbi de annis climactericis.

AVDENT etiam Iudiciarij rem temerariam & humanis viribus imparem, cùm diuinare se ad vnguem prædicant, rerum tum prosperarum, tum aduersarum, mortis quoque periodos, cùm dominus dixerit, *Non est vestrum nosse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. Hæc autem indagare solent, per profectiones, per reuolutiones, per transitus, sed maximè per directiones. In his enim grande & penè totum Astrologiæ criticæ mysterium, quod si sustuleris iam penè nulla est. Lubricam tamen earum esse fidem, innumeris constat experimentis, quæ vix iuuant, quos ratio deseruit.

Primùm enim satis absurdum videtur, & extra artem, quod cum omnia quæ ad

prædictiones attinent, sumant à planetis, vt Zodiacum percurrunt, hic tantum ipsorum planetarum motum proprium respuant, & ad diurnum primi mobilis confugiant. Nam si diuinandum à planetis, quid magis congruum, quam proprios ipsorum motus indagare, & prosequi, & ex istis iudicare? An cùm cætera omnia faciant motu suo, tempora non facient? Sed æquator (vt aiunt) regula est primi motus; Ita est, & in diurna illa conuersione, quam quotidie experimur, pensum absoluit suum. Quid opus est vt aliarum se stellarum ministerijs immisceat, quibus illum Deus non affixit? ad hoc conditus est vt metiretur diem naturalem, non autem annorum nostrorum mensuras describeret. Inde tantus in istis directionibus, labor & continua artificum pugna, in qua qui subtiliùs loquuntur, operosiùs errant.

Deinde qui hanc methodum tuentur obnixiùs, ostendant semel cur vni gradui vnum annum assignent? & videant istud planè ex fortuita hominum impositione, & non ex vllo cæli motu aut ratione pendere. Quod enim iter planetæ confectum vna hora æquatoris, det mihi quindecim annos nulla lex Astronomiæ præscripsit, nullus ordo motuum cælestium delineauit, nullum sydus indicauit.

Tertiò cùm planeta dicitur accedere directione ad hunc, vel illum locum, tum sæpè inuenietur ab illo per suum motum disiunctissimus, & fingitur ab ijs operari, vbi non est, de sidere vbi est.

Titillat tamen laboriosos illos iudices, quod fortè quadrare vnam aut alteram directionem viderint, inde triumphant, inde regnant, nec numerant quoties à suo scopo aberrarint, quia nempe eorum errores nullum numerum habent.

Si quis igitur à me roget, quam velim adhiberi mensuram in censendis vitæ nostræ periodis, & tot morborum qui occurrunt casibus, quando hoc Diuus Thomas ex Astrorum motu pendere asserit. Respondeo in istis coniecturam esse, demonstrationem non esse; sæpius tamen annos climactericos septenos & nouenos; sed præcipuè septenos, vt primi planetæ motui respondeant, multum lucis ad hanc rem indagandam afferre.

Scio quosdam viros alioqui graues & alijs disciplinis excultos, sed in istis rudes, Climactericis vehementer refragari, quòd vim eorum timeant, aut ignorent. Nunquam, opinor, legerunt eruditum & illustrem Rantzouium, qui libro de annis climactericis profert pro hac opinione S. Augustinum, S. Ambrosium, Venerabilem Bedam, Platonem, Philonem Iudæum, Clementem Alexandrinum, Macrobium, Ciceronem, Senecam, Boëtium.

Certè Agellius lib. 3. cap. 10. memorat Varronem Romanorum omnium scientissimum, libro de hebdomadibus hæc scripsisse, *Pericula quoque vitæ, fortunarumque hominum, quæ climacteras græci appellant. Deinde grauissimos quoque fieri septenarios.* Plinius lib. 7. c. 49. apertè insinuat scansilem annorum legem, in hoc quàm in multis veracior. Deinde viri illi minimè mali, quod spectatissimos Ecclesiæ Patres, & grauissimos quoque Philosophos habet authores, quasi plebeium commentum, aut Astrologicam fabulam accipiunt.

Non à vulgo, non ab Astrologis, sed à prudentibus Physicis obseruatio annorum Climactericorum venit, & tota naturalibus argumentis insistit.

Scio curiosissimæ lectionis, & multæ eruditionis virum, clarissimum, Salmasium, librum de annis climatericis edidisse, &

& aduersus Astrologicos potissimùm egisse, quos hîc non probamus. Sed contra hebdomaticos quos è naturæ censu esse iudicamus, ne vllius quidem rationis aciem exeruit, quæ vim aliquam habeat. Ipsi qui magis strepunt, vbi Climatericos dixerunt ad superstitionem numerorum pertinere, nihil habent ampliùs quod obijciant.

Nos autem respondemus, non curare humeros, sed naturam Dei imperijs vbique numerosè agentem obseruare; Certum est enim omnia à summo rerum conditore, in pondere, numero, & mensura constitui, & rei cuique suos limites, suas periodos esse. Quæro enim cur dies naturalis inter 24. horas conficitur? Cur æstus marini tardiùs quotidiè tribus horæ quadrantibus, cum tribus minutis redeant? an dicemus Deum otiosè ternarium numerum affectasse? Cur partus mulierum nouem mensibus fermentatur? Cur febres statis dierum numeris recurrunt? Cur certæ aues duodecim semper oua pariunt? Cur smaragdi omnes figura dodecahedrica nascuntur? Naturæ hoc opus est, per numeros agentis; Dei lex, ea sic vt omnia gubernantis. Et quid igitur mirum si nostra ætas per hebdomaticos deducitur? Num Hippocrates septem in homine ætates statuit, infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, ætatem virilem, ἀκμὴν, senectutem: Infans est, inquit, homo vsque ad annos 7. Puer ad 14. adolescens ad 21. Iuuenis ad 35. vir ad 49. veteranus & proximus declinationi ad 56. quod reliquum est, senex.

Vides certè quam Religiosè per septenarios vitæ nostræ textus summo omnium medico attestante decurrat; an superstitiosus Deus qui hæc ita sanxit? an & ipsa delirans natura quæ hæc facit? Parum dico, si vacat in ipsa naturæ adyta ingredi, licebit spectare miracula septenarij numeri circa hominem perpetua veneratione digna; septimâ hebdomadâ totus in vterò absoluitur homo, iuxta Empedoclem: septimo mense mouetur ad partum: septimo die vitæ expleto vitalis olim habebatur infans. Post bis septem dies visus mouetur ad lumen. Post septem menses, dentes emergunt. Post ter septem in verba prorumpit. Post quater septem incedit. Post quinquies recedit à lacte. Primo annorum septeno incipit ratiocinari: Secundo pubescit, tertio fit vesticeps, quarto incrementi finis: quinto vires absoluit, septimo minui incipit corpore, sed mente roborari. Octauo valdè inclinat, nono deficit, decimo iuxta Platonem à ciuilibus curis remouetur. Hæc dico iuxta leges numerandi communes, quas aliqui viuacitate mira transgrediuntur.

Cùm igitur ab hominis conceptu, vsque ad obitum natura per septenarios operetur in homine, quid vetat iam climactericos tam benè signatos agnoscere? At dices, mutationes in humano corpore per hebdomadas fieri non vero; at vnde ijsdem annis morbi? Breuiter dico: Cùm natura ætate crescente, vires & quasi nouam formam acquirat per annos hebdomaticos, in ijs grandi nisu eluctatur, aduersus impedimenta, & agendo vicissim patitur, subestque morbis, aut etiam morti si vincatur. Post annos autem fere 49. quod per septenarios creuit, per septenarios decrescit, & fractis viribus faciliùs ægritudines inolescunt.

Adde quod sicut quædam arbores dum crescunt, articulis innodantur, & veluti inoculantur, ita sunt flexus ætatis quibus ad sequentes temporis constitutiones natura se vertit atque inflectit, nouum temperamentum acquirit, cuius im-

pressum in se relinquit vestigium, in hoc autem naturæ veluti prægnantis partu, labores subeunt & morbi.

Tertiò vt cælestem & arcanam aperiam rationem, notandum est hoc, altissimum planetarum Saturnum facere intra septem annos, quod Luna intra septem dies. Atque vt illa per hebdomadas, nouasque quadraturas, mutat tempora, cietque crebrò ventos, pluuias tempestates: ita & Saturnus natura maleficus, cum per septennia ferè quartam sui cursus partem conficit, morbos parit, nosque varijs difficultatibus implicat, cùm præsertim cardines figuræ Geneseos premit, aut in ascendente existens, aut illi oppositus, aut quadratus. Sæpissimè comperi multos annis climactericis Saturno ita stante, aut mortuos, aut vehementer ægrotasse.

Ranzouius habet grandem catalogum illustrium virorum qui climactericis annis sint extincti, ad quem Lectorem lubens remitto. Ego ferè à decennio annotaui magnam partem ægrotorum, aut defunctorum, qui ad meam notitiam peruenere, gradarios illos aduersos expertos fuisse. Sunt tamen plerique valentissima constitutione qui illorum iniuriam, aut penitùs reuerberant aut leuiter perstringuntur. Sunt quibus morbi & casus paulò citiùs aut tardiùs veniunt, planetæ motum expectante naturâ. Sunt quibus malè est in climactericis Astrologicis, anno scilicet octauo, & qui ab octauo per duodenos numerantur quales sunt 20. 32. 44. 56. 68. 80. Sunt qui laborant reuoluta in suum primordium Geneseos rota vt annis 12. 24. 36. 48. 60. 72. 84. Sunt qui ipso climacterico verè affici incipiunt, & tamen vi remediorum vnum aut alterum annum trahunt, hærente lateri, vt ille ait, lethali arundine. Sunt qui annos ætatis non aptè numerant, & putant extra climactericos esse, quod climactericis incidit. Possem hoc innumeris exemplis demonstrare, nisi nunc ad Empyrei Cæli consessus properarem.

FINIS LIBRI TERTII.



R.P. NICOLAI CAVSSINI
SOC. IESV SACERDOTIS.
DE DOMO DEI

LIBER QVARTVS.
DE THRONO DEI ET VITA CÆLESTI.

CAPVT I.
De Cælo supremo.



ACTENVS exteriora Domus nunc Dei lustrare placuit, ad internas rapimur sedes, vbi mortalis caligat oculus, & nullum imprimit natura vestigium. Imus suspenso venerationis gradu, quocumque ducit fides, & illustres sanctorum cœtus. Atque imprimis illud discutiendum occurrit, An in Sole Deus habitet, atq; in eo se beatorum mentibus videndum præbeat, siquidem *in Sole posuisse tabernaculum* dicitur à Propheta: An aliquis extra Solis, extra Planetarum, atque omnium fixarum vias locus, in quo Conditor ille sæculorum sua regna, sua palatia constituerit, ibique suos ciues æterno epulo excipiat, æternis delicijs satiet.

Peruagata fuit apud antiquos opinio, illustrium piorumque virorum animas in via lactea considere, quæ candor est quidam oblongus, in firmamento, à Borea in Austrum, confuso excurrens ordine, totumque Cælum cingens. Hanc efficiunt minutæ & albicantes stellæ, non fulguranti luce, sed miti albedine conspicuæ. Illic aptissimam sedem felicibus animis vt putant, commenti, vnde & Manilius cecinit.

An fortes animæ, dignataque nomina Cælo, Man. lib. 1. Astron.
Corporibus resoluta suis, terraque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia Cælum,
Æthereos viuunt annos, mundoque fruuntur.

Plato quoque in Æthere solutas corporibus bonorum mentes collocauit: Alij in Sole propter lucis commercium: sic Bouillus libro de sensu, *Vera & naturalis hominis sedes est in Sole*: Endymiones Stoici (vt ait Tertullianus) intra Lunæ globum constrinxere. Nos meritò præter duos Cælos, quorum vnus planetarum est, alter stellarum fixarum, tertium intelligimus Empirei nomine omnibus ferè notum. An verò istud credere ex fide sit, non immeritò ----itur.

De cælorum numero nihil enucleate scriptura loquitur: Nihil patres decernunt, nihil Concilia statuunt. Prudentissime rem totam Mathematicis discutiendam reliquere. Illi Lyncæis oculis omnia perscrutati, duos tantùm quos dixi cælos obseruarunt, longum de Empyreo apud antiquos silentium. Primus vt ego priore libro scripsi, hoc nomen vsurpauit Strabus Fuldensis monachus, post annos à Christo plusquam octingentos. Et is, opinor, acceperat à Beda, qui apud sanctum Dionysium Empyreas cæli pulchritudines legerat. Hoc nomen nihil nisi ignes & flagrantissimam lucem sonat, quæ in Sole abunde est, vtpote totius naturæ foco. De cætero nihil constat experimentis: Nec enim colore, nec luce, nec motu, nec vllis effectis dignoscitur. Soli Scholastici penes quos magna est authoritas, placitis tuentur magis quàm rationibus. Nam quod ait Richardus Cælum Cristallinum sua densitate impedire quo minùs videatur Empyreum, leue est haud credentibus inesse Cælo densas Cristallorum moles. Quod autem addit perfectissimam istius Cæli lucem aciem nostram superare, & gloriosis tantum oculis deberi, vim aliquam haberet, si nostra saltem lumina ab eadem, vtpote corporea præstringi, atque arceri experti aliquando sentiremus. Melius Diuus Thomas à lucido subtili non emitti radios sentit. Sed tamen in beatorum corporum oculos oportet idipsum radijs incurrere suam inde haurientes voluptatem. Ideo subiungit sanctus Doctor habere istud claritatem gloriæ quæ non est conformis cum claritate naturali. Quod si probatur, iam erit extra naturam corporum cælestium, à quibus naturale lumen defluit & in spiritalem quamdam substantiam, quod minimè volunt, astruetur.

Strabus in glossa super Gen. Beda c.3. in Gen.

Richard. in dist. 2. q. 2. ad. 3.

D Tho. 1. p. q. 66. art. 3. ad 4.

Neque igitur ex fide, neque ex ratione constat, tale esse Cælum empyreum quale multi finxere. Friuolum est quod Lansbergius ex oui similitudine probare contendit. Nam, vt ait, licet ouum plenariè contineat quicquid ad productionem pulli requiritur, non tamen producere, nisi continua Gallinæ incubatione foueatur, qua vis in ouo abdita excitatur. Ita (inquit) licet duo visibiles Cæli omnia in se complectantur quæ ad rerum generationem attinent, nihil tamen efficiunt, nisi vis generatrix ijs indita per Dei spiritum exstimuletur, qui locum habet in tertio præcipuè cælo. Neque enim empyreum cælum ad productiones rerum sublunarium concurrere Theologi admittunt, & nos vim diuini spiritus quam exigit, non tantùm in omnes cælos sed in ipsa elementa diffusam esse credimus, Deo vbique rebus inserto, & totam mundi capacitatem abundantiâ viuifici spiritus implente.

Ex fide tamen est esse præstantissimum in cælo locum quem Deus veluti suæ gloriæ theatro & beatorum domicilio destinauit. *Cælum mihi sedes est* (ait Dominus) Et quidem interiùs vt testatur Propheta, *Cælum cæli Domino*. Ideo *& eleuatam super cælos eius magnificentiam*, idem canit Psalmo octauo. In hanc sedem euocari sanctos, Christus vbique attestatur dicens, *Beatos pauperes spiritu, & beatos qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vnde & vocem de Throno Dei audiuisse Ioannes memorat in Apocalypsi inclamantem. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis. & ipsi populus eius erunt. & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*. Probabilissimum est autem in sacris tres distingui cælos vnum aëreum, alterum sidereum, tertium verò esse paradisum. Nam & Paulus narrans se in tertium cælum raptum, statim subiungit *quoniam ra-*

Esse cælum supremum domicilium beatorum de fi. est.

Act. 7. 4.

Psalm. 11.

Apoc. 21. 2. Cor. 12. 4.

raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.

An verò locus iste sit empyreus siue igneus, an solidus, an liquidus, an quadratus, an rotundus, fides non docet. Non ignoramus multa à Beato Ioanne dici de ciuitate sancta quæ fundamenta habeat ex gemmis, muros ex iaspide, plateas ex auro. Sed hæc per allegoriam dicta, quæ per terrenarum rerum species cælestem gloriam adumbrauit, ostendit tamen supra Solem & stellas esse, cùm addit. *Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam & lucerna eius est agnus.* Ibi igitur Dei thronus est, vbi cæli apex & maxima Domus Dei pulchritudo, vbi Cherubim flagrant, clamant Seraphim, apud Isaiam & primam sanctitatem æternis vocibus venerantur: vbi secundùm Danielem *millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei*: sex ex eodem *procedunt fulgura & voces & tonitrua*, cinget verò mare vitreum & insuperabilis abyssus, vt inde liceat discere quanta nos ad hæc verecundia oporteat accedere. Nam & Paulus monet, *non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis.*

Hieron. in cap. 36. Ezech. vt notat Bellar. ait Seuerum Sulpitium fuisse erroris eorum qui Hierusalem auream & gemmeam expectant.
Apocal. 21. 23.
Isai. 6.
Daniel. 7. 10.
Apoc. 4. 5.
Hebr. 12. 18.

CAPVT II.

An supremum Cælum domicilium beatorum sit solidum.

QVI liquiditatem in cælis inferioribus semel admisere, latius audacia progrediuntur, & ipsam beatorum Domum fluxam, ac fuso aëri simillimam fingunt. Neque obstat (vt aiunt) quòd humanorum corporum futura sit aliquando domicilium: ipsa enim sibi indita virtute sustinere se in liquido facillimè poterunt, nec casus vlli, non secus ac volucribus Astrorum flammis est metuendus. Itaque sanctos sibi post resumpta corporis spolia quasi paradisiacas aues pingunt, libratis in purissimi Ætheris serenitate corporibus.

Placet hæc præpetibus ingenijs sententia: Sed tamen considerare debuerant esse suos auibus nidos, & ipsi quam supra omnes statuunt cæli ciui. Nec si pennis commodissimè vtantur, auent tamen continuò manere in aëre. Sideribus alia natura est: Cùm enim sint instar globorum ardentium in Ætherea regione accensa, vltrò voluuntur, & semper pendent sua conditione; ita nempè ab exordio rerum constituta, at verò pendere humani non est natura corporis, cui progredi magis conuenit propter ipsam membrorum structuram. Nec si agilitatem habent à gloria beati, ideo putandi sunt, nusquam in solido ponere vestigia. In illustri exemplo est Dominus iam calcata morte triumphator, qui non semper ex aëre suspensus suos alloquebatur discipulos, tangi se & palpari vtique in terra ab ijs passus. Non destruit naturam status gloriæ, si perficit, & frustra pedes essent cælestibus, nisi & ijs in cælo vterentur. Longè alia mens est nonnullis qui solidos vbique cælos perpugnaciter tuentur, & tamen habitari à felicibus incolis volunt, quia tam facilè est illis solidissima quæque penetrare, quàm Piscibus in aqua ludere. Imò verò penetratio corporum operosa res est, quàm nec omnes Theologi scholastici admittunt; siquidem Durandus non existimauit aliam esse beatis corporibus subtilitatem, quàm quæ est in sensuum acumine, ex subiugati à ratione appetitus seruitute. Cui sentẽtiæ & si nunc Theologorũ scho-

Dur. in 4 dist. 44. q. 5.

læ reclament, non omnes tamen probant hanc penetrandi virtutem esse in sanctis fixam & continuam: sed tantum cùm opus est, diuina virtute in ipso actu concedi, corpore statim in naturalem existendi modum redeunte. Qui verò donum istud supernaturale inhærere firmiter volunt; non censent tam familiari vsu exerceri, vt non nisi penetrando, corporibus beati post resurrectionem vbique insistant, nullum alioqui proprium sibi vendicarent locum. Itaque nimis est à natura corporum & per totam æternitatem recedere, si dicamus cælestis Hierusalem gloriosos ciues habitare veluti in Crystallo, & marmore, nullumque vestigium imprimere, quin tota illis diuina potentia in id sit aduocanda. Nimis vulgando deterimus quæ Christus ipse in sua persona rarissima esse voluit.

ita Lessius de summo bono libro 3. c. 7.

Quamobrem multi ne ad hunc scopulum allidant, malunt fateri Christum & sanctos qui cum eo iam resurrexere, in conuexa supremi cæli superficie consistere. Adstipulari sibi Diuum Paulum existimant, qui Dominum asserit supra omnes cælos conscendisse. Sed, obsecro, num omnes qui in templum Dei ascendisse memorantur, necesse fuit suprema tecti calcare. An & domini commodè non habitant in ædibus, nisi tectorum crepidines inscendant, supra hirundinum nidos elati? Quid est aliud stare in conuexa cæli superficie quàm extra cælum esse? Soli igitur pedes beati domicilij fructum vsurpabunt, capite & cæteris membris extra mundum, extra naturam relegatis. Quid est extra conuexa cæli nisi vacuum immane, nisi horror & caligo? Et nos illic putabimus cælites toto corpore consistere, vbi tenebris horrentibus & æternæ tristitiæ locus est. Saniores iam mente æstimare licebit qui paradisum sub terra collocarunt inter amœna fortunatorum nemorum & ridentes naturæ delicias. Sua enim sunt illic sensibus aucupia: At isti sentire beatos volunt, & ibi esse vbi nihil sit quod sensum oblectet, sit autem quod mens horreat.

Ephes 4. 16.

Longè igitur melius est solidum quidem cælum instar pauimenti fælicibus incolis sternere, & fornices iam Crystallinas, si volumus, concameratione structas in immensa surgentes spatia statuere: interiora verò Domus spirabili corpore implere, quàm ad cæterarum opinionū vepres adhærescere. Ita placuisse animaduerti Lessio nostro limitatissimi iudicij viro. Et certè soliditas cælorum antiquis magis arrisit, neque fluiditas à recentioribus inuecta, nisi ad vindicandos aliquod siderum motus. Cùm verò ista necessitas in supremo cælo iam sublata sit, non est quod refugiamus fateri ipsum ex ea parte solidum esse qua beatos vndique cingit: ex media autem fluidum, quo sensuum functionibus suus vsus, sua commoditas asseratur.

CAPVT III.

An sit mobile.

MOVERI etiam supremum cælum aliqui contendunt, quòd corpori naturali motus competat, & hæc ipsa sit cælorum conditio vt moueantur. Nam & hoc habet vim præstantis naturæ, cùm magna quæque præter terram corpora continuò agant sese, & iugi agitatione ipsa se vegetet æternitas. Angeli denique motu non carent, de cælo toties lapsi, maria & terras obeuntes.

At spectare hîc illos oportuit, nulli rei motum frustra à Deo vnquam inditum fuisse. Mouetur aër ne inerti globo torpens malignas vires concipiat. Mouentur aquæ vt limpidiores fluant, vt salubriores sint

sint hominum generi, vt ferant nauigia. Mouentur animalia, vt quærant quod appetunt. Mouentur astra ad regimen terrarum salutemque viuentium, nobis inde tempora, nobis tempestates motu diurno annuoque metiuntur. Mouentur angeli à Deo quippe missi vt res procurent humanas *administratorij spiritus*, vt ait Apostolus *propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. At in supremo cælo quis fructus mouendi, cùm neque conditum sit ad vitalem nobis aërem attritu suo limandum, neque ad horas diei noctisque partiendas, neque ad maturandas fruges. Sed in hoc tantum extet, vt sit beatorum Domus, & magnificentissimæ gloriæ theatrum perpetuum. Non conuenit domibus moueri, sed stare fixas, nisi putemus cælites oblectamenta Neronis Cæsaris appetere qui cubiculi laquearia suo capiti impendentia verti lubens è scena spectabat. Non congruit istud cum tranquillitate beatorum assidua vertigine circa terras rapi, modò superos, modò inferos. Sed nec aliter quidem agitari præstat, & versari more infantium, quibus à nutriculis sopor conciliatur. Nec frustra dictum à propheta. *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem*, Illic enim stabilitatis domus hospitatorem suum imitata qui *petra sæculorum* nominatur ab Isaia, iuxta Hebraica, vbi nostra versio habet *fortem in perpetuum*.

Heb. 14.

Psalm. 121.

Isai. 26. 4. iuxta Hebraos.

Melius igitur hîc militant Lansbergij rationes, qui ait dignissimos naturæ Interpretes censuisse, & omnes vno ore affirmasse, supra sphæram fixarum non esse nouam sphæram quæ inferiores secum in occasum rapiat: Scilicet vti extra ouum nihil præter testam reperitur, quæ totam oui substantiam includit: ita suprà firmamentum non est aliud cælum quod saltem motu naturali agat torqueatque cæteros. Nihil enim opus habet Domus immortalium mutare situm, neque propter se quæ inconcusso tenore stat, neque propter reliquos mundi orbes, cum quibus nihil habent commune. Denique si hæc ciuitas non eget Sole, neque Luna, quomodo indigebit motu, & si tota ad quietem condita est, quis credat velocissima omnium rapiditate per æternitatem currere?

CAPVT IV.

An influat in res inferiores.

MIRA quæque de rebus ignotis licet ad arbitrium fingere. Plerique Theologi quos Richardus refert aiunt cælum Empyreum in hæc inferiora, sicut cæteros, influere, & diuersas efficere rerum formas, in ijs regionibus quæ æqualiter à polis distant. Nam si hæc à firmamento sphærisque inferioribus, quæ è terra nascuntur, procederent, necesse esset (inquiunt) eadem in vno climate semper existere, propter vniformes siderum aspectus. Sed hoc est negotium supremo cælo extra rem quærere, cùm certò sciamus varietatem formarum posse nasci ex diuerso planetarum situ, qui nusquam eumdem inter se tenorem seruant, & ex caussis sublunaribus variè concurrentibus. Nec minùs probandi quos sanctus Bonauentura memorat, vtique affirmantes materiam ad animæ vegetatiuæ intromissionem disponi quidem à fixarum cælo, & subiectis planetis; at circa mentem rationis capacem suscipiendam desudare cælum Empyreum, vt pote nobilissimum excellentissimæ animæ præparans iter.

Rich. 3. 3. circa 3. principalem.

Bona in 2. d. 2. p. 2. a 1.

Sed hæc speciosa sunt extra veritatem Philosophantium figmenta, quæ eadem facilitate refelluntur, qua sunt inuenta. Nimis dissitum à terris beatorum domicili

X um

um vt in hunc inferiorem mundum influat. Nimis ab hominum commercio remotum, vt procurationem rerum caducarum suscipiat. An verò huic orbi non sufficiunt tam ampla luminaria, tam potens Sol, tam fœcunda rebus gignendis Luna, vt necessarium sit aduocare subsidiarios influxus de altissima beatorum sede, & quietas domos in partus infimos sollicitare?

At verò nihil est, aiunt, in natura otiosum. Nulla sine qualitate substantia, Nulla qualitas quæ non agat, quæ non vim suam alijs imprimat. Fateor equidem supremum cælum non esse suis dotibus destitutum; habet enim fulgentissimam lucem qua beatos mulcet oculos, & vicina sibi, vt par est, afficit corpora. At verò quod in terræ fœtus agat, quod animantes gignat, quod lapillos creet in terræ visceribus, quod vitam hominum regat, & fata etiam disponat, non est ferendum, non est credibile. Sinamus ipsum frui sua conditione, sinamus obire munia quæ summus conditor illi descripsit. Non est terris natum, sed terrarum dominis cælitibus quos recipit, quos continet, quos suo amplexu cingit. Vbi actio illi in hæc infima si motus non est? vbi aculeus? vbi impressio? At verò lex est vt inferiora regantur à superioribus, ita verò, si sint inter se cognata quadam affinitate disposita, si alterum alteri à factore rerum sit inditum atque præpositum. Atqui non est huius ordinis Empyreum quod vocant, vt se fluxarum rerum generationi commodet. Lucem habet non quæ fata terræ foueat, sed quæ beatos alat iucundissimo rerum omnium spectaculo: Non accedit nostris elementis decor, qui fere gloriæ lumen inscendit.

* * *

CAPVT V.

De qualitate Domus Dei, & quid sentiendum de paradiso Apocalypsis.

MAGNAM hic doctrinæ tribulationem (vt cum sapiente loquar) patimur ignari patris, ignari patriæ, spectantes tam magna, & scientes tam pauca. Iubet fides expectare grande patrimonium, hereditatem immensam sanctorum ciuitatem, & decus. Sed quæ ibi sint spectacula, *nec oculus vidit* (vt ait Apostolus) *nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Nihil tota veteris testamenti pagina de regno & vita cælesti habet admodum expressum, si quæ à Prophetis dicta per nebulam & figuras scripta, qualia sunt illa Isaiæ prophetæ. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè*. Non aliter Ezechiel in illa perplexissima templi structura: omnia corporeis adumbrata velis, omnia crassa, & sensibus obuia. Ijsdem quoque vestigijs insistens beatus Ioannes, sed pleniori luce describit magnificam illam sanctorum ciuitatem: Est in Cælo nouo, in terra noua, & ipsa descendens de Cælo à Deo, nullæ ibi lachrymæ, neque mors, neque clamor, neque luctus, neque dolor, neque nox, sed dies vna & perpetua, sine Luna, omnia collustrante Dei fulgore. Murus illi ex iaspide magnus, & altus, 144. cubitos: portæ duodecim, singulæ ex singulis factæ margaritis: fundamenta ex totidem gemmis pretiosissimis. Vrbs ampla in quadro posita, quolibet quadri latere ad mille quingenta milliaria Italica excurrente. Inde capacitatem antiquæ Ba-

Eccles. 4. 19.

1. Cor. 2. 9.

Isai. 33. 16.

Babylonis decies millies superari par est. Plateæ ex auro mundo, fluuius vitæ mediam vrbem interluit, vtramque ripam coronant arbores pulchræ & salubres.

Quid de huiusmodi paradiso sentiendum sit controuersia est: Chiliastæ indulgentissima corporis mancipia omnia ad corpus detorsere. Finxere sibi peramœna somnia, post diras persecutiones, post subactum atque religatum Sathanam, Christum denuo è Cælo delapsum, cum suis inter ampla decora placidasque voluptates mille annis regnaturum. Inde in cæleste imperium iter, mensurasque in æternum sedes. Tam blandè influebat hæc opinio vt multis etiam grauibus viris arrideret. Nec se ab ea alienum aliquando fuisse memorat Augustinus, si tamen hæc vita spiritalibus delicijs conditetur. At postquam millenarij omnia ad corporeas voluptates retulere, fœdi sapientibus viris fuerunt, & exosi. Itaque qui de hac Epicuræa in terris vita, non autem de cælesti animarum cum Christo vsque ad diem iudicij commercio, locutam Apocalypsim olim existimauere, non Ioanni Apostolo sed Cherinto famosissimo illius erroris propugnatori tribuerunt. Alij totam istam regni fælicitatem in Constantini tempora deriuarunt, quibus post catenas stragesque militantis Ecclesiæ, tanta repente libertas, tantus bonorum, diuitiarumque fulgor illuxit. Istam tamen sententiam Augustinus seuerius explodit. Hæc enim inquit, *de isto tempore accipere, impudentia nimia est. Tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, vt nulla debeamus in sacris libris quærere, aut legere manifesta, si hæc putamus obscura.* Nec dubium quin ferè omnia quæ illic à beatissimo Apostolo dicuntur, alium orbem, aliud sæculum spectent. Nunc tamen propiùs inspiciendum quomodo sint intelligenda.

Caius vetus author apud Euseb. lib. 3. cap. 28. de præparat. Euang nec à Græcorum Ecclesijs fuisse receptam testatur Hieron. Epistol. 119. Aug. lib. 20. c. 17. de ciuitate Dei.

Abeunt interpretes in dispares vias. Quidam enim nihil hîc corporeum, nihil materiale volunt, cælum ipsum empyreum nec videri, nec tangi magis, quàm exutas terrenis contagijs animas. Apertè Anselmus: *supra firmamentum*, inquit, *est spirituale cælum hominibus incognitum, vbi est habitatio Angelorum.* Eugubinus verò longè audacius dixit esse quidpiam æternum & increatum, ex Dei essentia manans: Non probatur hæc sententia Theologis; dum enim à paradisi loco omnem materiam excludit, restat vt corpora ipsa beatorum in spiritalem animæ substantiam refundi dicat, nec tangi, aut palpari, quod est ab Ecclesia in Eutychio damnatum. Alij omnia quæ Ioannes exponit in cælo esse autumant. Nam quid est non opinabile? Illic crystalla, & aurum, & lapides pretiosos, fluuios quoque & arbores repetiri vbi humana sunt corpora? An verò à præpotenti omnium artifice Deo non potest ita componi atque aptari illius mirabilis cæli materia, vt iaspides, smaragdos, vniones repræsentet & vincat. An arbores? Illic viuere non poterunt vbi homines spirant & viuunt? Post Triadis, post Incarnati verbi, post existentis in Eucharistia corporis dominici fidem, quid tandem est incredibile? Quid non dictu, quid non factu procliue? Quàm multa nos quotidie imperitiæ nostræ arguunt! Esse Antipodas regnaque subterranea olim sanctus Augustinus irrisit. At nos iam in volubili globo, verissima mundi imagine penè videmus, penè palpamus, nec aliam rebus faciem esse iam credimus. Solem immensam esse purissimi ignis fornacem, vnde plures vigeant, & collustrentur orbes, sensit olim antiquitas. Multos Democritus mundos induxit, & eas quas putamus stellas ingentes esse insulas, in hoc spirabili æthere quasi nauigia fluitantes. Illic

Eugub. lib. de perenni Philosophia.

montes, & syluas & vrbes, illic magnos & nobis ignotos incolas esse. Hoc iam plerique Mathematici, sed minùs audaces sentiunt, & si proximum est fidei doctrinæ vnicum esse mundum, non tamen de fide est. Quàm magna res est mundus & quàm pusilli sunt homines. Quàm multa nobis in hac caligine veritatis illudunt. An si tot mundos in aëre pendentes fabricare licuit Philosophis, non poterit Deus grandem & magnificam ciuitatem, omnibus etiam quæ miramur bonis refertam, supra communes stellarum orbes constituere, in qua firmam suis electis sedem & iucundissimam vitam largiatur.

Sed tamen nimis mihi videntur adulari sensibus, qui in hac cælesti vita tot oblectamenta corporis requirunt, & verendum ne in Chiliastarum sensus degenerent. Non multum interest quid oculi videant, quid aures audiant, quid tangant manus, aut pedes calcent, cùm animus Deo impletur, Deo saginatur. Exundat inde in sensus amantis acerrimus lætitiæ sensus, qui omnem quam delibare possunt corpora ex sensibilibus obiectis iucunditatem, impetu quodam gaudiorum absorbet. Bene Cardinalis Bellarminus, *neque verò cælestis*, ait, *Hierusalem ex auro & lapidibus pretiosis, qualis hic habentur in terris ornata cernitur, sed hæc ita dicuntur vt intelligamus Dei ciuitatem tantum præstare terrena, quantum aurum luto, saxisque margarita.*

CAPVT VI.

De domino cælestis Domus.

VBI perpetua solitudo, pulcherrima quæque Domus carcer est. Quid prodessent tam ampla, tam splendida cælestis Domus palatia, nisi habitatore Deo fruerentur? Est hominibus arcanum vltro cum Deo cælestibusque commercium. Hoc appetimus, hoc quærimus etiam auersi. Vnde olim tot insanæ templorum moles, vnde tot Regum in ædificandis ædibus sacris conspiratio, nisi quod crederent inde Deos allici, vt cum mortalibus degerent. Habere etiam angelos sua odia, suos amores, & istis quidem rebus arceri, illis attrahi, nec vane traditum, historiam Tobiæ & fel vranoscopi vt volunt piscis, quo extricati Dæmones relegentibus. Inde studium conquirendi figuras, ligna, & marmora, quibus delectari etiam cælites tam sæpè frustra somniarunt. Neque enim vt præclarissime ait Apostolus. *Deus in manufactis templis habitat, aut manibus colitur humanis, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Act. Apost. 17. 25.

Ipse sibi & rebus omnibus templum est, & locus, & mundus. Vniuersalissima (vt aiunt) Pythagorici natura, vbique præsens, omnia videns, audiensque, cuncta continens, nullius verò ambitu contenta. Maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum. Et quidem cum tantus sit, habere cum suis electis Cælum communem Domum voluit. Ecce (inquit beatus Ioannes) *tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Iste nempe thronus est quem vidit diuinus Isaias exclamans: *vidi Dominum sedentem supra solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Grande illud æternæ felicitatis sanctorum pignus est, habere Deum ipsum fundatorem æternitatis. Timenda esset ipsi Cælo Cælorum ruina, nisi à conditore suo sustineretur. Nam vt ait Diuus Thomas, *quod potest esse, & non esse, quandoque non est.* Non fuit aliquando tam magnificus cælorum ornatus, quia potuit esse, nec futurus, si Deus influere desineret. Deus solus est *manceps diuinitatis*, & dei-

Timæus Pythagoricus vocat Deum. Κόσμον ἰνδαλμάτων.

Apoc. 21. 3.

Isai. 6. 1.

S. Thom. 1. p. q. 2.

Tertull. apol. c. 11.

Minut. Felix in Octauio. deificus (vt ait Tertullianus) Palam est quod scribit Minutius Felix, parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum, qui natiuitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipsi pro mundo, qui vniuersa quæcumque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Ille maximè est, quia maximè distat ab eo quod non est, nec incipit esse qui semper fuit, nec desinit, qui nunquam futurus est. Hic solus est qui cogitari non potest, non esse. Nam cùm sit id quo nihil maius concipi datum est, si putaretur posse non existere, fingeretur aliquid minus ea præstantissima omnium natura, de qua si maxima non cogitantur, sunt nulla.

Ille igitur cum sit exemplar hominum à se exeuntium, lux est euntium, & per tot cæca, tot lubrica vitæ mortalis ambulantium, omnium verò in se redeuntium beatitudo: exemplar, inquam, eorum qui de eius sinu in rerum naturam proficiscuntur. Quia cùm sit exemplaris mundus, rerum genitarum formas quasi æterna simulacra custodit: Lux est euntium, quia viatoribus lumen infundit, quo in comprehensores possessoresque æternitatis euadant: Beatitudo redeuntium quia ad se per se reuertentes numensa felicitate circumfluit & coronat.

Hæc igitur prima dignitas est Domus Dei, quod ipsum dominum habeat hospitatorem tot Angelorum, tot animorum de hoc mundo in Regiam patris enitentium. At verò nec magnopere istud referre dicet aliquis, quia Deus vbique est. Manet (inquit sanctus Gregorius) *intra omnia, extra omnia supra omnia, infra omnia. Superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interior penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, sed vnus idemque totus vbique, præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.* *Greg. in lib. 2. Iob. c. 7.*

Fateor equidem hæc verissimè & florentissimè dici, & Deum vbique esse per essentiam, præsentiam, & potentiam. Sed quid reprobos iuuat, si à Deo infelicissimum esse habeant, si ipse intimis eorum cogitationibus intersit, si vi quadam ineluctabili rebelles premat. Ibi solum plenissime & iucundissime est, vbi se spectandum beatissimis mentibus præbet, vbi satiat, vbi coronat. At istud in illa Empyrei sede solùm nobis continget suauissimo rerum omnium spectaculo potientibus. Neque enim si qui in terris mortalibus amicti membris dicuntur Deum vidisse, idcirco ad diuinæ conspectum essentiæ admissi sunt. Nam (vt ait Euaristus) antiquissimus Papa in epistola ad Episcopos Africanos. *Eam lucem inaccessibilem quam Pater & Filius inhabitant, nullus in mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri, sed cùm apparuit tunc eum videbit sicuti est, & non sicut Moses, cæterique Prophetæ, per ænigmata, & figuram, sed ipsam veraciter in Filio contuebitur deitatis imaginem.* O quantam esse oportet Domum illam quæ tantis gaudijs destinata tantæ gloriæ consecrata est.

CAPVT VII.

De Angelis primarijs ciuibus Domus Dei.

IN tota hac vniuersi structura creatio Dei potentiam loquitur, multitudo rerum creatarum bonitatem, distinctio sapientiam. Nihil in hoc orbis ambitu vacuum, nihil otiosum, omnia vndique plena & conferta, nec tamen confusa. Vt enim à caussa exemplari veritas, à finali bonitas, ita ab efficiente ordo, & pondus, mensura & modus. Et quidem in terra tot stirpium,

tot animantium species, in mari tam multiplices piscium formæ, in aëre tot auium figuræ, tot discrimina. Quid restat nisi vt in immensis cælorum spatijs infiniti quoque sint angelorum cœtus. Non est credibile tot planetas, tot stellas, quas terram superare tot partibus vidimus, in id solum conditas vt huic mundo luceant: quis enim angustæ domui multas & immanes ac prodigiosas faces accendat? Spheræ sunt & orbes, in quibus (vt plerique suspicantur) magni & nobis ignoti incolæ, illustres Angeli, solliciti rerū sub Deo administratores.

Nam si sparsos vbique in hoc etiam inferiori mundo spiritus Theologi agnoscunt, quanto magis eos in superiori sede, existere putabimus? Sunt sub æthere quos Synesius κυρίων ἀνόδων Κλῃδοφόρους, cum Platonicis vocat. Sunt in aëre qui à beato Paulo spiritalia nequitiæ in cælestibus dicuntur, sunt in terris ludibria dæmonum, lemures, & laruæ, sunt sub terris, qui etiam ὑποχθόνιοι nominantur. Non est existimandum omnes Angelos ac Dæmones esse natura pares. Quidā (inter malos) sunt ingenio minuti, iuxta aliquos & fortè quod magna pars antiquorum Patrum censuit, corporei, vecordes, maligni, & humanæ naturæ infesti: Ridiculum est exspectare vt omnes energumeni philosophentur, aut linguis loquantur, aut prophetent. Sæpè enim obsidentur à crassis dæmonibus quibus tota vis in nocendo est. Illi sunt de quibus sanctus Cyprianus dixit, *spiritus insinceri, & vagi, qui postquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauatis errorem prauitatis infundere.* Cypr. de idolorum vanitate.

Quantò isti abiecti, tantò sublimes & excelsi, qui superiora cæli & intaminatam Dei Domum incolunt. Sunt enim planè spiritus puri, illibati, intelligentes, benefici, immensæ maiestatis spectatores perpetui, fidi stipatores, & ministri in omnia obsequiosi.

De ijs ita Iunilius Africanus antiquus author: *cælum mox creatum suis incolis, hoc est beatissimis Angelorum agminibus repletum est, quos in principio cæli & terræ esse editos, ac mox conditionem suam simul & totius creaturæ primordialis ad laudem conditoris retulisse testatur ipse conditor, qui loquitur ad famulum suum Iob, & dicit, vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Iob. 38. 7. At verò sanctus Bernardus magnificè celestis illius Hierusalem incolas describit, his verbis: *ciues illic sunt potentes, gloriosi, beati, distincti in personas, dispositi in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfecti in genere suo, corpore ætherei, immortalitate perpetui, impassibiles, non creati, sed facti, id est gratia, non natura, mente puri, affectu benigni, religione pij, castimonia integri, vnanimitate indiuidui, pace securi, à Deo conditi, diuinis laudibus & obsequijs dediti.* Bern. de consideratione lib. 5. c. 4. Trium deinde Hierarchicarum & nouem ordinum proprietates & officia persequitur. Putemus (inquit) Angelos qui singulis hominibus dati creduntur. Putemus his præesse Archangelos, qui conscij mysteriorum diuinorum, nonnisi ob præcipuas & maximas caussas mittuntur. Putemus super istos esse virtutes, quarum nutu vel opere signa fiunt & prodigia. Putemus potestates, quarum vi potestas tenebrarum comprimitur. Putemus principatus quorum moderamine & sapientia omnis in terris principatus constituitur. Putemus dominationes, ad quas istorum munia tamquam ad dominos referuntur. Denique thronos, in quibus placidissima tranquillitate sedet Deus. Cherubim ex ore Altissimi haurientes & refundentes fluenta scientiæ. Seraphim igne diuino succensos & succendentes omnia. Quis cum istis ciuibus non optet viuere, con-

conuersari, colloquia miscere? Ecce tot mortales mēte perditi, & religione prostituti, tot laboribus, tot curis, tot diuitijs, & fuso plerumque humano sanguine, quærunt afflatus dæmonum, à quibus decepti decipiant, & ex sceleribus in funera rapiuntur. Quid censemus fore, cum licebit visere, tot cæli lumina, tot principes Domus Dei, à quibus in promptu erit discere stupenda, scire inuestigabilia, labore nullo, eruditione innocenti; & planè cælesti doctrina.

CAPVT VIII.

De animis hominum in athercam sedem receptis, ac primum de anima existentia post mortem.

EXISTERE post fatum corporis hominum animas omnium toto orbe gentium fides semper credidit, omnium sæculorum memoria celebrauit. Et istud quidem non minutis rationibus inductum amplectitur humanum genus, sed instinctu quodam altissimæ mentis, vt Deum, vt prouidentiam, vt cælestem iustitiam, quæ magis sunt de cælo tradita quàm scita. Contra vniuersi conscientiam non illustres Philosophi, sed Epicuræi, pauci & contempti reclamarunt. Eorum rationes Plinius obtendit, quas iuuat hîc proponere, & dissoluere, vt æquus lector expendat quam friuolis argutijs contra fundatissimam veritatem nitantur. *Plin. lib. 7. c. 55.*

Prima obiectio. Spirandi ratio homini à cæteris animalibus non distat.

Respondetur non probari animæ immortalitatem per spirationem aëris, quod est absurdum, sed per rationem, & intelligentiam, quam sibi homo cum Deo & Angelis communem vendicat, nulli præter illum, animanti concessam.

Secunda. Diuturniora multa in vita homine reperiuntur, quibus nemo similem diuinat immortalitatem.

Respondetur. Immortalitatem animæ non peti à viuacitate corporis, sic enim cornicibus & ceruis insulsè quis perpetuitatem augurraretur, sed ab incorruptibilitate spiritus nulla materiæ fece contaminati, nulla elementorum mixtura compositi.

Tertia. Quod autem corpus animæ? Quæ materia?

Respondetur. Non est corporea, neque materialis, nam si esset, incorruptibilis non esset. Nullum ibi corruptio locum, nullum mors telum habet, vbi nulla calidi, frigidi, sicci, humidi pugna, & nulla materiæ congeries. Cessat interitus, vbi nihil inuenit quod dissoluat.

Quarta. Vbi cogitatio illi? quomodo visus? auditus? aut quid agit? qui vsus eius?

Respondetur. Insipidum est cogitare nullam esse animam nisi per corporeos sensus videat, aut audiat, aut odoretur, aut gustet, alioqui credendum non esse in cæcis & surdis, in ijs qui adoratu aut gustu ciborum carent, animos ratione præditos quod cogitare insipientiæ est, asserere impudentiæ. Inde animam vigere maximè post mortem par est, quia illi cogitatio & actio, & visus quem hic quærimus. Nulla brutis post dissolutionem vita, quia & tum illis iners esset anima, tota semper circa functiones corporis occupata. At verò homini mens est Dei, & cælestium capax, quæ cùm clausa teneatur à corpore, multa tamen agit independenter à corpore, qualia sunt numerare, diuidere, distinguere, iudicare, velle, quæ teste Aristotele nullum habent organum corporeum. Et si inchoatur intelligentia per sensus, non tamen per sensus completur. Nam tum maximè sapit anima, cū à suis abstrahitur sensibus, *Arist. lib. 3. de anima.*

sibus, & quæ illi concipiunt quasi verissima, illa ex altiori quodam suggestu pronuncians falsa diiudicat. Tum maximus mentium vsus est, cùm solutæ corporis compagibus ad primam & altissimam caussam applicantur, eius contemplatione & amore saginatæ.

Quinta. Quæ deinde sedes, quantaue multitudo tot sæculis animarum velut vmbrarum?

Respondetur. Sedes piarum esse in cælo, impiarum in inferis, quod etiam Plato cæterique nobiliores Philosophi agnouerunt. Ridiculum verò quærere quomodo sufficiat locus à corporibus absolutis. quæ etsi tenui & aëreo corpore, quod plerique voluerunt, essent vestitæ, habet tamen mundus in superis inferisque capacissimas sedes, quæ innumerabiles capere & continere possint.

Sexta. Quæ malum! ista dementia iterari vitam morte?

Respondetur non iterari morte vita animæ cui nulla mors est. An non potius hoc dementiæ & stuporis est, non distinguere animam à corpore? Non intelligere mortem hoc diuini humanique mixtum secernere, corpus & elementis quippe compactum perimere, in animam incorpoream & celestem nihil iuris habere.

Septima. Quæ genitis quies vnquam si in sublimi sensus animæ manent?

Respondetur. Mirum est, tantum ingenium contradicendi malignitate in tantam stoliditatem deuenisse, vt non intelligeret maximam animæ quietem, & voluptatem in contemplatione veritatis existere, quod præclarissimè Aristoteles libro primo Moralium disseruit.

Quantis igitur gaudijs delibutam censemus mentem, quæ primæ veritati adhæserit, eius spectaculis recreata, eius enutrita delicijs? Certè si miser est & inquietus qui his bonis perfruitur, infelicem quoque æstimare oportebit Deum, qui semper agit, semper traditus cogitationibus suis, quibus per æternitatem acquiescit.

Octaua. Perdit profectò ista dulcedo credulitasque præcipuum naturæ bonum, mortem.

Respondetur, Ex eo apparet, in quanta deliria rapiuntur qui contra immortalitatem animæ insanire cœperunt. Mortem vocat præcipuum naturæ bonum, quam terribilium terribilissimum naturæ peritissimus Aristoteles nominauit. Certè omnibus hominibus maximè autem pijs & generosis inditum est acre & vehemens æternitatis suæ desiderium. Nemo planè deleri, nemo funditùs extingui, nisi sceleratissimus cupit. Alit nos & recreat spes immortalitatis nostræ, mortalitatis nomen hostile affligit, atque conturbat.

Nona. Duplicat obitus, si dolere etiam pòst, futuri æstimatione euenit.

Respondetur. Hoc verè impios angit, hoc exagitat & vrit, quòd viuere in pœnas timeant quas suis sceleribus deberi certissimè norunt. Ideo mallent extingui, quàm in supplicia reseruari. Sed quæso idcircóne mortalem animam esse oportebit, vt omnibus flagitijs maculosi mortales iustitiæ numinis eripiantur, vt bonis mixtim ac malis omnia sint æquali sorte confusa, & reus constituatur Deus, quò nefarij absoluantur.

Decima. Ante genitali specimen sumere oportet experimento.

Respondetur. Non sequi in nihilum reuerti quod nihil antea fuerit. Imò repugnat Philosophia, reclamat experientia, quæ nihil semel ortum penitùs interire contendit. Intereuntium corporum reliquias excipiunt elementa (vt in aliam naturam refundantur. Anima verò cùm nil habeat sui dissimile atque dispar, quod mors

mors dissoluat, tota sibi hæret, tota viuit, & in perpetuum seruatur.

Ex istis licet agnoscere quàm pusilli ingenio, quàm putidi sint, qui contra immortales animos disputant, Philosophiæ expertes imperiti naturæ, pietatis hostes perpetui: contra faciunt nobilissimi Philosophi Thales Milesius, Pherecides, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Plotinus, Iamblicus. Sic autem Peripateticus lib. 2. de anima. Ἐοίκε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεσθαι χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. *Videtur aliud animæ genus esse, & hoc solum contingit separari; sicut æternum à corruptibili.* Addit ibidem deforis venire, & hanc solem esse diuini.

Obsecro igitur an propter frigida insanientium acumina, & inanes sensus argutiolas, licebit stare contra Deum, contra conscientiam generis humani, contra sublimen purissimamque Philosophiam, contra optimos mores, castamque legum disciplinam? Quis diuina suadeat brutis hominibus à Deo, à mente destitutis? Volunt animam de corpore exeuntem videre, volunt post exitum tangere & palpare, nihil alioqui de eius immortalitate credituri. Insulsi per hæc appetunt sibi animæ vitam probari, per quæ oporteret destrui. Nam si inspicientium oculos si contrectantium manus admitteret, iam corporea, iam mortalis esset. Vnam per tot sæcula animam emortuam ostendere non potuerunt, qui sibi omnia ostendi, omnia sensibus obijci ad fidem faciendam volunt. Si corporea est, quin de corpore egressam aspici faciunt & tractari quemadmodum & corpus mortuum? Si ignis est vbi lucet? Si aër est, vbi flat? Si aqua, vbi funditur? Si terra, vbi sidit? Si ex istis omnibus coaluit, vbi partes? vbi reliquiæ? An si corpus est, sola non habebit conditionem corporis, & in nihilum ibit, quo nihil abit? Non videtur extra corpus (aiunt) ergo non est.

Atqui nec in ipso corpore videtur, ergo & ibi nulla est. Prodit se (inquiunt) motu, vitalitate, intellectu. Qui scis hæc ab anima esse an à sensibus? Si nulla mens vbi nulla intelligentiæ signa, actus nulli: Non erit in infantibus, non erit in dementibus anima rationalis, non erit in ijs qui muti & clausi intra se ratiocinantur. Si omnia sensibus dijudicanda, vbi cælum supremum aspicitur? vbi aër? vbi animales spiritus: vbi quæ à corporibus perpetuo funduntur species? An non inuerecundioris, tam pudendis rationibus ire contra Dei decretum, contra omnium hominum, omnium sæculorum sensum! Non est sanum, non est homini præsertim Christiano congruum, nimis anxiè & curiosè expiscari, quibus asseratur animæ immortalitas. Misera est fides quàm verba concinnant. Non placet Deo tantam & tam celestem sapientiam minutis argumentis astrui. Hanc suis testamentis credidit, credidit vniuersi sensibus. Ipse est via, veritas, & vita, qui lucis & tenebrarum loca inde migrantibus animis in libro Tobiæ distinxit. Ipse est qui dixit *nolite timere eos qui occidunt corpus, animas autem non possunt occidere.* In hoc sensu, in hac fide, omnes omnium regionum, populi ante Christum sunt Christiani. Ipsi qui per tot maria & terras sunt diffiti, tam diuersis legibus, moribus tam contrarijs, in hunc radium altissimæ lucis conuenere, manere post mortem animas rationem eorum quæ in corpore gesserunt summo iudici reddituras. Quis hoc nouos orbes docuit fidei & Philosophiæ tam diu clausos? Quis Sinas, quis Canadenses tanto mari remotos, tam ritibus auersos, in hac sententia copulauit. Nulla vnquam opinio omnes simul gentes inuasit. Veritas est, Dei vox est, quicquid cuncti vna mente, vno ore profitentur. Et quidē si rationibus quoq; agendum est, non sumus in hac parte destituti,

Tob. 4. v. 12. Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat & non patietur animam ire in tenebras.

Matth. 10. 28.

tuti, habemus enim illustres & solidas, quæ si non brutis hominibus, optimis tandem quibusque ingenijs satisfaciant.

Sed quia in aula sancta de hac materia pluribus & tamen breuiter scripsi, non placet hîc repetere, quin potiùs nouam argumentationem de natura animæ humanæ expressius vrgere. Sic igitur statuendum est nihil in natura corrumpi, nisi quod constet ex contrarijs, aut habeat contrarium. Hoc omnis Philosophia profitetur, hoc Epicuræi ipsi testatur, qui mortem nihil aliud esse dicunt, quàm congregatorum disgregationem. *Cætum dissipat ollis* (ait Lucretius) Hoc igitur sagaciter inquirendum occurrit, an mens hominis sit ex rebus multis & contrarijs inter se conflata, vt pote elementis, aut sale, Sulphure, & Mercurio, quemadmodum & corpora: an ab ijs sit libera & simplex? Nam si eamdem ex istis componi quis probet, non dubiũ quin corruptioni sit obnoxia; sin minùs, fateri oportet non extingui quæ nihil habet in se quod dissoluatur. Quæro igitur an mens illa, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua mirabiles scientias & artes excolimus, qua mundum censemus, respublicas ordinamus, in Deum & cælum imus, sit elementaris naturæ progenies, salis, & sulphuris, aut mercurij scitè inter se compacta congeries. An aliquid supra id quod in cæteris corporibus deprehenditur.

Lucret. lib. 1.

Si est ab elementis, quid potest aliud habere quam quod habent elementa, primas nempè qualitates calidi, frigidi, humidi, sicci, & quicquid ab ijs fluit. Et quid est ab istis nisi calor, & frigus, & humor, & siccitas, cæteraque huiusmodi? Num verò intelligentia, & ratio, & conscientia ab elementis est? Et vbi intelligit ignis, aut aër, aut aqua, aut terra, vt faciant intelligentes? An istud separata non possunt, possunt vnita? Quid igitur idipsum non faciunt, dum toties & tam variè in natura conueniunt? Si anima nihil est aliud quàm crasis, seu temperata mixtura primarum qualitatum, vt Galeno placuit, è friuolis certè caussis nascetur, tam alta, tam sublimis sapientia, quæ in plerisque hominibus lucet, & fortè ex putri materia à Sole temperatè cocta, aut in conflatorio examinata, prodibunt animi. Toties certè animæ morientur, quoties illa accuratissima crasis lædetur. Erunt omnes sani, magno & fœlici ingenio, quia conuenientissimum habent temperamentum. Contra verò infirmi, aut senes, stupidi, & mente vacui, quod experimentis tamen aduersari comperimus, toties experti, in crasi præpostera, in valetudine fracta extare grandia ingenia, acerrimaque iudicia.

At verò quomodo ex contrarijs conflari posset animus quem totum homogeneum, & mirifice simplicem agnoscimus? Nam totus, vt ait sanctus Augustinus, in suis motibus est. Quicquid pedetangitur, necessariò manus non contingit, quia nempe à corpore diuisibili & extento tactus prodit. Quicquid mente concipitur, tota attingitur mente, quia partem extra partem non habet, non habet aggregationem, quæ sola mortem aut corruptionem sentit. Inde (vt ait Proclus) sola mens hominum non brutorum in se reflectitur, se suaque discutiens, quod non faceret, nisi spiritalis atque incorruptibilis esset. Quod si non constat ex partibus, nec ex contrarijs certè constabit, & nihil habebit in natura contrarium. Vnde igitur corrumpetur? Vnde destruetur? *semper manet* (inquit ille magnus Cassiodorus) *quia in essentia sua non habet litem*. Si quid patitur (ait sanctus Doctor) *patitur intelligibiliter*, qui motus est potius perfectiuus quàm corruptiuus.

Aug. lib. de spiritu & anima.

Cassiodorus lib. de anima.

D. Tho. lib. 2. contra gentes c. 55.

At quæres si anima non est ex elementis, vnde est, & quid est? scimus à Deo esse, &

Animam

esse substantiale tamen etiam antiqui Philosophi dixere.

Alexander Ales q. 1. membro 1.

S. Ambrosius libro de bono mortis animæ, inde probat immortalitatem quòd sit lux, nec ideò tenebras possit recipere.

& quidem substantiam intellectualem, informatricem corporis; sed qualis demum substantia illa sit, non est tam facile in hac vita definire. Existimo cum S. Ambrosio nihil aliud esse præter lucem quamdam spiritualem, eamque substantiam, Nam Alexandex Ales Deum censet esse primam lucem, ideoque manifestum omnibus quia lux (vt ait) est sui manifestatiua: cumque animus ad imaginem & similitudinem Dei sit factus, meritò habetur secundaria lux, huic corpori immersa, ideoque obscurior. Inde nobis tantum cum Sole & sideribus commercium, inde (vt ait Lactantius) solus homo inter cæteras animantes ignis beneficio destinatius vtitur. Quod si ista lux quàm vsurpamus oculis, est omnium victrix domitrixque tenebrarum, & si quod plerisque melioris notæ physicis placet, id quod videmus in cælo, in astris, in aëre, in igne, non est ipsũ corpus lucis quod fingimus, sed æther, aut aër, à spiritu quodam luminoso accensus, qui defectis facibus aut extinctis non perit, sed in aërem spargitur, & ad cognatum ignem tendit, quanto magis putamus animum de plenitudine purioris & planè incorporeæ lucis haustum, omnem mortis caliginem indomito vigore superare, & in patrios conditoris summi reuolare sinus, nisi peccatorum pondere deprimatur.

Rerumque parentem

Pars sua conspicimus, genitique accedimus astris.

Manil. lib. 1.

Genes. 2. 7.

Inde est quod Deus animam non est molitus ex luto, sicut ipsius Adami corpus; sed inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: lucem quippe illam spiritalem toto æthere præstantiorem. O præclarissimam animorum nostrorum naturam! ô fortem diuinissimam! Miseri si nescimus, miseriores si negligimus, si contemnimus, omnium miserrimi.

Verùm si ad tam excellentis naturæ radios caligamus, respiciamus saltem quo pacto suos actus nostra mens explicat. Constantissimum est apud Philosophos hoc axioma, *operari sequitur esse.* Anima operatur extra corpus, igitur & extra corpus existit. Quis autem non videt operari extra corpus separatam, si & nunc operatur independenter à corpore? Non ignoramus quod dixi, inchoari intelligendi actus à sensibus sed negamus à sensibus compleri. Imò destruit altissima mens operationes sensuum, condemnat, abdicat, aliter de cælo, de sideribus, quam ipsi iudicat. Ipsa quasi nimis abiectos & infantiles, deserit, in se attollitur, in sua sese sacraria recipit. Ibi cessante terrenorum sensuum tumultu cum intelligentijs loquitur, cum Deo Philosophatur. Ibi numerat infinita, tranat immensa, confusa separat, ordinat indigesta aperit omni mortalitati clausa. Qua vi stellas percensuit, cælos dimensa est, Triadem distinxit, superos inferosque iudicauit? An eâ quam à sensibus accepit? Quoties iacent inertes & marcidi, dum altissimo volatu supra Solis vias eluctatur? Ecquis hæc corpori tribuat? Ecquis existimet nos vnquam mortale ab immortali potuisse discernere, nisi immortalitatis essemus candidati? Quando hæc belluis cura insedit, quando cæli, quando Dei notitia? Num si per immensa sæcula viuerent vsquam de superis, inferis, de altera vita cogitarent? Et vnde illis tam iners anima, nisi quia in corpore nunquã agũt extra corpus, totæ luteis sensibus immersæ? At nos manifesto abistis diuortio diuidimus, definimus, distinguimus, cõtra ipsos quotidie pronunciamus. Quis extaticos nõ miretur, si Galenus ipse sacrã Ectasim reuerenter appellauit, si Philo Iudęus multa se ab anima sua in Deũ rapta didicisse glorietur libro de Cherubim Ἤκουσα παρὰ ψυχῆς ἐμῆς εἰωθυίας τὰ πολλὰ θεοληπτεῖσθαι. quãtũ hic est ab infe-

Arist. lib. 3. de anima, τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός. ibid. τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον.

riore natura diſſidium, dum tota mens in intima ſui penetralia penuadit, rigenti ac marmoreo, & ſine vllo ſenſu corpore? Vellicatur, pulſatur, vritur, non ſentit. Totus operi ſuo animus incubat. Vidimus madentes lachrimis oculos, audiuimus mirabiles cum Deo voces, in illo quieſcentis naturę iuſtitio. Sed ne videamur vrgere inſolita, & miraculis ſimillima. Quantam cum corpore voluntas hoſtilitatem exercet, dum id patitur vri, ſecari, laniari, ne peccet in Deum, ne loquatur infanda, ne faciat illicita. Non eſt iam illud extra corpus, ſed plane aduerſus corpus operari, quod nunquam eueniret, niſi alterius generis, alterius prorſus naturæ cenſeretur anima. Nemo igitur obijciat non ſolere formas ſubſiſtere niſi in eo cuius ſint formæ. Verum iſtud quidem in inferiori formarum gente, quæ totæ ſe ad materiam alligant, totæ ſe ſuæ materiæ immergunt. At alia prorſus forma eſt, domina triumphatrixque corporis, non tantum habet vt informet, ſed vt regat, vt corrigat, vt ad ipſam æternitatem dirigat. Nemo dicat animæ vim finitam non poſſe infinito tempore à parte ſaltem poſteriori permanere. Habet iſtud quidem locum, vbi ſubiecti vires, cum aliquo pondere luctantur, cùm atteruntur contrarijs, cùm fatigantur. At animæ vbi cœperit, ſemper eſſe natura eſt, quia nihil habet contrarium, duo per æternitatem erunt duo, non infinita virtute; ſed binarij numeri conditione, ſic anima victrix ſeculorum viuet non immenſa quidem poteſtate, ſed ſuæ naturæ lege. O præſtantiam mentis; ô maximam conditoris maieſtatem! ô mortibus æternis dignos qui ſuam immortalitatem non agnoſcunt!

CAPVT IX.

De ſtatu animæ poſt mortem.

STATVM animæ extra corpus quiſque poſuit, pro eius natura quam ſibi finxit in corpore. Mirum autem quantæ ambages hanc penitus inquirentibus. Pythagoræ viſa eſt harmonia. Thaleti, motrix ſubſtantia. Bianti, intelligentia incarcerata. Democrito, ſpiritus inſertus Atomis. Hipparcho, ignis. Anaxagoræ, ſpiritus tenuis per omnia conſertus. Zenoni, concretus corpori ſpiritus. Anaximeni, aër: Empedocli, mixtum ex omnibus. Critolao, quinta eſſentia. Critiæ, ſanguis. Meliſſæ, motus æternus. Platoni, eſſentia ſe mouens. Poſſidio, idea. Ariſtoteli, actus corporis organici. Senecæ, intellectus ad beatitudinem ordinatus. Hypocrati, ἀκμὴ ſeu vigor. Galeno, complexio. Secundo, Deus incarnatus. Auē pace, virtus imaginatiua. Auerroi forma aſſiſtens. Heraclito Pontico, lux. Heraclito phyſico, ſcintilla ſtellaris eſſentiæ: Socrati inextinguibilis Dei ſcintilla. Caſſiodoro, ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata, regēdo corpori accōmodata, & hoc rectè. *Lacerda in Tertul. ex Iac. Bruto.*

Quidam hîc vt apparet, obſcurè per epitheta & antonomaſias definiunt. Quidam ſubſtantiam ei corpoream tribuunt, quidam à corpore abſolutam. In tres tandem partes omnes abeunt opiniones. Alij enim animam dum nimis extollunt, deſtituunt, pro Deo habentes naturam à Deo creatam. In ea opinione fuere Alexander Aphrodiſæus, Simplicius, Themiſtius, qui Ariſtotelis libros de anima commentarijs illuſtrarunt, plurimum à magiſtro diſcrepantes. Nam quem ille intellectum agentem, immortalem, immixtum, ſegregabilem extrinſecus aduenientem appellat, Deum ipſum eſſe conteſtantur. Vndè vnam omnium hominum mentem ſcripſit The-

mi-

mistius, quam postea sententiam Auerroes auidè arripuit. Nam vt cælorum octo sphæris intelligentias totidem creditas esse censuit, ita & huic mundo vnam ascripsit, quæ se omnium mortalium mentibus insinuaret, non quidem per substantiam, quod plerique volunt, sed per speciem intelligibilem, vt notat Diuus Thomas libro secundo contra gentes.

Hæc sententia explosa, quòd animam intellectualem ipsam sibi eripit, nec sui esse patitur, Deo detrahens suum, dum illi asserit alienum. Adde quod est impia, nullum animis statum post obitum corporis tribuens, si nihil sunt sui.

D. Tho. 3. contra gentes cap. 73.

Alij corpoream animam esse, manere tamen immortalem contendunt, in qua hæresi pugnacissimus est Tertullianus, libro de anima, timens ne si plane spiritalis asseratur, ab omni custodia libera sit, & pœnarum immunis.

Alij vt Philoponus Aristotelis interpres laboriosus, mediam iniere viam, & animæ incorpoream naturam vindicantes, illi tamen subtilissimum corpus quo veluti veste amicta esset, non denegauere. Et hunc quidem sensum fuisse Platonicorum aliquot illustrium apertissimè testatur Celius Rhodiginus, vbi tria constituunt animæ vehicula, seu potius corpora, quibus se exprimat, & prodat ipsa alioqui in aspectabilis. Primum est ex elementis compositum, istud nempè quod gerimus corpus, crassum & ruiturum: Alterum aëreum, ipsum quoque dissolubile. Tertium æthereum puta ex illa fluida ætheris substantia; & ex hoc quidem sicut ipsum ætherem incorruptibile duxere, nec propter eximiam subtilitatem mortalibus oculis videri. Remanere igitur animas huiusmodi corpusculo quod germanum est ipsarum simulachrum perenniter indutas, & in corpore & extra corpus. Et hoc quidem etiam in altera vita sensum rerum exteriorum habere. Hoc sensu dixit Mercurius Trismegistus spiritum esse vestem Animæ. Coninc. de Purgatorio. p. 516. ait opinionem esse quorundam Theologorum, animas in purgatorio experiri sensum ignis, in corpore æthereo, seu aëreo. Synesius libro de insomnijs vocat πνεῦμα ψυχικὸν, in quo ait pœnas animam persoluere. Fortè eadem mens, sed magis implicita Tertulliano fuit. Totus est enim in asserendo sensu animæ post mortem, quem non putat posse defendi, nisi quid circa animam corporeum constituatur, quo sentire læta possit ab externis, aut tristia. Sic enim ille. *Quid est autem illud quod ad inferna transfertur post diuortium corporis, quod detinetur illic, quod in diem iudicij reseruatur, ad quid & Christus moriendo descendit, puto ad animas Patriarcharum, sed quamobrem, si nihil anima detinet sub terris? Nihil enim si non corpus: incorporalitas ab omni genere custodia libera est, immunis à pœna & fouella, per quod enim punitur aut fouetur, hoc erit corpus.* Et quidem Philoponus spiritalem animæ substantiam planè agnoscens, ait tamen eam per innatum sibi hoc corpusculum pati.

Cel. Rhod. lib. 17. antiq. lect. c. 17.

Tertull. lib. de immort. anima.

Certè hæc opinio peruagatissima fuit, sed à paucis commodè explicata. Delibarunt inde quidpiam à Philosophis Poëtæ, dum vmbram & imaginem toties animam vocant, & tamen ab vmbra & imagine distinguunt. In hac effigie corporis conspectas circa sepulchra nonnunquam animas antiquitas credidit, & visam quidem à Christiana virgine memorat Tertullianus in eodem libro. *Est hodie* (inquit) *soror apud nos reuelationũ charismata sortita, quas in Ecclesia inter dominica solemnia per extasin in spiritu patitur. Conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum domino. Et videt, & audit sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus sumit. Cum ea soror in spiritu esset post transacta solemnia, dimissa plebe. Inter cætera*

(inquit) *ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacua qualitatis, imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aërei coloris, & forma per omnia humana.*

Hæc sententia quæ inter Platonicorum censetur amœnitates, blandiri magis potest sensibus quàm aptè rationibus probari. Sanctus Augustinus sciscitanti de hac re Euodio, ait hanc quæstionem esse obscurissimam curamque negotiosissimam postulare; se autem non arbitrari animam de corpore exire, cum corpore. Hæc ille epistola centesima quam fatetur se occupatum & festinantem scribere. Maximè autem hoc propter eos dicit, qui visa somniorum putabant esse corpora, vt fusiùs disputat de Genesi ad literam libro duodecimo, ad quem ex hac epistola remittit suum lectorem. Sic autem habet capite trigesimo secundo, *Si autem quæritur cum anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia*, an verò nec ad ipsa, *sed ad illud quod & corporibus & similitudinibus corporum est excellentius: Cito quidem responderim ad corporalia loca eam vel non ferri, nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus cùm de hoc corpore exierit, ostendat qui potest. Ego autem non puto, spiritalem enim arbitror esse non corporalem.* Vbi ergo spiritalis animæ natura seruatur, nihil hîc contra sanctum Augustinum, nihil contra fidem catholicam militat. Tota contentio de corpore est, quod vnicum agnoscimus, illi triplex machinantur, animam multiplicibus quasi velis induentes, carnalibus, aëreis, æthereis; habent tamen spiritus animales aliquid huiusmodi corpusculis simile, quippe inter carnem & animam medij. Qui igitur mentem hoc structili corpore præsertim æthereo cinctam statuunt cum eodem de hac vita exire in alias sedes volunt. Commune fermè est omnibus antiquitatis Philosophis, qui magis pios sensus habuere bonorum animos ætheri deputare, postquam se expiatorio igne detersenint. Hoc Quintilianus in controuersia de sepulchro excantato, de Platonis & veterum sententia pronunciat. *Animam inde venire vnde rerum omnium authorem & parentem spiritum ducimus: Nec interire, nec solui, nec vllo mortalitatis affici fato, sed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus leui se igne lustrauerit, petere sedem inter astra.*

Animas autem impiorum & consceleratorum hominum in barathrum detrudunt. Medias vagari circum sepulchra & consueta vitæ loca errantes. Quasdam etiam sordidiores varijs sub terra aut supra pœnis expiari. Hoc Plato describit in Phœdone. Nunc autem (inquit) cùm anima sit immortalis, nulla superest malorum declinatio, salus nulla, nisi vt optima & prudentissima fiat. Nihil enim aliud cùm migrat ad manes anima secum transfert, præter eruditionem, atque educationem. Quæ quidem statim in exitu plurimum prodesse aut obesse dicuntur: ferunt enim quemlibet hinc emigrantem, ab eo Genio quem viuens sortitus fuerat, in locum quemdam duci, vbi oporteat omnes vnà collectos iudicari. Animus ergo moderatus & prudens ducem sponte sequitur, neque ignorat præsentia. Sed qui cupiditate corporis est infectus, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur, & circa locum visibilem, multis reluctatus modis, multaque perpessus, vix tandem ab eo abducitur à dæmone, cui eius cura erat commissa. Cùm verò ad ea loca vbi alij quoque animi sunt, peruenerit, quisquis admodum immundus est, cædibus aut alijs huiusmodi criminibus contaminatus, hunc omnes fugiunt atque declinant, nec reperitur vllus qui vel socius, vel dux eius fieri velit, Itaque om-

Plato in Phædone.

omni auxilio destitutus eò vsque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Quibus tandem impletis in habitationem sibi conuenientem, ab ipsa necessitate transfertur. Qui verò puram moderatamque transegerit vitam, Deos socios, ducesque nactus, ibi habitat vbi vnicuique competit. Ex eo liquet quanta vel ipsius naturæ lumine insideat de futura vita persuasio, cum quadringentis fermè ante Christum annis, penè Christiane ipsi etiam Philosophi fuerint locuti. Nam nos similiter piorum animas qui ex hac vita probè expiati discedunt Cælo & Angelorum cætibus adscribimus. In mortali verò flagitio deprehensos inferis deputamus. Medios purgatorijs pœnis ad purum excoqui credimus, de quo quidem argumento sat multa alibi dixi, nunc autem destinatum nobis scopum vrgemus.

CAPVT X.

De intelligentia animæ separata.

Vita duabus maximè proditur rebus; intelligentia ac motu. Hæc animam disiunctam à corpore, comitari par est, quæ profectò nulla esset, nisi cogitatio illi & iugis motus. At vnde sit, impedita quæstio est, nec Aristoteli satis nota, qui animos è corpore digressos, nec amare voluit, nec reminisci. Nil mirum si immortalitatem animæ amplectenti conscientia potius generis humani, quàm fiducia notæ aut probatæ veritatis, tam multa hîc dubia occurrunt, sola præsertim natura duce immanes labyrinthos ingresso. Omnem intelligentiã contendit esse à phantasmate, quod sensibus ab obiectis elicitur. His ergo restinctis totam humanarum rerum aboleri recordationem censet. Aliter Plato libro de republica iudicat, inesse mortuis non modò intelligentiam, sed sensum eorum quæ hîc geruntur. Idem Auicenna profitetur in metaphysicis, animis inde digressis non statim exolescere habitus, quos in corpore conceperant, sed ad præterita, mente ac cogitatione reuolui. Plotinus verò de immortalitate animæ piorum animos aliquot apprime rerum reminisci, tanto tamen impetu in diuina rapi, vt minuta curarum vitæ funditùs deperdant. Hæc illustrium Philosophorum opinio fuit naturali lumine expressa; nos autem per fidem eruditi nihil hæsitamus, asserentes animam corpore exsolutam, & intelligere, & recordari, & in perpetuo cogitationum motu esse. Nam & Diues helluo etiam apud inferos memoriam quinque fratrum retinet, cupitque eorum saluti prouideri. Quomodo autem intelligant animæ, non est difficile Platoni explicare, qui satus omnium scientiarum diuinos habuisse putat antequam in corpus infunderentur; eosque materiæ concretione hebetatos, iterum in digressũ excitari; ac reuiuiscere. Liceat istud Platonicis, qui corpus animi cœnam & pestem vocant. *Nobis non licet esse tam disertis*, qui coniunctionem animę cum corpore naturalem beatisq; etiam optandã profitemur.

At verò qui per mortem interire tantum sentiunt crassa corporis velamenta, & brutæ instrumenta vitæ, remanere verò illam corporis partem æthercam, quæ ad motum & intelligentiam animæ perquam idonea est, omnia in procliui ponunt, si modò probent quod assumitur. Nam certè mirè sibi in hac veluti nebula linea indulget Tertullianus, & quæ de exsolutis animis in Euangelio discuntur, abundè explicat.

Alijs tritam & communem viam ineuntibus necesse est asserere, animam separatam intelligere partim per species sibi antea

S. Th. in quæst. disputatis q. de anima art. 15.

tea inditas, partim per illas quæ de nouo à Deo aut intelligentijs infunduntur. Primum experientia quotidie manifestum est, immortales animos etiam ab obiectis longè dissitis, etiam mortuis funditusque deletis sensibus, ea quæ ante cognouerint, conspicere, reuoluere, regustare. Nam & cœci clarissime vident interiùs, quod aliàs oculis vsurparunt, & surdis manet eorum notitia quæ per aures ab ijs sunt hausta. Intellectus enim acceptas semel à sensu species elimat, excoquit, sibi aptat, & victuras memoriæ commendat. Habemus & in somnijs grande argumentum, dum sopito & inerti corpore mens veluti comitia cum suis cogitationibus habet. Ibi (inquit Tertullianus) *Tota negotiosa est, & exercita semper perpetuitate notationis, quod diuinitatis & immortalitatis est ratio. Igitur cùm quies corporibus euenit, quorum solatium proprium est, vacans illa à solatio alieno, non quiescit, & si caret operâ membrorum corporalium, suis vtitur: Concipe gladiatorem sine armis, vel aurigam sine curriculis, gesticulantes, omnem habitum artis suæ atque conatum, pugnatur, certatur; sed vacua iactatio est, nihilominus fieri videntur, quæ fieri tamen non videntur, actu enim fiunt, effectu verò non fiunt.*

Tertull. libro de anima.

Quid quod per hæc quoque mens nostra, nonnunquam diuinis rebus interest, audit & accipit oracula. Nemo enim (vt ait ille tam extraneus humanitatis) vt non aliquam aliquando visionem fidelem senserit. Hæc ratio Gennadium medicum Carthaginensem de immortalitate animæ dubitantem impulit vt crederet. Apparuit illi, quippe vt narrat sanctus Augustinus, conspicuus iuuenis, quem sequi iussus in pulcherrimam ciuitatem venit, audiuitque cantus vltrà solitam notamq; suauitatem, tunc ille intento quidnam esset, ait hymnos esse beatorum. Euigilauit, somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitauit. Alia verò nocte ecce idem ipse iuuenis eidem rursus apparuit, atque ab illo vtrum cognosceretur interrogauit. Respondit iste, quod eum benè planeq; cognosceret. Tunc ille quæsiuit vbi se nosset. Nec memoriæ defuit, quod iste responderet, totumque visum, hymnosque sanctorum ad quos audiendos eo duce venerat, qua recentissimos recordabatur facilitate narrauit. Hîc ille percontatus est, vtrum nam quod narrauerat insomnis vidisset an vigilans. Respondit insomnis. At ille bene (inquit) recolis, verum est, in somnis illa vidisti, sed etiam nunc in somnis scias te videre. Tunc qui hominem docebat, adiecit & ait: vbi est modo corpus tuum? Respondit in cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse, & clausos, & otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit, scio. Tunc ille. Qui sunt ergo (inquit) illi oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inueniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti ille quod his interrogationibus docere moliebatur aperuit, & continuò sicut, inquit, illi oculi carnis tuæ in dormiente nunc vacant, & tamen sunt isti quibus me intueris; ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit qua viuas, sensusque quo sentias. Caue iam deinceps ne dubites manere vitam post mortem. Ex ijs igitur liquet, in animis mortuorum conseruari species, quibus anteactæ vitæ, eorumque cum quibus vixêre, meminerunt. Nec frustra dixit Apostolus. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Maximus quoque Tyrius sermone vigesimo septimo scribit studia eadem animis remanere, quæ prius agitarunt in vita. Addit Nouellla Valentiniani & Theodosij de sepulchris: *Licet occasus necessitatem mens diuina non sentiat, amant tamen animæ sedem corporum relictorum, &*

S. Aug. Epist. 100. ad Euod.

2. Petri. 1. 15.

& nescio qua forte rationis occultæ, sepulchri honore lætantur. Crediderim ego magis viris eruditis remanere in intellectu habitus scientiarum, quas hîc sibi comparauere & optimos laborum fructus solatio apud manes esse, quod & sanctus Doctor agnoscit. Vtrum verò solutæ etiam animæ misceantur nostris rebus, appareantque viuentibus, quæstio operosa est, & iam satis trita. Affirmatiuam omninò pernegare, impudentiæ condemnat Augustinus, libro de cura pro mortuis agenda: ad omnia autem visa etiam quæ obijciuntur insomnis, ipsas esse arbitrari defunctorum animas quæ ad nos redeant, nimiæ credulitatis esse iudicat. Nec mortuos nosse putat quid hîc agamus, nisi ab Angelis aut digredientibus illinc animis accipiant. At Gregorius magnus nec ista beatis ciuibus putat occulta. *Quintus claritatem omnipotentis Dei* (inquit) *vident, nullo modo credendum est quod sit foris aliquid quod ignorent.* Certum est igitur quod præter eas species quas secum mentes deferunt, aliæ infundantur longè illustriores, quibus & intima animæ suæ substantiam noscunt, & cæteras quoque defunctorum animas discernunt, cum diues etiam in tormentis inferorum Lazarum agnouerit. Præterea Angelos etsi fortè imperfectius, sublimioris quippe naturæ conspiciunt, & rerum omnium communem quamdam atque confusam notitiam, vt disputat sanctus Doctor obtinent, etiam nondum præcellenti lumine gloriæ collustratæ.

S. Th. 1. p. q. 89. art. 5.

Greg lib. 12. Moral. cap. 13.

* * *

CAPVT XI.

De fælicitate animæ separatæ, ac primum de habitatione cælesti.

HACTENVS animas post fatum corporis existere intelligentiæ & beatitudinis capaces ostendi, nunc ipsa earum fælicitates videtur penitus inspicienda. Magna imprimis res est in cælum ire, in cælo degere, censeri æternum ciuem beatissimi illius domicilij, quod rerum omnium parēs peculiari ritu habitationi suæ consecrauit, quod Angeli incolunt, quod throni & dominationes tenent, in quod omnium vota suspirāt. Quis hoc suspicari, quis sola cogitatione delibare sine Deo potuit?

Certè impeditissima apud veteres Theologos de loco piorum præsertim animorum quæstio fuit. Nulla in toto veteri testamento de mentibus hominum cæli incolis mentio, nulla cogitatio, nondum celestibus templis per Christum reseratis. Quin imò de inferis subterraneisque receptaculis frequens sermo morituris. *Descendam ad filium meum* (inquit) *Iacob lugens in infernum.* Gen. 37. 35.
Si sustinuero, infernus domus mea est: ait Iob, & Iob. 17. 13.
Dauid *Vita mea inferno appropinquauit.* Et Ec- Psalm. 87. 4.
clesiasticus *Vita mea erat appropinquans inferno* Eccles. 51.
deorsum. nemo ex tot Patriarchis sed supe- 9.
ros ire moriens contestatur, nemo cælum suspicit. Inde antiquis aliquot Patribus Ecclesiæ creditum, animas fato quodam & dispositione diuina ad infernas sedes ire membrorum compage exsolutas, *humana lex necessitatis est* (scribit sanctus Hilarius) *vt sepultis corporibus animæ ad inferos descendant,* quam (inquit) *legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.* Hic Iudæus erat sensus, siue affectare animas suorum sedes corporum existimarent, siue terrestrem quemdam ibi paradisum terræ bonis affixi au-

Hilarius in psal. 138.

augurarentur. Hinc in ipsas gentes latissimè manauit de Elysijs campis opinio. Nam cum animas immortales sibi persuasissent, & audiuissent fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rursus alia litora, alium nasci orbem, nec vsquam naturam rerum desinere, facilè crediderunt esse beatorum quas vocabant insulas, & de hoc mundo decedentes alteri succedere. Primi omnium philosophi viri certè ingentes, repudiatis Poëtarum fabulis, & vulgi fide, piorum animas in cælum recipi clarissimis monumentis testatum reliquere. Hoc Trimegistus in Pimandro, hoc Plato in Phædone, hoc Plotinus Enneadis libro sexto luculentissimè scribunt. Sic apud Senecam Arellius fuscus loquitur. *Animus diuina origine haustus, cui nec senectus vlla, nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas, & cognata sidera recurrit.* Sic ex Stoicorum opinione Cicero Tusculana prima. *Necesse est animus quo nihil velocius, ita feratur, vt penetret & diuidat omne cælum hoc, in quo nubes, imbresue, ventique coguntur. Quam regionem cum superauit, naturam sui similem contigit & agnouit, ea demum naturalis est illi sedes, in qua nulla re egens aletur, & sustentabitur, ijsdem rebus quibus astra sustentantur & aluntur.* Sed omnium magnificentissimè Seneca in præfatione libri primi naturalium quæstionum: *Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur. At ita si minimum secum è corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisq; ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac velut vinculis liberatus in originem redit. Ex hoc habet argumentum diuinitatis suæ quod illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed suis.* Idem sanctus Thomas Ægyptiorum philosophis tribuit, quos ait sentire animas à stella compare descendere, & in eam per cultum pietatis & iustitiæ regredi. Sed nimis crasse dixere affectum terrenum ad intellectuales animas peruenire, haustu stellarum in quibus diuersantur, nutrimento, ex subtili substantia ignis, & aëris, quod nectar Deorum appellant. Hæc illi. Nunquam tamen plenius ora philosophorum pro celesti vita quam post Christum sunt reserata. Hanc verbo incarnato gratiam debemus scientiarum domino, & seculorum reparatori. Hîc regnum cælorum non tantum primus prædicauit, sed ostendit, in monte sancto transfiguratus, & mirabili luce circumfusus. Non tantum à suis annunciari voluit, sed iter rectissimè demonstrari, quo in beatissimam illam quę cum superis traducitur, vitam perueniretur. Itaq; non iam hæsitanter & timidè, sed plenissimo Paulus exclamat ore. *Scimus enim, quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus non manufactam, æternam in cælis. Et in hoc ingemiscimus habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes.* Mirari tamen quis poterit, cur ex antiquis patribus multi scripserint piorum animas, etiam legitimè expiatas ad cælestem aulam Deique conspectum, antè decretorium iudicij die non admitti. Sic enim S. Augustinus in psalmum trigesimum sextum. *Post vitam* (inquit) *istam nondum eris, vbi erunt sancti quibus dicetur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, nondũ ibi eris quis nescit? Sed iam poteris ibi esse, vbi illum quondam vlcerosum pauperem diues superbus in medijs tormentis vidit longè requiescentem, in illa requie certè securus exspectabis iudicij diem.* Sic antè Augustinum definierat Irenæus. *Manifestum est,* ait, *quia discipulorum propter quos & hæc operatus est dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur:* Et Ambrosius libro secundo de Cain, *soluitur à corpore anima, & post finem vitæ huius adhuc ambiguo suspenditur iudicio.* Et Bernardus, *in illam beatissimam Dei Domum anima non sine nobis intrabunt,*

Seneca à fer.

Opusc. de fato a 5.

2. Cor. 5. 1.

Iren. lib 5. Ambr. de Cain. lib. 2. cap. 3.

Bern serm 3. de sanctis.

bunt, nec sine corporibus suis. Ad hæc responderi facilè potest, non esse mirandum, si antè definitionem conciliorum de locis & statu animarum Patres quædam ambiguè dixerint, vt potè in quæstionibus obscurissimis occupati. Duo tantum hîc ostendere voluerunt. Primùm ad arguendam nimiam eorum fiduciam qui cum innocenter quidem & molliter vixissent, statim sibi in interiora cæli aditum, plenissimamque Dei visionem pollicebantur, animas quidem istinc post communem vitam nec adeò excellentibus meritis exaggeratam abscedentes, non statim Deum videre, sed alias purgatorijs pœnis deputari, alias in refrigerio quidem esse & veluti pacis somno, cum multorum iustorum cœtu, non tamen in æthereos illos consessus Angelorum antè resurrectionis tempus introduci. Hoc enim tantum deberi Martyribus, aut fortissimis Confessoribus, qui innumeris laboribus exantlatis pro Domini caussa moriuntur. Apertissimè hoc Tertullianus scribit libro de anima, quem posteriorum patrum multi in hoc argumento sequuti sunt, cùm neminem haberent aut acriorem iudicio, aut eloquio sublimiorem. Sic autem illic. *Nullus romphæa paradisi ianitrix cedit, nisi qui in Christo discesserint. Non in Adam. Nam mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo, alio & priuato excipitur hospitio. Si pro Deo occumbas, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in martyrijs: si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum* (vt ipse præcepit) *tota paradisi clauis, tuus sanguis est.* At dices videri quoque martyres, & ipsos quidem Apostolos, aliquot Patrum testimonijs in diem iudicij differri ad beatitudinem percipiendam. Sed hoc intelligitur de plenissimo fructu gloriæ, & cumulatissima felicitate quæ tantū in triumphantis Christi post supremum iudicium magnitudine, & corporum resurrectione iustis perfectè cōstabit. Nam ex alijs testimonijs liquet sanctos esse in gloria. Istud vox Christi declarat. *Hodie mecum eris in paradiso*, quod de hortis voluptuarijs quos sibi fingit Euthimius, intelligi non potest, animæ quippe exsolutæ haud quaquam accommodatis. Istud Paulus insinuat dicens, *cupio dissolui & esse cum Christo.* Sanctus quoque Basilius quadraginta martyres alloquens ait, vos non terra occuluit, sed cælum suscepit, apertæ sunt vobis paradisi portæ. Similiter loquitur sanctus Hieronymus in obitu Leæ, *Nunc pro breui labore eterna beatitudine fruitur, & excipitur Angelorum choris, Christum sequitur, & dicit quæcumque audiuimus vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Similiter quoq; sanctus Augustinus. *Animæ victrices gloriosorum martyrum, postquam mortalia membra posuerunt, cum Christo vtiq; regnauerunt, & regnant.* Denique istud ipsum in Concilio Florentino & Tridentino manifestè decretum est, vt nullus iam relinquatur ambigendi locus. Hæc igitur prima fœlicis animæ prærogatiua, quod in cælestes domos migrat, celestibus ciuibus sociatur, & in sacrum atque æternum patrimonium admititur. *Iam non sumus hospites & aduenæ*, vt ait Apostolus, *sed ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, in ipso angulari lapide Christo Iesu.* Non vocamur ad pomaria, ad lætas arbores, ad vernantes rosas, ad inania camporum Elysiorum somnia. Cælum ipsum quod intuemur tanto sole collustratum, tot illuminatum sideribus, patria nostra, Domus nostra est. Quoties astrorum istinc choræas & numeros stupentes miramur? Quoties ad noua cæli prodigia rapimur? et tantarum caussas rerū ignoramus. At quæ voluptas in excelsam Dei penetrare domum, sub pedibus intueri, quæ fessis oculis sequimur, intelligere tam sublimiū corporū incessus, & modos, scire vnde occulta ex parte terris influant, quomodo moueantur, à quibus incolis fre-

Luc. 23. 43.

Philip. 1. 23.

Basil. hom. in 40. Mart.

S. Aug. lib. 2 de ciuit. Dei c. 13.

Ephes. 2. 19.

quententur. Hæc hæreditas sanctorum, hæc domini indulgentia est toto pectore amanda, & continuis laudibus celebranda.

Caput XII.

De vita animarum Cælestium.

Nihil dulcius vita: pro hac omnium animantium impetus & occupatio est. Quæ homines arant, nauigant, ædificant, student, militant, huic omnia parent. Prima autem omnium in Deo est in quo viuunt omnia. Quod factum est (ait diuinissimus Ioannes) in ipso vita erat. Nec immeritò vidit fluuium vitæ procedentem de sede Dei & agni. Is est enim à quo rerum vniuersitas, irrigatur, & inde cuique pro sua conditione vita contingit. Inde irrigantur plantæ & vegetant, irrigantur animalia & sentiunt, irrigantur homines, & sapiunt, irrigantur Angeli & perfectissimè intelligunt. Minimum vitæ habent arbores, herbæ & flores, qui in diem viuunt; ridet tamen in istis amœnissimè fulgor ille diuinus. In eminentiori gradu sunt animantes quibus sensus obtigit & motus, & supra omnes homo ratione atque intelligentia propior Angelis.

S. Hil. lib. 2. de Trinit. in ratione facti eius semper viuit & vixit. Apoc. 21.

Omnis tamen (vt verum fatear) hîc in orbe sublunari vita aut fragilis aut misera est. Plantas aspice sub dio quibus omnes cæli minæ incumbunt, in tantilla vitæ particula non sunt à malis immunes, toties iactantur, toties tanguntur, quotannis moriuntur, & cum emarcuerint, apparent fœda pristinæ pulchritudinis simulachra. Aspice animalia tot duris rebus exercita, miseriora deprehendes quæ ad miserrimos mortales magis accedunt, vel contrita laboribus, vel alendæ saginæ destinata. Aspice hominem quid eo infirmius, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa ludit, tempus deserit, mutat ætas, habetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit. In vnum corpus sæuiunt tot agmina morborum: iacent plerique totâ fermè vitâ concussi, & lacerati, crederes nullos esse inferos præter hæc corpora, tot vsta doloribus, nisi aliud doceret fides. Viuunt in pœnas, in miseriarum exempla moriuntur. Et si valetudo constet, quando cesset homo homini? Hic seruitutem facit, hic in orbe etiam ditissimo paupertatem, hic exilia indicit, catenas inijcit, spargit venena, distringit gladios, omnia carnificis ingenia commentus. Quoties patiuntur innocentes, quæ scelerati meruere, tam confusa sorte, tot rerum ludibrijs, accisis opibus, fama prostrata, vita per carnificem erepta? Trahunt etiam singulos fata populorum, incendia, naufragia, eluuies aquarum, vastitates agrorum, fames, pestilentiæ; & bella, tonsuræ generis humani.

Chrysol. serm. 45.

Etsi aliundè nihil infestum, nos ipsi prodimus vltro cupiditatibus crudelissimis omnium dominis mancipati. Inde alijs vita misere negotiosa, alijs per ambitus turbulenta, alijs per indignissimas voluptates putris & fœda. Quàm pauci sunt qui id agant propter quod humana in re sunt constituti? Sed hoc habet cælestis vita præcipuum, quod nos tot funeribus, tot periculis ereptos applicat functioni & felicitati nostræ. Hæc est autem vt ait sanctus Doctor *operatio optima potentia respectu optimi obiecti.* At in illa cælesti vita mens quæ apicem omnium facultatum obtinet, fœlicissime occupatur circa primam & amabilissimã veritatem, idque modo supra cæteros quosque præstantissimo. Quis hoc satis cogitare, satis æstimare possit? Hîc omnes fermè insipientes viuunt perpetui naturæ debitores, *& intellectuali homini*, vt acutè, *Bouillus*, 1. 2.

Bouill. Lib.

de sapien-tia. *lius* dixit, *semper obarati*. At illic liberare nos licebit ære alieno, & in census nostros intrare. Quid est diuinius illa primę lucis vsura? Illa maximæ & beneficentissimæ caussæ intelligentia? Hic si quid nobis per densam caliginem affluit, toties extra nos rapimur, integerrimis gaudijs delibuti. Quid censemus fore cùm noster hic intellectus veluti compage exsolutus in Angelorum ingredietur sortem? Nunc seruit, materiæ, sensibus seruit & simulachris rerum. At vbi hunc carcerem refregerit, ista seruitute liberatus in purissimum admittetur lumen. O quale spectaculum erit primam veritatem intueri, sine nebulis, sine corruptelis, altissima luce & sua fulgentem! Hæc est vt ait Guillielmus Parisiensis, *vera & intaminata humani intellectus sponsa*. Hanc Philosophi rerum penè omnium exules, per vepres & saxa, per arenas vrentes quæsiere, cælo & sideribus affixi, & sæpè à cæli siderumque domino destituti. Hanc martyres ardentissimè dilectam inter rotas & ignes amplexi, omnem doloris sensum contemplatione tantæ pulchritudinis obtudere. Per hanc omnia vera sunt, nihil tamen præter illam sua veritas est. Ad hanc omnes aspirant, omnes, si credimus, intendunt. *Amator veritas* (inquit sanctus Augustinus) *& quicumque aliud amant, hoc ipsum quod amant, volunt esse veritatem*. Hanc in terris toties opinio mentitur, consuetudo dissimulat, cupiditas eripit. At illic in sua sede, in suo nitore videbitur, sine errore, sine tædio, sine amittendi metu. Videbimus illic rerum naturas omnium in origine, in fonte. Videbimus celestis domus arcana huic mortalitati nostræ tam clausa, tam obscura: Videbimus admirabiles diuinæ prouidentiæ nexus, omnia in Deum reuoluentes. Videbimus amicam & puram faciem conditoris, quæ sola possit beatos facere, sola possit delicijs omnibus auidos, & semper plenos cumulare. Hoc demum viuere, hoc regnare est, hoc omnium votorum apicem tenere. Certè Philosophi qui sublimiori ore loquuti sunt, hanc solutarum animarum primam & maximam felicitatem æstimarunt, cælum de proximo nosse, per eius templa incedere, & occulta rerum euoluere. Hoc de filio Marciæ Seneca lubens auguratur in parentis solatium. *Ad excelsa sublatus inter felices currit animas, excipitque illum cœtus sacer, Scipiones Catonesque, vtique contemptores vitæ, & mortis beneficio liberi Pater tuus Marcia illic nepotem suum (quamquam illic omnibus omne cognatum est) applicat sibi noua luce gaudentem, & vicinorum siderum meatus docet nec ex coniecturis, sed omnium ex vero peritum in arcana naturæ lubens ducit*. Adhæc fœlices animas non otiosas desidere putarunt, sed commodas tempestates præbere terris, & partus sollicitare naturæ. Vnde Virgilius de Augusto canit.

S. Aug. lib. 10. Confes.

Seneca ad Marciam.

Terrarumque velis curam, & te maximus orbis.
Auctorem frugum, tempestatumque potentem Accipiat.

Hæc nos nimis demissa, nimis humilia censemus, aliud beatos agere in conspectu Dei credimus, æternis nempè parentem rerum laudibus prosequi, salutem tot animarum in terris exulantium continuis votis amplecti, repræsentare ciues Domino, aggregare sibi socios. Illi nempè sunt fatius æternitatis, & supremæ ciuitatis ornamenta.

* * *

Capvt XIII.

De visione Dei.

Felicitatem animæ separatæ in contemplatione vniuersi, & admiratione quadam primariæ omnium caussæ Philosophi constituere: Nobis istas longo interuallo metas transilire datum est, qui Deum à beatis plenissimè videri profitemur. Sic igitur statuendum est, virtutem intellectiuam quæ in nobis est, creatam esse ad intellectum primæ lucis, in qua sola satiari & conquiescere potest. Nam hîc fluentium rerum vicissitudines nos satis admonent ibi beatitudinem non esse, vbi perpetua iactatio est. Quicquid hîc acquiritur per motum, ipso motu deperit. Per indigentiam mouemur, & nunquam per satietatem quiescimus. Error est non ferendus perfectionem quærere quæ sit semper in fluxu, semper in defectu. Præterita transierunt, futura non sunt, nihil deficientius hac vita, cuius natura est deficere. Quamobrem inditum est nobis ingens desiderium quietis atque immortalitatis nostræ, quàm tum fere ratam sentimus, cùm in originem nostram, nempè in Deum optimum, maximum redierimus, ei non tantum per intimam visionem vniti, sed in illius quoque similitudinem transformati. Non enim Deus à celestibus animis videtur vt solent corpora per speciem, sed per ipsam substantiam qua intimè peruaduntur. & in deiformis naturæ effigiem exsurgunt. Magnum quidem istud, & omnem ferè cogitationem excedens, idcircò & ex antiquis Patribus aliqui sensisse videntur essentiam Dei à nemine vnquam visam, nec quidem videri posse, quòd finiti ad infinitum nulla sit proportio. Sed tamen ab ea lumen aliquod effluere, quod contemplantes beatos efficere, & amabili quadam imagine mulcere in æternum possit.

Ad hoc facilis est responsio, naturam quidem diuinam infinitis à nostrâ interuallis distare: & si perfectionis ratio habeatur, nos ad comparationem tantæ magnitudinis nihil esse. At verò cum Deus maximè intelligibilis sit, vt qui summè sit, & nobis vicissim sit indita facultas intelligendi, non est desperandum quin per lumen gloriæ præparati, & firmati, ad summi boni intelligentiam deueniamus. Nihil obest magnitudo visioni. Ecce quantula oculi papilla tam vastum cælum includit. Non omnia quidem quæ Dei sunt, comprehendere possumus, nec ipsi etiam Angeli possunt. Eius tamen conspectu perfrui, eius præsentia impleri nemo nos vetat. Sic diuina oracula pollicentur: Matthæi quinto *beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, & Ioannes primæ capite tertio. *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparet quid erimus: Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*; & primæ ad Corinthios, capite decimo tertio. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Idem quoque & eodem modo intelligit Augustinus, libro primo de Trinitate *In visione tota merces promittitur delectationis, & desiderij nostri.* Multa autem hîc subtiliter disputantur à Theologis de natura huius visionis, an sit tantum intellectio, an quod plerique aiunt, sit plena & intima in Deum resolutio. Hanc enim sententiam Henrico Gandauensi eruditissimo Theologo tribuunt, quem aiunt beatitudinem constituere in quodam illapsu, quo diuina essentia ita illabatur in animam, vt ipsa tota transformetur in Deum, sic vt à diuinitate non videatur esse distincta.

Henric. quod l. 13. q. 12.

cta. Ex essentia deinde animæ vult diuinitatem deriuari ad potentias, nimirum ad intellectum, vt clarius Deum videat, & voluntatem, vt ardentiùs amet.

Non est credibile tantum virum tam præposterè sensisse, vt planè in Deum resolui, & nihil nostri vellet exstare: Et qui sic illum interpretantur, ipsi non tam cum Henrico quàm secum pugnant. Nam si animam nostram à Deo planè absorberi voluit, cur intellectum & voluntatem illi manere, illi seruire voluit. An sine anima fuere, aut esse vnquam possunt illæ potentiæ? Non competit bonitati Dei, vt quos beatos vult efficere, faciat nullos: Non competit magnificentiæ vt de nostro crescat, plenus semper suo. Hoc rerum inferiorum est, assimilare sibi subiecta deuorando. Hoc ignis noster facit dum in se aërem conuertit, hoc qui in nobis est naturæ focus, dum cibos excoquit. Non sic celestes faciunt flammæ luce & calore semper innocentes: Non sic faciunt astra: Nam Venerem toties intuemur amicissimum Soli sidus, æternas circa illum choræas exercere, & modò abscedere, modò paulatim regredi, appropinquare, admoueri, & penitùs ipsi immergi, quàm tum esse in corde Solis & in *Cazimi* (vt ipsi vocant) periti rerum censent. Num ideo à Sole deglutitur? Num consumitur? Imò tunc magis vigere eam existimant, dum primi sideris radijs florentiùs lucet, & vi beneuolentissima penetratur. Habemus in Deo argumentum qui cùm sit vniuersalissima natura, non tamen cæteras excludit, sic enim est fons omnium, vt nihil sit omnium, Habemus in filio Dei qui hominem assumpsit, non consumpsit. Sic enim Tertullianus, *In vtriusque substantiæ censu hominem & Deum exhibuit, hinc natum, inde non natum: Hinc carneum, inde spiritalem. Hinc infirmum, indè præfortem. Hinc morientem, inde viuentem. Quæ proprietas conditionum diuinæ & humanæ æqua vtique naturæ veritate cuiusque dispuncta est, eadem fide spiritus & carnis, virtutes spiritum Dei, passiones carnem homini præbuerunt.*

Tertul. carne de Christi c. 5.

Non est igitur credendum animas beatorum reipsa transformari in diuinitatem si in vnione hypostatica quæ longè maior est, Christus vtriusque naturæ iura seruauit. Sed tamen fatendum est mentem humanam Dei influentis appulsu mirificè aptari in ipsius verbi similitudinem. Nam si naturales substantiæ suo contactu assimilant sibi subiectum, vt ignis ferrum, facies speculum, quantò magis existimamus largitatem & virtutem creatoris, quæ hîc magna vi, & suauitate pari exundat, afficere intellectum & voluntatem? Nam sicut pars intellectualis apta est quæ luce primæ veritatis perfundatur: sic affectiua iucunditate primæ bonitatis vltrò recreatur. Idcircò dubitant Theologorum nonnulli, an mens quæ Deum videt, agat aliquid, & ipsa visionem eliciat, an merè patiatur diuinos illapsus: nam si pati diuina dicuntur qui deiformem habent orandi modum, contemplatione magis inditum, quàm mediatione quæsitum, multò profectò rectiùs censebimus beatos qui Deum vident, nihil habere actuosum, sed placidè tantum visionem suscipere, quæ totam animam penetrat & pingit, suoque assimilat obiecto. Certissimum est illic intellectum magis pati quàm agere: nec tamen admittendum vitali actione priuari: Nam etsi imaginem illam spiritalem obiecti quæ visio dicitur, Deus solus ex se producere in mente hominis possit, ipsa tamen nec videre æquo iure dicetur, nec viuere, nisi aliquid agat ab intrinseco, & verbum mentis quasi erumpens à se germen emittat. Itaque & qui raptus instar Pauli patiuntur, in hoc veluti potentiarum

rum iustitio aliquid aiunt, & se vidisse atque audiuisse meminerunt, quod non facerent, nisi vitaliter intellexissent; nam memoria nihil est aliud quàm iterata intellectio.

At verò cùm tanti momenti sit illa visio celestis, non est cogitandum quòd viribus contingat humanis, vt Durandi fert opinio. Hanc enim esse mentis humanæ conditionem affirmat, vt velamentis tecta corporis, non nisi per sensibiles rerum imagines Deum videat. Vbi tamen exuta est, statim ex ipsa intelligentis animæ natura, ad summum intelligibile conspiciendum vltrò feratur. Toleranda hæc opinio esset, si de contemplatione animæ separatæ qualem Philosophi posuere, hîc ageretur. Verùm cum de beatifica visione sermo sit, manifestum est quod non intelligentiæ naturalis potentiæ, sed Dei fauori tribuatur. Nam si ad eliciendos actus fidei luce nobis opus est diuinitùs infusa, quanto magis putamus egere nos celesti auxilio, vt in tam occulta diuinæ cognitionis adyta penetremus. Idcircò communi Theologorum consensu statuitur lumen gloriæ quo mens beatorum confirmata in Dei plenissimum conspectum assurgit. Nemo autem hîc sibi fingat fulgorem aliquem visibilem & corporeum, sed potius diuinum & supernaturale auxilium quo roboratus intellectus ad vibrantes illos diuinæ pulchritudinis radios hæret imperstrictus. Tria sunt enim (vt ait Guilielmus Parisiensis) quæ nos ab intelligibili & prima luce longiùs remouent, immersio animæ in materiam, malitiæ dissimilitudo, & apprehensionis incapacitas. Constat autem animæ à contagione corporis disiunctæ, & legitimè perpurgatæ tolli primùm & secundum etiam impedimentum. Remanet tamen imbecillitas quædam intellectionis ad altissimæ illius visionis fastigium comparata, quæ per gloriæ lumen potentissimas vires accipit, vt Deum, & omnia quæ in Deo sunt, nempè personas & attributa facilè discernat. Sunt qui putent etiam beatos videre creaturas & nullam rerum humanarum scientiam ignorare, in quo vehementer falluntur: nam licet eas secundum essentiam exemplarem quam habent in Deo, quæ non est à diuina natura distincta, necessariò agnoscant, non tamen intelligunt per propriam & formalem. Ita Becanus explicat S. Augustini sententiam de Angelorum cognitione matutina & vespertina: atque Angelos & beatos cognoscere creaturas in Deo non secundum esse proprium, quod habent in se ipsis, sed secundùm esse eminens & increatum quod habent in Deo. Itaque S. Thomas 1. part. q. 12. art. 8. Absolutè negat videntes Deum, per essentiam omnia in eo videre. Inde putat S. Augustinus mortuos si quid ex rebus nostris perspectum habeant, scire potius manifestante verbo, quàm vi beatificæ visionis. Nihil autem ad beatitudinem attinet multa & secundum genus suum cognoscere, cùm in perfecta Dei cognitione omnis sciendi qui potest esse appetitus conquiescat.

CAPVT XIV.

De amore & gaudio beatorum.

OTIOSVM esset in hoc tractandi genere disputare an beatitudo in sola Dei visione consistat. Non enim quærimus fælicitatem sublestam & monogrammatum imaginum more depictam, qualis nec est, nec vsquam fuit, nec in tota æternitate futura est. Non ignoramus quod à Boëtio præclarissimè in hoc argumento definitum est, beatitudinem esse statum omnium bo-

no-

norum aggregatione perfectum: quæ profectò sua non esset, si tantum in sterili, & exsucca Dei contemplatione versaretur. Itaque ex Dei visione necessariò emergunt amor & gaudium, fructus expetendi & omni suauitate læti.

Si quis autem quærat quid sit amor beatificus, in promptu est dicere, nihil aliud esse quàm intimum saporem diuinitatis. Sic enim statuendum est, quod sapientissimè à magno Dionysio dictum est amorem esse circulum quemdam bonum à bono, in bonum perpetuo reuolutum. Et quidem à Deo omnium authore primum incipit, qui verbum suum in splendoribus sanctorum ante Luciferi ortus genitum, imaginem quippe substantialem sui omnibus diuinitatis radijs expressam, æterna atque immensa charitate diligit. Inde in mundum transit quem ab initio temporum produxit, secundarium bonitatis suæ simulachrum. Is autem vltrò appetit regeri in factorem suum & illi pro cuiusque suarum partium conditione vniri. Et certè tanta est rerum superarum inferiorumque connexio vt cælum perpetuo influxu descendat in terras; terra autem cum ipsius elementi grauitate vincta, & quasi stupore oppressa volare in cælum non possit, subtiliorem sui partem in halitus extenuatam continuò in aërias regiones mittit.

Quanto magis censemus inesse cælestibus animis appetitum redeundi in patris sinum, in conditoris amplexum? Sunt enim ingenita sibi indole amantes pulchritudinis, quæ in Deo solo plena & omnibus numeris cumulata deprehenditur. Nam quid est aliud pulchritudo quàm fulgor diuinitatis per omnia penetrans? Atque vt radijs Solis in quatuor elementa sparguntur, ita de supremi parentis sinu lux in totidem deriuatur mundos, in exemplarem, intellectualem, celestem, elementarem. In exemplari producit coæternum & consubstantiale sibi lumen, in verbo. In intellectuali, florentibus intelligentiæ, beatitatis, & gratiæ donis Angelos humanasque mentes exornat. In celesti Solem accendit & stellas. In elementari naturam fulcit seminibus, & materiam formis vestit. At humanus animus procul à parentis domo & celesti plaga relegatus in terras, quęrit tamen, quamquam vix gnarus quid quærat, primigeniam illam primi pulchri speciem, quam cum inuenire hîc non possit, vndique oberrans colligit pulchritudinis fragmenta in veste & domo, in nemoribus, in floribus, in fontibus, in auro, in gemmis, in canibus, equis, auibus, in tabulis, in concentu vocum, in scientijs, in artibus, in honoribus & delicijs vitæ. Mirum autem in modum ad muliebrem formam vritur, credens se oculos amare & vultus nec tamen istud est quod tam viuacem aculeum imprimit. Quin potius diuinæ formæ radius per istas corporum nebulas emicans, & ex abdito feriens, quem dum peruersus homo malè amat, peiùs etiam quærit, opificij mirator, & opificis contemptor perpetuus, æquissimo iudicio euenit vt ipsius pulchri faces quæ gloriæ fulgorem accendere in eius mente debuerant, vltrices excitent flammas, quibus concupiscendo exeditur. Quod si etiā voti compos fiat, nullis vnquam corporum oblectamentis expletur, qui spiritali & diuinæ pulchritudini natus est.

At verò piæ mentes quæ de corporis vinculis excessere, iam ritè ad conspectum Domini præparatæ, statim non iam in Abrahæ sed in Dei parentis sinum impetu quodam amoris inuolant, & gloriosissimo primi illius pulchri spectaculo perculsæ, ardorem amantium miscent adorantium vene-

Aa pera-

nerationi: feriuntur enim caritatis acerrima vi, altissimæ formæ suggestum contemplantes. Et quia non iam errantes, non mendicæ, fragmentis pulchritudinis insident, sed ipsam in fonte totam possident, inde colliquescunt suauissimis gaudijs immersæ. Nihil enim aliud gaudium est quam amor expletus, & cumulatus, qui auiditatem habet sine desiderio, & sine tedio satietatem. Versatur tum animus in Deo, quasi piscis in Oceano, qui familiari affixus, & inhians elemento vorare fortè illud cuperet, si posset, sed ab ipso totus absorbetur & intimæ dulcedinis abundantia perluitur.

Nihil certè dulciùs quàm pulchra nosse, amare quæ noueris, & quæ amaueris possidere. Plerique ita ad artes atque scientias affecti olim fuere, vt comperta vel vnius problematis veritate raperentur extra se, & alij quidem Hecatombas sacrificarent, alij omnium & sui quidem obliti, per plateas vrbium nudi incederent, solùm quod inuenerant intra se reuoluentes, vt de Pythagora & Archimede literis proditum est. Est enim quidam veritatis pastus omnibus ciborum delicijs longè iucundior. Nec frustra Auicenna in metaphysicis dicebat, lex nostra quam Mahometes tulit, dispositionem fœlicitatis & miseriæ secundum corpus attendit. Sed est alia quæ respicit intellectum, sapientibus multò maior, coniunctio scilicet humanæ mentis cum prima veritate. Quod si hoc habet omnis veritas vt cordi bene morato lætitiam agnita ingeneret, quid facere putamus principem illam & cæterarum rectricem intelligentiæ beatorum conciliatam? Et si amor caducæ pulchritudinis amantes oblectat, etiam inter pœnarum quas tam sæpè patiuntur incendia, quid fieri censemus in illa primi & pulcherrimi amoris

Auicenna 12. Metaph.

iam tum in delibutum pectus exundantis suauitate? Certè omnes beati patiuntur perpetuam & iucundissimam ecstasim gaudiorum tot spectaculis in vna Dei contemplatione recreati.

Adde iam loci speciem eximiam, adde purissimos cœtus Angelorum, & inuictarum societatem mentium, adde concordiam, & mutuos amores, adde omnium bonorum certam & inconcussam æternitatem. Quid iam erit quod ista vita non erit? *Ibi igitur vacabimus*, exclamat sanctus Augustinus, *vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & habebimus. Ipse enim ibi est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione æternum laudabitur. O pax illa quam videbimus apud Deum! ô pax illa & sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculum pulchrum! Ecce nunc in Babylonia pulchra sunt quæ ciues Babyloniæ tenent, sed nos non tenent, aliud solatium captiuorum, aliud gaudium liberorum.*

Aug. lib. 22. de ciuit.

In Psal. 36.

Psal. 136.

CAPVT XV.

De statu corporum in cælo post resurrectionem.

OPTIME Guillielmus Parisiensis mundum hunc vocat alterius mundi aurifodinam. Sic enim euenit vt si quis in opulentissimi Regis aula miretur vasa aurea atque argentea mirifice expolita, deinde in campos ducatur auriferos, qui sub eiusdem domini ditione sunt, & agnoscat grandes illas quas suspexit diuitias, ex vili & contempta oculorum æstimatione terra iugiter erui. Pari profectò ratione dum contemplamur Angelos incredibili pulchritudine fulgentes in cælo, stupemus

Guill. Par. de vniuerso.

ad

ad tantas beatorum ciuium species, sed longè maior nos admiratio perstringit audientes ex hoc orbe infimo, & despecta corporis humani materia, pares Angelis homines in illam cælestium domum exsurgere. Hoc efficit resurrectio maximum diuinæ potentiæ & bonitatis argumentum. Multæ hîc è natura rerum rationes ab industrijs authoribus peti solent quæ tantæ rei adstipulentur, sed ingenuè fatendum est nos Christo, nos fidei hanc debere veritatem. Nam quis post tot sæcula, tam soluta, tam sparsa, tam nulla corpora reditura primum in vitam, deinde omnes cælestium orbium gradus in hac prodigiosa cæli immensitate crederet emensura? Nemo profectò nemo sine Deo hoc vidit? nemo sine Christo credidit. At dicet aliquis hanc Pythagoræ & Platoni, hanc Democrito mentem fuisse, nam apertissimè Plinius eisdem tribuit libro septimo, capite quinquagesimo quinto vbi de animorum immortalitate impiè locutus, addit *similis & de asseruandis corporibus hominum, & reuiuiscendi Democriti vanitas, qui non reuixit ipse.*

Et certè admiratione non caret, quo pacto homini quadringentis fermè antè Christum annis philosophanti tam generosa vox exciderit. Sed si quis prudenter æstimare rem velit, deprehendet fuisse tum Philosophis aperta iam Græcis Palæstina, & Perside cum Iudæis commercium, multosque illic auido sciendi desiderio commigrasse, & arcana quædam ab ijs nostræ fidei didicisse, quæ vulgare illis facilius fuit quàm probare, Quamquam nec planè resurrectionem, & eam quam profitemur celestem corporibus vitam augurari vnquam potuerunt. Sed obscuram quamdam reminiscentiæ speciem, quam Astrologi, vt ex Varrone memorat sanctus Augustinus, primi innexere παλιγγενεσίαν seu

Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 28.

iteratam generationem nominantes. Sic enim illis philosophari placuit, nihil esse in mundo infinitum, sed omnia per circulationem quandam continuari, sic Oceanum, sic cælum per sua perpetim redire vestigia, & vnde finiuntur, incipere. Itaque nec generationes hominum animarumq; nouarum productiones infinitas esse credebant, nisi per circuitus regrederentur in corpora. Hoc autem intra quadringentos & quadraginta quatuor annos, dum magni voluuntur orbes, confici, atque eosdem plane homines intra hoc spatium renasci, immortalibus animis ad cognatã sibi materiam redeuntibus. Mirificum sane commentum, quod resurrectionis nostræ fidẽ vellicantibus obijcit Augustinus, vtpote inextricabili difficultate. Argute autem, vt solet insectatur Ethnicos contra rediuiua corpora multa humani ingenij incredulitate differentes. *Resurrectionem* (inquit) *iam crediderunt docti & indocti: si rem credibilẽ crediderunt, videant quàm sint stolidi, qui nõ credunt, si autem res incredibilis credita est, etiam hoc vtique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est.*

Ibid. cap. 5 lib. 22.

Ita quidem statuit paris esse difficultatis resurrectionem credi & fieri: cum igitur credita sit toto orbe Christiano, restare vt eueniat. Ad hoc tamen respondebit peruicax Philosophus fluxam esse veritatẽ quæ sola hominum opinione nitatur. Multa & latissime olim in mundo credita quæ nunc falsa deprehenduntur, qualia sunt transmigratio animarũ, & Deorum pluralitas. Resurrectionem nõ vt Deum, non vt immortalitatem animorum vbique terrarum humanis mentibus inoleuisse. Itaque in istis tota ratio facti est authoritas facientis, credimus nempe mortuos resurrecturos non conuictione naturæ, non subtilitate rationum inducti, sed quia Dominus resurrexit, Dominus in Cælum ascendit, & nobis eã-

dem sortem promisit, eodem ore, & verbo quo mundum stabiliuit & sæcula fundauit. *Nolite mirari* (inquit) *quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, viuet.* Nec alia ratione Paulus aduersus incredulos pugnat quàm Dominicæ resurrectionis exemplo. *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Quid habet hic humana ratio quod opponat voluntati diuinæ? Quid tandem vetabit nos resurgere? an defectus materiæ? at illa non interit. *In thesauro naturæ* (vt ait sanctus Zeno) *seruantur corporis humani reliquia. Illic nostrum depositum requiescet incolume, donec excitari placeat redemptori.* An formæ remorabitur interitus? At viuit viuetque in æternum victor animus, mirè erga suum corpus affectus. Desiderabitur tanti molitor operis? Deus est qui promittit, qui iubet, qui operatur. Idoneus est reficere qui fecit. In quem finem? In spectaculum gloriæ suæ, in piorum omnium salutem & præmium. Quid miramur resurgere mortuos? Omnia (inquit idem Martyr illustrissimus) suis mortibus viuunt. *Sol intrepidus ad sepulchrum noctis cognatæ contendit, sciens in ipso se habere quod viuat: adimitur ei ortus, si aufertur occasus. Luna dubio cornu quasi de cunis apparet, iam puella, iam virgo, carpit pensa mundana, paulatim deuergit in senium, donec sua morte reuiuiscens, sumat de fine principium. Granum in genitale germen exspirans, vetusti corporis superficie deletur. Imò in melioris naturæ iura transmissum, felix caput quasi ab inferis emersum in suprema sustollit.* Qui resurrectionem negat, vitam suam condemnat. Cur enim meretur felicitatem futuri temporis cernere quem videas sacrilegia incredulitate Dei potentiæ derogare. Si resurrectio non est substrahitur, pars vna Redemptori, nec iam totus seruator est. *Quàm indignum Deo* (inquit Tertullianus) *dimidium hominem redigere in salutem. Quomodo saluus habebitur qui poterit & perditus dici? Ex parte resurgere mutari est, non liberari.* Reclamant hîc Philosophi sacrilegium existimantes lutum inferri cælo, carnem in supernas sedes inuehi. Istud nec fieri posse, nec si fiat, factu vtile aut decorum putant, homines non tam religiosi diuinæ sapientiæ, quàm libidinosi suæ. Nihil carnem dehonestat præter scelera & flagitia, à quibus si fuerit immunis veneranda potius est quàm erubescenda. *Quem naturæ vsum, quem mundi fructum non per carnem anima depascitur* (ait Tertull.) *per carnem anima omni sensuum instrumento fulcitur. Artes per carnem. Studia & ingenia per carnem, opera, officia, negotia per carnem. Ita caro dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres inuenitur. Si temporalium cur non & æternorum?* At verò non est (aiunt) humano corpori destinatus in cœlo locus. Quî fieri potest vt illic ascendat, & si ascenderit illic viuat vbi ignes & flammæ omnem humorem depasturæ? Reluctamur scilicet authori rerum assuetudine sensuum & prauæ mentis contumacia. Ad hæc inuictè respondet sanctus Augustinus, *cur volente Deo non poterit terrenum corpus in celeste corpus attolli, si animus omnia hæc terrena transcendens, per hoc etiam celesti corpore præstabilior terreno corpori potuit alligari? In hac mole quid facit subtilior omnibus? In hoc pondere quid agit leuior omnibus? In hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itane per huius tam excellentis naturæ meritum non potest effici vt corpus eius leuiter in cælum? Et cùm valeat nunc natura terrenorum corporum deprimere animas deorsum, animæ leuare sursum terrena corpora non valebunt.*

Ioan. 5. 28. & 11. 25.

Corinth. 1. 15. 12.

S. Zeno serm. de resurrect.

Tertull. de resur. carnis.

S. Aug. de ciuit. Dei lib. 22. c. 4.

Addit

Adde quod non est ea coniunctio corporis cum cælo, quæ est animæ cum suo corpore: nam illa est continentis ad contentum: hæc materiæ ad formam spiritalem, animantis ad animatum. Qualia sibi tum fingunt corpora qui celestem illis derogant sedem? Nempè crassa, ponderosa, deformia, corruptioni, vt nunc patent, obnoxia? O cæcas & terrenis semper cogitationibus affixas mentes! Hæc veluti de cælesti cathedra Paulus loquens apertissimè explicat, *seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Quid hoc est corpus spirituale? Aperit sanctus Augustinus de ciuitate Dei libro decimo tertio, capite decimo tertio. *Non iam terrenus sed celestis homo erit, non quia corpus quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono celesti iam tale erit, vt etiam cælo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat.* Erit igitur, vt omnes Theologi fatentur, non modò incorruptibile atque immortale, sed nulli omnino aduersorum corporum iniuriæ patens, & tale quod nec ferro secari, nec solui, nec vllo impetu frangi aut alterari possit. Erit subtile quod etiam ferrum & marmora penetret. Erit agile quod volantes sagittas, quod procellas æquet & ventos. Erit lucidum quod Solis radios vincat. Sed in istis explicandis grauissimæ occurrunt difficultates, in quibus enodandis laboriosè scholastici sudant & anxiè. Nam quomodo hæc conciliari possunt, crassa (vt aiunt) ponderosa, atque palpabilia remanere beatorum corpora, nec tamen magis lædi posse quàm Solis radium, permeare solidas arces, anteuertere cursu fulmina. Hic nouæ ista subtiliter magis quàm verè disquirentibus comminiscendæ qualitates, noui influxus atque concursus inueniendi, & toties iteranda miracula. Quid igitur hic commodiùs censeri atque definiri potest? Natura corporum elementaris, & palpabilitas (vt ita loquar) necessariò in radice retinenda est, quia de fide est: Non tamen quæ semper actu sit, & consuetum sibi vendicet modum. Nam vt rectè disserit noster Lessius in subtilitate beati corporis vindicanda: *Repugnantia duorum corporum respectu eiusdem spatij, non prouenit præcisè ex ratione quantitatis, aut extensionis, sed ex modo quodam existendi, qui inest materiæ aut quantitati, quo fit vt corpus repleat spatium, nec aliud in eodem prorsus admittat. Qui modus cum non sit de essentia rei, facilè per diuinam potentiam, vel in ipso actu, vel stabiliter tolli potest.*

1 Cor. 15. 44.

Quod igitur in resistentia penetrationis admittitur, idem in palpabilitate concedendum videtur. Nempè illam crassitudinem quæ tactui ansam præbet, non obtinere tunc actualem modum quem in nostris corporibus habet, & ita quidem explicat sanctus Epiphanius asserens corpus Christi dum clausis ianuis superuenit discipulis, fuisse mutatum in spiritalem subtilitatem, absque tamen carnis & ossium iniuria. Itaque spirituale corporis saltem in modo semel admissa, pereunt tot importunæ quæstiones quibus vellicare resurrectionem corporum bruti homines solent. Quærunt enim quid fiet pinguibus & macris? quid pumilionibus & gigantibus? infantibus & viris? an his addetur, illis materia detrahetur? An si capillus de capite non peribit, erit omnibus enormis cæsaries, vnguesque monstrosi? An ab hominum voratoribus aliena caro tum exigenda? an suus corporibus sexus? an etiam vitia & fœditates?

Nimis ridiculi sunt qui hæc curiosius inquirunt. Sinamus illam solutorum corporum materiam in thesauris, in manibus

At spiritus non sunt oculorum corporeorum obiecta, nec magis possunt videri quàm odor, aut sapor quæ in acerrimam quamque aciem non cadunt. Sic igitur ille *nec in loco videtur, sed mundo corde: nec corporeis oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur afflatu, nec sentitur incessu.* Quid autem acturi simus in spiritalibus illis corporibus præclarissimè dixit vno verbo vir ille planè celestis. *Quanta erit illa felicitas vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum: Vacabitur Dei laudibus qui erit omnia in omnibus; nam quid aliud agetur vbi nec vlla desidiâ cessabitur, nec vllâ penuriâ laborabitur, nescio.* Epist. 112.

CAPVT XVI.

De tribus in cælum vijs, & celestis patria desiderio.

ERIGIT in cælum immortales animos pulchritudo Domus Dei & amœna castissimis vita delicijs. In hanc exulum oculi, & vota precantium, & gementium suspiria. Omnes illuc iter affectant, qui modo patris memores, & sui, quibus nec mori tædium, & cum Christo viuere suprema fælicitas. Quid quæris quo pacto te celestibus inferas, & in beatorum ciuitatem transcriptus, esse incipias, quod nunquam esse desines. Non te illuc eniti facient Archimedis machinæ, non aquilarum alæ deferent, nec ipsæ ventorum pennæ, sincera tantum fide opus est, & illimi vita, quæ plurimum spiritus habeat, corporis minimum, hoc iter tota lex, hoc omnes prophetæ docent.

Tres ad summum signant vias, quibus in summi parentis regiam & celestem patriam remigramus. Vna est tota lactea, altera per turbinem, tertia per ignem. Per primam ascendunt quibus vita purissima, amabilem lacteæ illius quæ in cælo est viæ fulgorem referens. Non illos voluptates infecere, non vitreæ fugientis mundi formæ ad Christum anhelantes illexere. Stant infractis cupidinum telis erecti, conscientia illibata, casto corpore, mente vigili, cui ieiunium cibus est, oratio iuge conuiuium. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Sap 4.1. In hoc cœtu tot pueri, tot virgines, tot iuuenes, tot anus, sequuntur agnum quocumque ierit, vbique candore liliorum irradiati. Horum gloriam æmulantur casti coniuges, qui terrenis amoribus expediti, Deo vacant, & in alendis pauperibus toti fermè lactei sunt.

Per turbinem cælum vt Elias conscendunt, qui nec in molli otio, nec imbellibus curis detinentur. Sed labore impigro, vita exercitatissima, asperos calles terunt, perculsi, iactati, calcati, toties ludibrijs obiecti, toties iniuriarum telis transfixi, sorte ferè semper ærumnosa, constantia semper inuicta. *Hi sunt*, qui vt ait beatus Ioannes, *venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ideò sunt ante thronum Dei & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Apoc. 7. 14. Ludibria (inquit Paulus) & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Quot in hac cohorte triumphanti Confessores, quot Pontifices, quot Martyres, in quibus tot vulnera, quot membra, tot coronæ quot in

per-

persecutoribus crudelitatis ingenia. Sæpè remorabantur in luce viui, quorum membris pleni iam erant tumuli.

Per ignem quoque (vt igneus ille Propheta) incedunt, qui ardentissimo Dei amore flagrantes, totos se iuuandis hominibus & animarum saluti tradunt, qui adeò sensus antiquorum mentibus inoleuit vt in Deos consecrarent, qui mortalium societatem vel armis protegerent, vel ciuili sapientia ornarent, monstra & tyrannos inuicto robore contererent, pietatem, iustitiam, quietem, & felicitatem ciuium procurantes. Nec immerito statuit eloquentiæ parens, omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, anxerint, certum esse in cælo locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Omnia Heroum decora de hominum nata sunt meritis. *Hoc Deus est* (inquit Plinius) *mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Eamus igitur, Christo duce, Christo auspice, qua tam illustres patent viæ, quid hîc moramur? Quid portum quærimus in pelago? Quid regna disponimus in exilio? Eamus in Domum Domini, in fratrum complexum suauissimum, in parentis sinum. Lubet iam cum Augustino exclamare. *O sancta Sion, vbi totum stat, & nihil fluit, quis nos in ista instabilia demisit? Quare dimisimus conditorem tuum? fontem vitæ, venam aquarum viuentium, gaudium extra quod non est gaudium? En ad te clamamus, ad te respicimus, exules tui, miseri tui, de hoc pelago, de hoc mari turbulento. Trahe nos ad te, vbi vita terminum nescit, vbi iuuentus nunquam senescit, vbi decor nunquam pallescit, vbi sanitas nunquam marcescit, vbi amor nunquam tepescit, vbi gaudium nunquam decrescit, vbi lucet quod non capit locus, vbi sonat quod non rapit tempus, vbi fragrat quod non spargit flatus, vbi sapit quod non minuit edacitas, vbi hæret quod non vellit æternitas.*

Som. Scipio.

Plin. lib. 2. cap. 7.

in psalm. 176. & in soliloq.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM

Quæ in his de DOMO DEI libris passim obseruanda potissimum occurrunt.

Bb Aqui-

Blan-

G. Ga-

Solis

T.

V.

W.

X.

Z.

FINIS.

Princeps, qui Turcica arma à vastatione Epiri, & Ungariæ, per annos viginti duos fortissime avertit, anno 63 climacterico extinctus est. *Volat.*

Anno 1514 Rhenus tota hyeme glacie constrictus.

Pius V. Pontifex integerrimus, Romæ coronatus 1566. Junctinus scribit ipsum eodem die natum 1504. hora 8. M 43. P.M.

Frater Antonius de prato Monachus Gallus, Abbas Fiscanensis, in Normania S.R.E. Presbyter Cardinalis, natus anno 1468 hora fermè mediæ noctis. *Iunctinus*

XVIII.

S Athenogenes antiquus Theologus flammis pro Christo consumendus ante rogum hymnum ecinit.

LUdovicus Bojorum Dux, Conradini Suevi Avunculus, Mariam conjugem indicta causa adulterii damnatam capitali supplicio affecit. Præfectum Gynecæi de turri præcipitem egit, puellam pedisequam gladio transfodit.

Petrus Bembus Cardinalis Doctissimus Romæ vitam clausit anno 1547

XIX.

Smyrnæ Germanicus Martyr in flore ætatis bestiis objectus.

THeodosius Arcadium filium consortem imperii fecit.

Henricus VIII. Angliæ Rex Dei tremendo judicio sistitur. Alii ad diem 26 alii ad 28 referunt, anno 1479 obiit Joann. 2. Aragonum Rex erga Deiparam Virginem mire affectus.

Franciscus II. Henrici II. filius nascitur aquis bellis, anno 1544 hora 4 minut. 30. post meridiem.

Nicolaus Copernicus Torinensis Canonicus, & Mathematicus eminentissimus in lucem editus 1472 hora 4. m. 48 P.M. *Iunctinus.*

XX.

In Palæstina S. Euthymius Abbas sub Martiano memorandus.

THeophilus Imperator à Saracenis victus paulò post animi mœrore consumptus. *Onuph.*

Natalis Gordiani Imp.

Vladislaus Lithuaniæ dux priùs Jagello dictus, Christianus effectus, à summi Pontificis legato Poloniæ Rex inauguratur. *Cracoviæ* 1320

Carolus VIII. R. F. ab Alexandro VI. Orientis Imperator designatur 1444 *Annales Francorum.*

Franciscus I. Rex Galliæ Rhemis magna pompa coronatur 1515

Anno 1561. Hyemis intemperantia Rhenus totus glacie stetit.

Ludovicus III. Imperator ultimus ex stirpe Caroli magni ab Ungaris victus animi mœstitia consumptus anno 911

XXI.

S. Agnes.

PAschalis Papa moritur anno sæculi 1118. sedis 18 is est qui Henricum IV. invitus coronavit, & Episcoporum electionem, adversariorum armis cinctus concessit, quod postea in Concilio retractavit. *Volat.*

Innocentius V. papa electus natione Burgundus, & ex familia prædicatorum qui tantum sex mensibus sedit. *Onuph.*

Galleacius Matthæi filius nascitur sic dictus, quod sub Gallorum cantum manè iret in lucem editus. *Paulus Iovius.*

Carolus VIII. Rex Franc. armata manu Roma discedens, Neapolitanum Regnum occupat 1495

Georgius Sigismundus Seldius trium Cæsarum Procancellarius Augustæ natus 1516

Paulus V. humanis ereptus 1621. ætatis 68

XXII.

Festum desponsationis S. Mariæ & B. Iosephi.

PErtinax Imp. de vita & fastigio sublatus anno 194 *Herod.*

Selymus Turcarum Imperator Mammelucos ingenti prælio, & horribili clade delevit 1517

Eduardus Herfordiæ Comes Eduardi VI. Regis Anglorum avunculus, ad turrim Londinensē securi percussus 1552. *Balaus.*

Carolus Lotharingiæ Dux Claudiā Henrici Regis Galliæ filiam uxorem ducit.

Anno *1516* Ferdinandus V. de vita cessit

Antonia Borbonia Heroina Claudii Guissiæ Ducis uxor pientissima, ætatis 89 devixit.

Isabella Caroli IX. vidua sancto fine quievit *1592* ætatis 38 cum anno vigesimo orbata Rege marito inter Moniales vixisset, illustribus exemplis virtutū conspicua.

Carolus IX. R. F. nascitur anno *1551* hora 3. min. 30. ante M. *Iunctinus.*

XXIII.

SS. Clemens & Agat Angelus Ancyræ.
S. Ioann Eleemosynarius Alexandriæ.

ANtonius Caracalla funestæ memoriæ Imp. occiditur anno Christi *218.* imperii 8. ætatis *43 Scot. lib. 2 Chronic.*

Gensericus Vandalorum Rex persecutor Ecclesiæ morte sublatus in Africa.

Otho III. qui electores imperii constituit, veneno tollitur.

Joannes Leydensis Anabaptistarum Rex, ex ignobili homine triumphator commentitius, post dira facinora justo damnatus supplicio discerpitur *1536*

XXIV.

S. Babylas Martyr cum suis vinculis sepultus.

CEres & Tellus Romæ apud Gentiles placatæ, & Sementinæ feriæ celebratæ Kal. Rom. Anguestum (ut ajunt) expergiscuntur.

Philippus Macedo Alexandri magni Pater dum theatrum grandi pompa ingreditur, prælatis XII. Deorum cum sua imaginibus, à Pausania quòd impunitam unius ex suis libidinem tolerasset, prava audacia interficitur.

Cajus Caligula portentum hominis & flagellum Imperii, à Tribuno Prætoriæ cohortis Chærea, cum uxore Cesena, & filio confoditur regni anno 4

Ælii Hadriani Imp. omnium ingeniosissimi, & curiosissimi natalis.

Joannes X. Papa electus, vir Martius, qui Sarracenos in Campania collatis signis vicit. Tandem conspiratione suorum damnabili extinctus. *Volat.*

Anna Ladislai Regis Hungariæ filia, Ferdinandi Cæsaris uxor, migravit è vita, 1547

XXV.

Conversio S. Pauli.

MArtianus Imperator felicis memoriæ piè in Deo mortuus, Imperii anno 6. sæculi 457

Leonis II. Imperatoris natalis, qui Irenem uxorem regni administram cum filio Constantino reliquit.

Terræmotus ingens Venetiis 1340. Eodem die alius in Germania, castella & oppida subruit 1349

Selymus Turca Alcairum urbem occupat, deditiis contra datam fidem immaniter occisis.

XXVI.

S. Paula & S. Bathildis.

CAstori & Polluci Romæ templum dedicatum, anno V C. 270

Maximinus feralis Imperator, & prodigiosis corporis viribus, à Pupieno perimitur, Imperii anno 4. Aquilejæ,

Leo filius Martiani, Imperator Orientis electus, anno 437

Anno 1531. Lusitania grandi terræ motu con-

tu concussa, magnâ Olysipponis jacturâ. Hadrianus Junius eo die mortem Henrici 8. Angliæ ponit.

XXVII.

S. Chrysostomus.

NErva Imperator optimus moritur Imp. 2. ætatis 60. sæculi 99. Hic rempublicam à Domitiano fœdè laceratam restituit, & Trajanum felicissimis avibus adoptavit.

Vitalianus Papa è vivis excessit qui organa templis induxit, anno sæculi 670 sedis 14

Columnæ duæ aurei coloris cum Sole dextra lævaque ortæ 1074. *Lycosten.*

Henricus filius Friderici Barbarossæ Constantiam Rogerii Siciliæ Regis filiam uxorem ducit.

Anno 1236. fuit hyems calida & Austrina.

XXVIII.

S Cyrillus Alexandrinus.

Natalis S. Margaritæ Regis Ungariæ filiæ, ex ordine S. Dominici.

TErræ motus ingens per totam Syriam exortus multa hominum millia sustulit, anno 746. *Cedrenus.*

Carolus tot titulis verè magnus, & elaboratissimum Christianorum Regum exemplar, Aquisgrani in Domini osculo pie mortuus, anno 814. imperii 14. ætatis 72.

Alexius IV. imperator occisus 1204.

Anno 1496. in Germania tres lapides adusti coloris quasi de cælo cecidere.

XXIX.

S. Sulpitius Severus.

PHilippus imperator primus Christianus haud tamen in fide perseverans, à Decio interfectus, anno salut. 253. Imp. 7. *Scot. lib. 2.*

Aurelianus imp. bellicosissimus eodem die factione crudeli suorum oppressus anno imp. 6. 276. *Onuph.*

Is Gallos, Sarmatas, Ægyptios vicit, urbem ampliavit, & legem Amnistiæ sanxit.

Dagobertus magnus Spineti ventris profluvio extinctus, 645. *Chron Fr.*

Gelasius II. Papa vita functus in exilio, anno pontificatus secundo, salutis 1119.

Isabella Eduardi II. Angliæ Regis conjux grandi facinore maritum in carcerem detrusit, & Eduardum filium 14 ann. natum pro patre coronari jussit.

R. P. Laynius societatis Jesu Generalis vir magnæ eruditionis, & copiose sanctus, somno justorum in Domino quievit.

XXX.

S. Hippolytus illustris Martyr, & S. Alexander venerabilis senex.

GOrdianus imperator melioris notæ, Philippi fraude de rerum culmine & vita summotus, fremente Ecclesia adversus Regis homicidam, qui religionem Christianam simulabat.

Theophilus imperator Iconomachus ad tribunal Dei raptus, adhuc vindictæ & sanguini dum moreretur, inhians, anno. 842.

Ludouicus ultimus suæ familiæ Comes Flandriæ, ad fanum S. Odomari decessit 1384. *Tillius.*

Anno 1596. Clemens VIII. creatur Pontifex, bene in Christianam pacem affectus.

XXXI.

S. Marcella.

DIis penatibus apud antiquam Romam sacrum. *Calend. Romanum.*

Noe corvum ex arca misit nuncium haud fidelem, anno mundi 1657

Clodius ab Aricia rediens à Milonianis opprimitur, Cicerone factum probante, & operosa oratione defendente.

Romæ piè decessit R. P. Claudius Aquaviva Soc. Jesu generalis maximis virtutibus clarus, & regendi hominis peritia excellentissimus.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
2.	Hora 7. cum quadrante & dimidio.	Hora 4. cum dimidia, & semiquadr.
7.	Hora 7. cum quadrante.	Hora 4. cum 3. quadrantibus.
9.	Hora 7. cum semiquadrante.	Hora 4. cum 3. quadr. & dimidio.
11.	Hora 7.	Hora 5.
18.	Hora 6. cum tribus quadrantibus, & dimidio.	Hora 5 cum semiquadr.
25.	Hora 6. cum 3 quadrant.	Hora 5. cum quadrante.
28.	Hora sexta, cum dimidia, & semiquadrante.	Hora 5. cum quadrante & dimidio.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
5.	Hora 6.	Hora 6.
11.	Hora 5. cum 3. quadr. & dimidio.	Hora 6. cum semiquad.
16.	Hora 5 cum 3. quadrant.	Hora 6. cum quadrante.
21.	Hora 5 cum dimidia, & semiquadrante.	Hora 6. cum quadrante, & dimidio.
25.	Hora 5. cum dimidia.	Hora 6. cum dimidia.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
2.	Horarum 9. cum quadrante.	Horarum 14. cum 3. quadr.
7.	Horarum 9. cum dimidia.	Horarum 14. cum dimidia.
9	Horarum 9. cum 3. quadr.	Horarum 14. cum quadrante.
11.	Horarum 10.	Horarum 14.
18.	Horarum 10. cum quadrante.	Horarum 13. cum 3. quadr.
25.	Horarum 10. cum dimidia.	Horarum 13. cum dimidia.
28.	Horarum 10. cum 3. quadr.	Horarum 13. cum quadrant.

Dies.	Ortus, &	Occasus siderum.
1.	Lucida caudæ Capricorni oritur mane.	4. Aquila occidit Vespere.
		24. Os leonis occidit mane.
3.	Canis major or. Vespere.	

I S. Ignatius

I.

S. Ignatius præsul Antiochenus, martyr sub Trajano.

FEbrua seu purgationum dies festi, pro defunctorum manibus apud Romanos antiquos. *Calend Rom.*

Elaphobelæa festa Venatorum apud Græcos Dianæ dicata.

Herculis Natalis *Kalend. Romanum.*

Catilinaria conjuratio à Cicerone oppressa.

Calistus II. Burgundus Papa electus anno 1119. *Onuph.* Is Lateranense Concilium celebravit pro subsidio terræ sanctæ.

Damiata seu Pelusium, Urbs Ægypti, à Christianis capta, magna hominum strage & sanguinis effusione 1220.

Carolus pulcher Rex Galliæ ad saltum Vicenarum sine liberis moritur 1327 Huic Philippus Valesius successit Anglici belli seminarium.

Mathias Joannis Hunniadis filius, adhuc captivus, Rex Ungariæ designatur.

Joannes Trithemius Abbas eruditissimus natus 1439 *Nauclerus.*

II.

PURIFICATIO.

Vespasianus Imperator Regnandi exordium fecit, qui accepta dignitate melior factus, quod paucis contigit moderate omnia gubernavit. anno Christi 72

ROma à Gothis tertium capta sub Justiniano.

Andronicus Imp. Orientis coronatus.

III.

Sanctus Basilius magnus Cæsareę moritur, vitæ austeritate, factis, & scriptis clarus.

S. Anscharius qui Suecos & Danos ad fidem convertit.

GAlli noctu Roma egressi ad Sabinum à Camillo cæduntur, & urbs mense septimo postquàm ipsi ingressi sunt liberata.

Aurelius Probus bellicosissimus Princeps, & domitarum gentium spoliis clarus, Imp. coronatur anno Christi 278

Galeottus Picus Mirandulam noctu ingressus Franciscum Picum patruum unà cum ejus filio, detestabili scelere trucidavit, & urbem occupavit 1533.

IV.

S. Isidorus Pelusiota.

B. Joanna Ludovici XI. filia fundatrix Annunciationis, genere juxta ac sanctitate clarissima.

LUcius Septimius Severus Eboraci in Britannia moritur, successore Antonino Caracalla filio Principe omni scelere inquinatissimo, anno Christi 212.

Conradus III Imp. magno exercitu in Asiam contra Sarracenos proficiscitur.

V.

S. Agatha Virgo, & Martyr.

AUgustus Imperator omnium ordinum consensu Pater patriæ dictus anno V.C. 726

Clemens IV. Gallus mirabili vitæ sanctimonia, vanitatisque triumphator acerrimus, Romæ Pontifex eligitur. 1265

Mediolanum post longam obsidionem à Francisco Sfortia capitur anno 1444

VI.

S. Dorothea Virgo, & Martyr Cæsareæ in Cappadocia.

NOë post septem dies aliam columbam emisit, quæ rediit portans ramum Olivæ virentibus foliis.

Pelagius secundus pontifex peste interiit an. salut. 592 Pontificatus 4

Manfredus Friderici II. filius ad Beneventum pugnans contra Carolũ Andegavensẽ, magna clade occubuit *Pand. Coll.*

Joanna Borbonia Caroli V. Gallorum Regis uxor vivendi finem fecit, anno 1378 Isabella filia triduo post matrem secuta Regis mœrorem cumulavit.

Anno 1640 mors Amurathi Turcarum Sultani. Principis sævi, & infelicis, ætatis 33. Imperii 17

VII.

Moses ex Anachoreta Episcopus, multos Sarracenos ad fidem convertit.

SImon Machabæus Judeæ civitates lustrans, à Ptolomæo in castello Doch excipitur, & inter epulas ab eo perfidiossimè trucidatur.

Julius Cæsar perpetuus dictator, & quintum Consul, de monte Albano ovans urbem ingreditur. *Goths in fastis.*

Sarracenorum ingens exercitus ad Antiochiam à Christianis fusus, interfectis 28000 infidelium ann. 1098 *Guill. Tyrius*

Julius III. post longam deliberationem pontifex electus 1550

Dirus cometa ferè per tres menses ardere visus, quem multorum Principum mors secuta 1556

Maria Angliæ Regina rebellem & seditiosam multitudinem authore intestini motus victo feliciter stravit. *Hadrianus Iunius.*

Eodem die juxta Anglos Maria Stuarta Scotiæ Regina stupendo omnibus sæculis crudelitatis exemplo, Elizabethæ securi collum subjecit anno 1587

VIII.

S. Cointha diris suppliciis excarnificata, martyrio coronatur.

ANno 1062 Terræmotus, & fulgura horrenda, circa Constantiam orta, quæ ingens pestis est subsecuta *Lycosth.*

Thomas Anabaptista Abrahami vincere cupiens exempla, Leonardum fratrem in parentum cõspectu, capite truncavit 1526

Anno 1645. obiit Romæ R. P. Mutius Vitellescus, societatis Jesu Præfectus generalis, regendi, prudentiâ, & suavitate spiritus insignis, officii anno 30. ætatis 81.

IX.

S. Apollonia.

HAdrianus Pontifex Maximus Romæ electus anno 772 vir eruditus, pius & felix. Is Carolum magnum conta Longobardos oppressores Ecclesiæ Romam evocavit, & armis ejus hostes contrivit. Aquæductus Urbis restituit, utque in atrio lateranensi quotidie centum pauperes alerentur, instituit. *Volat.*

Anno 1649 Carolus Rex Angliæ à subditis suis sub forma judicii damnatus, capitali supplicio afficitur, ad Regicidam securim, & inauditum seculis exemplum pavente mundo.

X.

S. Guilielmus Eremita.
S. Scolastica Virgo, Narsia in Italia.

VIgilius Papa obiit anno 556

Hic quintam Synodũ contra Theodorum celebravit, & Beatæ Virgini *Deipara*, nomen constanter asseruit.

Smyrna terræmotu prostrata multis mortalibus interfectis 1042 *Cedrenus.*

Anno 1349 Moravia, Bavaria, Pannonia

nia Dalmatia terræmotu miserabiliter concussæ, cum multarum urbium ruina. Romæ sanguine apud Veneris portam pluit. *Lycosth.*

Paris de Cæsaris Mantuanus legum professor, & insignis Astrologus, natus anno 1466 hora 8 m. 27 post mediam noctem.

XI.

Lugduni, S. Desiderius Episcopus & Martyr.

Ludi Generales Romæ per triduum Cal R.

Viatorum & Venatorum Romæ feriæ, pro securitate itinerum.

Gregorius II Romanus, sapientia, sanctitate, castimonia, liberalitate commendandus, fatis concessit anno Pontificatus 16 sæculi 732. Is imagines contra Rugitum Leonis Imperatoris acerrimè defendit, & paternam domum in S. Agathæ cœnobium consecravit, Gregorii I. non impiger imitator.

Elizabetha Henrici VII. Angliæ Regis uxor, Londini inter partus dolores, extremum vitæ spiritum exhausit.

XII.

S. Eulalia Virguncula magna tormentorum immanitate cruciata castimoniæ martyrii coronam junxit.

Andronicus Palæologus Imp. Orientis fatali horæ succubuit anno 1331. Morienti cum Eucharistiæ copia non esset, imaginem Deiparæ quam in sinu gerebat, in os inseruit, & ita excessit.

Sophia Regina Poloniæ coronata 1424.

Basileæ post longam civium agitationem Joannis Oecolampadii hortatu antiqua Religio nefarie abjurata 1529

Joanna ingeniosissima puella, Angliæ Regina contra Mariam electa, vi & jure superioris oppressa, miserabili spectaculo cum Dudlæo sponso securi percussa 1554

Haly filius Abenragel, Arabs, insignis & superstitiosus Mathematicus, nascitur anno Christi 356 hora 10 ante meridiem. *Iunctinus.*

XIII.

S. Agabus Propheta.

Noe tertiò columbam misit quæ non rediit, conjecturam afferens jam apparentis soli.

Eo die ab Hadriano Junio jejunium Estheris apud Judæos ponitur.

Fabii trecenti Viginti, bello simul omnes interempti.

L. Papyrius cursor de Samnitibus triumphavit.

Bela II. Rex Ungariæ cæcus, ebrietati nimis indulgens vino repente obruitur.

Balduinus Rex Hierosolymæ magno omnium Christianorum luctu moritur Regni 24 salutis 1162

F Jordanis, ordinis prædicatorum magister generalis, cùm ad convertendos Sarracenos esset profectus, in maris portu submersus.

Carolus Rex Ungariæ in arce Budensi pluribus vulneribus confoditur 1388

Anno 1645 pie inter amplexus Domini expiravit Cardinalis Rupefucaldus, vir omni laude major, & perfectum vitæ cœlestis exemplar.

XIV.

S. Valentinus Presbyter martyr sub Claudio.

Sanguineæ acies per totam cæli faciem in Gallia visæ. *Lycosth.*

S Henricus Imp. Romæ coronatus 1014 Onuphrius ponit ad diem 25. Aprilis.

Franciscus Rex Galliæ captivitate liberatus, cum Carolo V. pacem init.

Nuptiæ Henrici *III.* Gall. Regis.

XV.

XV.

Quidam jejunii Christi terminum eo die ponunt.

S. Faustinus & Iovita.

CAlendarium vetus R. eo die statuit Lupercalea festa, quibus expiari se putabat antiquorum superstitio.

Tyrus à Christianis obsessa.

Conradus III. Imperator Bambergæ ubi comitia celebrabat, fato functus.

Barbara Georgii Saxoniæ Ducis conjux, soror Sigismundi R. Poloniæ obiit 1534

XVI.

S. Onesimus quem B. Paulus Apostolus genuit in vinculis, & eximie dilexit.

JOvinianus in Perside extremum diem clausit, eo maximè commẽdandus quod Juliano Apostatæ subrogatus, Constantini magni Religionem palam professus tales esse omnes sibi subditos qualis esset, concupivit.

Honorius secundus papa decessit pius & eruditus, ipse quoque pietate & eruditione insignium virorum amicus & fautor. *Plat.* Successit Innocentius secundus quem S Bernardus throno asseruit 1130.

XVII.

S. Polychronius Babylonius Episcopus, & Martyr.

PArentalia anniversaria quibus gentiles Romani parentum manibus justa reddebant.

Sexta Synodus universalis Constantinopoli inchoata contra Monothelitas. quo unam tantum in Christo Voluntatem, unam operationem agnoscebant.

***

XVIII.

S. Simeon Hierosolymæ Episcopus crucem pro Christo subiit anno ætatis 120. ingenti Constantiæ miraculo.

CArolus Borbonius Princeps famosus in Gallia natus 1489. 40. minutis ante horam III. matutinam, is est qui Romam vivus expugnavit, mortuus cepit.

Quirinalia festa apud Ethnicos Romanos, quibus petulanti lascivia per vicos vagabantur, ut in Bacchanalibus fieri solet. Inde stultorum festum à plerisque nominatum, quorum infinitus est numerus.

Amalricus frater Balduini III Rex Hierosol. coronatur anno 1163. *Tyrius.*

Hierosolyma cum tota Palæstina à Friderico II. recepta, literæ transactionis inter ipsum & Sultanum publicè prælectæ 1229. *Aventinus.*

Martinus Lutherus notissimus Apostata, post concussum per nefariam hæresim orbem, Islebiæ ubi natus fuerat, cùm genialiter cœnasset, in somno apoplexia ut putatur, extinctus, magno ætatis Climacterico sexagesimo tertio.

Franciscus Guisius Heros, dum velut alter Judas Macchabæus infideles justis armis persequitur, & Aurelias obsidet, à Poltroto infimæ sortis viro, & præstigiis hæreticorum dementato, per insidias occisus est Interfector paulò post Parisiis discerptus homicidii pœnas luit.

Eodem die juxta calculum nostrum Maria Stuarta securi percussa.

XIX.

Mediolani S. Mansuetus cui mira suavitas morum nomen, non umbram nominis dedit.

CLodius Albinus qui orbe jactato, & à diversis Tyrannis cõcusso imperium Lugduni usurparat, à Septimio Severo spoliatus, & cum universa familia occisus

ſus crudeli vanitatis rerum humanarum exemplo. *Ælius Spart.*

Julius II. Pontifex militaris finem vivendi fecit, Leone ſtatim decimo in ſucceſſorem ſubrogato 1513.

Copernicus juxta Junctinum natus 1473 minutis 48. poſt 4. pomeridianam.

XX.

Tyri multi martyres animoſa conſtantia pro Chriſto coronati.

EZechiel Propheta fertur eo die multa de Judæorum calamitatibus vaticinatus.

Theodoſia uxor Romani Imperatoris Conſtantinopoli ſceptrum & vitam exuit 840

Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus moritur 1046

Martinus V. cujus electione gravis in Eccleſia tempeſtas quievit, vir prudens, eruditus, magnoque juſtitiæ zelo incenſus, ſupremum diem obiit anno ſedis *15.* volvente.

Jacobus Stuartus Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ conjux apprimè dilectus, ferali hæreticorum conſpiratione, per tormentarium pulverem ſublatus periit, magno Reginæ luctu, quàm hujus parricidii ream obſcœni nebulones infamare conati, ut Regnum eriperent, ſed ipſa victrix calumniæ, hæreſin in ſe conjuratam vincere haud quaquam potuit.

XXI.

Metis. S Felix Epiſcopus.

TErminalia ſacra Romæ juxtà antiquos ad terminandas lites.

Chriſtiani ingenti prælio ad Farfarum amnem ſarracenos ſuperarunt, anno 1097 *Sigebertus.*

Carolus Pulcher Rex Galliæ Coronatus 1321

Martini Buceri cadaver ante ſex annos magnificè ſepultum in Anglia effoſſum & exuſtum. 1557. *Surius.*

XXII.

Hierapoli in Phrygia. S. Papias.

HIeroſolymitanum templum die 3. menſis Adar poſt exilium Babylonis abſolutum, magna celebritate ſacrificiorum, & populi lætitia dedicatum, anno mundi 3447

Martini Lutheri corpus Islebia natali ſolo Witembergam translatum in templo Arcis ſepelitur. Putavere juſtitiæ humanæ ſubtractum, quod divina Nemeſis urgebat.

Julius III. Romæ moritur ſub quo Patriarcha Syriæ Siud nomine Eccleſiarum Orientalium Romam venit, obſequium præſtiturus. *Andreas Mazius.*

XXIII.

S. Sirenus Martyr apud Syrmium.

TArquinius ſuperbus Rex Roma à Bruto pulſus, anno Urbis 220. unde hic dies *Regifugium* dictus.

Juſtinianus anno 2. imperii, magnum Dei templum Conſtantinopoli terræmotu collapſum reſtaurare aggreditur *531.* *Cedrenus.*

XXIV.

S. Matthias.

ANno 1563. Franciſcus Dux Guiſius Metarum propugnator, Princeps pietate inſignis, & armis inclytus, in Deo feliciter obdormivit.

Joannes Picus Mirandulanus Aſtrologorum Judicum adverſarius exceſſit è vita, juxta Mathematicorum effatum anno ætatis 32. eodem die quo Carolus VIII. Florentiam eſt ingreſſus.

Clemens VIII. natus, felicis & celeberrimæ

berrimæ memoriæ Pontifex anno 1736

Carolus Flandriæ Comes. à conjuratis in æde S. Donatiani Brugensis miserabiliter occiditur.

Caroli V natalis.

Franciscus I. Galliarum Rex ad Ticinum capitur 1525

Eodem die Matthias Hunniades Rex Ungariæ fortissimus nascitur anno 1443

XXV.

S Tarasius pietate & eruditione clarissimus.

GEta Cæsar in matris gremio à fratre Antonino Caracalla immaniter occisus, fratricida postmodum pœnas sceleris luente anno 213

Valentinianus Joviniano mortuo apud Nicæam ab exercitu Imperator salutatur.

Joannes Austriacus natus 1547. hora 12 noctis.

XXVI.

S. Alexander Arii flagellum.

MOyses vir prodigiorum, legislator & Propheta maximus, in osculo Domini mortuus, in monte Nebo ætatis anno 120

Constantini Magni Imperatoris Natalis, qui & eodem die creatus Augustus anno 310

Philippus Augustus avus S Ludovici, vivente adhuc patre & urgente Dei zelo, Sabbatho Synagogam Judæorum ingressus, eamdem vastavit, & sequente anno omnes Judæos Regno excedere jussit. *Chronic. Franc.*

XXVII.

Hispali S. Leander.

LUdi Apollinares Romæ. *Kal. R.*

Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus deliciosæ vitæ magis quàm severitati Pontificum natus, Constantinopoli moritur anno 956

Romanus Argyropylus Imperator Orientis à Michaele Paphlagone uxoris adultero perfidiose & crudeliter occisus, qui deinde interfector, cùm forma esset eximia, fœdissimus hominum evasit.

Paulus tertius magnificus & Felix Pontifex, cujus authoritati nostra societas suos ortus debet, natus hora 17. quæ cadit in diem 28

XXVIII.

Lugduni. S. Romanus Abbas.

TArquinii & auxiliares Etrusci bello victi, quo in prælio Tarquinii filius, & Brutus libertatis assertor, mutuis vulneribus concidere anno urbis 246

Scipio Asiaticus de Antiocho Rege triumphavit anno Urbis 564. *Orosius.*

Heraclius Imperator antea bellicosus & felix, postea Monothelitarum tricis laboriose, & infeliciter implexus, imperii 27 Constantinopoli de vita excessit.

Raymundus Comes Tolosanus qui in expeditione belli sancti sub Godefrido inter proceres erat, magno omnium luctu extinctus anno 1105. *Tyrius.*

Caroli 7. Galliæ Regis natalis.

* * *

Dies.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
5.	Hora 6. cum dimidia.	Hora 5. cum dimidia.
9.	Hora 6.cum quadrante, & dimidio.	Hora 5.cum dimidia, & semiquadrante.
12.	Hora 6. cum quadrante.	Hora 5. cum 3.quadrantibus.
17.	Hora 6.cum semiquadrante.	Hora 5. cum 3. quadr. & dimidio.
21.	Hora 6.	Hora 6.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
2.	Hora 5.cum quadrante & dimidio.	Hora 6.cum dimidia, & semiquad.
6.	Hora 5 cum quadrante.	Hora 6.cum 3.quadrantibus.
10.	Hora 5 cum semiquadr.	Hora 6.cum 3.quadr.& dimidio.
14.	Hora 5.	Hora 7.
18.	Hora 4 cum 3.quadrant. & dimidio.	Hora 7.cum semiquadrante.
22.	Hora 4. cum 3.quadrantibus.	Hora 7.cum quadrante.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
5.	Horarum undecim.	Horarum 13.
9.	Horarum 11.cum quadrante.	Horarum 12.cum 3.quadr.
12.	Horarum 11.cum dimidia.	Horarum 12.cum dimidia.
17.	Horarum 11. cum 3. quadrantibus.	Horarum 12.cum quadrante.
21.	Horarum 12.	Horarum 12.

Dies.	Ortus siderum.	Occasus siderum.
	Hœdi oriuntur octavo Martii juxta Virgilium tempestuosi. Cornu Arietis or. mane die 25.	Die 27.spica Virginis occidit mane. Die 30. oculus Virginis occidit mane.

I.

Dedicatio templi Hierosolymitani post captivitatem Babylonicam.

Martyres XXVI. Romæ sub Claudio Imp. sagittis confixi in Amphitheatro.

ANnus Romuli ab eo mense inchoatus, sicut & ipsa Roma.

Comitia à senatu & populo acta. novus ignis in Aris Vestalium accensus, Laureæ renovatæ in fascibus Consulum.

Diluvio Græcia circa hunc diem vastata, tēpore Regis Ogygis, anno mundi 2190

Matronalia Romæ olim celebrata, quòd raptæ Sabinæ duas infestas acies diremissent, & patres atque cognatos maritis reconciliassent anno mundi 3215

Mensis hic apud gentiles Romanos sub tutela Minervæ, cui Quinquatrua celebrata.

Basilius Orientis Imperator laudatissimus vitam clausit anno 886

S. Ludovicus Massiliâ solvit cum tribus filiis, contra Sarracenos iturus anno 1270.

II.

Romæ SS. Iovinus, & Basileus, sub Valeriano.

SImplicius Papa obiit 482. sub quo Theodoricus Rex Vandalorum post multas Christianorum cædes à vermibus est consumptus *Onuph.*

Anno 1482. Maria filia Caroli Burgundionum Ducis famosissimi. Maximiliani conjux, moritur ex ulcere in femore, cum invincibili pudicitia medicorum manus detrectasset. *Eberus.*

III.

S. Asterius Senator.

S. Cunegundis uxor S. Henrici.

Christo parvuli oblati cum Discipulis diceret, sinite parvulos venire ad me.

GElasius Papa electus qui quatuor temporum ordinationes constituit.

Natalis B. Ruperti ex ordine S Benedicti, qui ex Idiota per apparitionem S Virginis evasit in scripturis eruditissimus.

Anno 1505. cessit fatis Clemens III. Pontifex vita & scriptis clarissimus.

P. Robertus Sotovellus Soc. Jesu, pro fide Catholica gloriosum agonem in Anglia consummavit.

IV.

S. Casimirus inter aulæ illecebras mira vitæ sanctimonia.

IEjunium Esther & triste festum Hebręis; nam hic dies destinatus fuerat cædi Judæorum, missis edictis Assueri in omnes Provincias, sed per Mardochęum & Estherem, Amani qui tam cruentam moliebatur tragœdiam, consilia discussa. *Kal. Iudaicum.*

Eodem die Judas Macchabæus Regis Antiochi copias fudit, interfecto Nicanore blasphemo duce, qui dira omnia populo Dei minabatur, anno mundi 3797

Pelagius Pontifex Romanus desiit in humanis, qui constituit ut Clerici septem horas canonicas quotidie obirent. *Platina* anno 566.

Clodovæus Rex Galliæ designatus. *Chronic. Franc.*

V.

S. Gerasimus Anachoreta ad ripam Iordanis, qui leonem mansuetum aluit, quem inscite fallacia nominis, S. Hieronymo pictores tribuere. Martyrol.

DIes lætitiæ Judæis quo Tyrannis Amani fracta, & libertas populo Dei restituta. Itaque soluto jejunio epulis indulgent, librum Estheris in Synagogis legunt, & quoties Amani nomen occurrit, pugnis & malleis scamna percutiunt.

Isidis navigium Romæ celebratur. *Calend. Romanum.*

Odoacer Rex Herulorum à Theodorico

co

co Gothorum Rege victus, & in palatio occisus. *Cuspin.*

Eusebii Historici mors 320.

Eleonora Francorum Regina coronata 1531

Supplicium Caraffarum sub Pio IV.

Anno 1588. Henricus Princeps Condæus morbo extinctus.

VI.

S. Conon sub Decio clavis pedibus confixus, ante Rhedam Imperatoris currere jussus, animam exhalavit. Martyrol.

ANtoninus Pius de vita excessit, Imperator omni laude dignus anno 160. Imp 23

Heliogabalus omni nequitia infamis Imp designatus, anno 221

Nicolaus V. electus, humilis genere, sed virtute conspicuus, qui doctos viros habuit in deliciis, & insignem Bibliothecam suis sumptibus Romæ adornavit. Anno 1447

VII.

S. Thomas Theologorum apex, & alterum post Augustinum sapientia miraculum, decessit in Monasterio fossa nova. scribēs in Cantica, cum ad Concilium generale quod Lugduni convenerat vocaretur.

TRajanus Imperator omnium optimus & felicissimus, finem imperandi & vivendi fecit, Anno Christi 119 Imperii 20. ingenti orbis Ethnici luctu, qui nihil in eo præter immortalitatem desideravit. Hunc de inferis ereptum, & cum sanctis assertum cælo. S. Gregorii precibus fabula vulgavit, quam Alphonsus Ciaconius probat, Baronius contemnit.

VIII.

Pusices insignis Architectus Saporis Regis Persarum, ob Christianæ fidei cōfessionē martyrio coronatus. An. 348 *Euseb.*

S. Arianus martyr cujus corpus in mare projectum Delphini detulerunt ad littus.

FRiderici III. magnificus in urbem Romam ingressus. Is est qui cùm Germanus esset vixit abstemius, & medicis suadentibus Eleonoræ ejus uxori, ut ad fœcunditatem obtinendam vinum biberet, dixit *malle sterilem, quam bibulam.*

Cælestinus II. obiit post V. mensem Pontificatus, qui primus excluso populo solis Cardinalium suffragiis electus, anno 1144

IX.

Quadraginta Martyres in lacu gelido fortissimum Agonem subiere.

DEpositio trium illustrium Confessorum SS. Cyrilli, Gregorii Nysseni, Paciani.

S. Franciscæ obitus Romæ celebris, ubi epulum publicum datur in ejus ædibus Novid.

Anno 1568. B. Aloysius Gonzaga societatis Jesu natus, voto Deiparæ Virgini à Matre nuncupato, cùm ægrè & jam desperata salute pareret: itaque per miraculum editus, qui miraculo omnibus per sanctimoniam fuit.

Eodem die obiit B. Catharina Bononiensis ordinis S. Claræ, magnum vitæ cœlestis exemplar, anno 1463

X.

S. Macarius Hierosolymæ Episcopus celeberrimi nominis, sub Constantino, & Helena.

MUlti martyres in perfide glorioso certamine coronati.

Alexander Papa eruditione & sanctitate clarissimus, sub Hadriano coronam martyrii adeptus, post multos nobiles Christo aggregatos. Is est qui usum Aquæ benedictæ frequentari inter Christianos jussit, & constanter vetuit, ne clerici ad sæcularia tribunalia vocarentur.

Natalis Dionysii Carthusiani viri sanctitate & scriptis celeberrimi.

Carthaginenses navali prælio antea intentato

tentato à Romanis victi, & insigni clade deleti.

Antoninus Heliogabalus Solis purissimi sacerdos impurissimus, omnium imperatorum propudiosissimus, cum regnasset juxta Lampridium ann.2.mens.6.à populo discerptus, & in Tiberim projectus anno Christi 223. *Onuph.*

P.Ogilbeus Soc. Jesu vir integerrimus, & constantissimus in Scotia pro fide occisus anno 1615

XI.

S Sophronius Hierosolymæ Episcopus.

LUcius Papa II. ausu nefario lapidatus à populo, cui officiales tollere decreverat, è vulnere moritur, anno 1145. *Onuph.*

Leo X nobilissimus Pontifex & innumeris dotibus cumulatus, eo die designatus, anno ætatis trigesimo.

Eleonora Regina Caroli V. soror, Francisci primi conjux, pie supremum diem clausit 1557

XII.

S Gregorius Pontifex vita, doctrina, & rebus gestis eminentissimus.

URbanus II. præclarissimus Pontifex qui tantam belli sacri molem primus sustinuit, & movit, hodie faustis avibus electus anno 1088.

Templariorum Magister Lutetiæ exustus, summo pontifice Clemente V. & Philippo Rege Galliæ summa vi conspiranti bus. Non defuere qui iniquo judicio per malevolorum artes oppressos crederent anno 1313

XIII.

S. Nicephorus XIV. annorum exul sub Leone Armeno.

S. Euphrasia, & Christina.

MAhumetes Dux & Pseudopropheta Sarracenorum, author immanis sectæ, quæ tantas orbi Christiano clades intulit, hodie desiit esse in vivis. Is triplici panno albo involutus in arca ferrea conditus anno 637. *Calcb.*

Anno 1492. Alexander VI. Hispanus multum famosus in historia, sedem Petri conscendit.

Carolus V. Imperator Francofurti per procuratores imperium electoribus resignavit 1558. *Onuph.*

Ingens prælium ad Jarnacum in quo Hæreticorum factio debellata anno 1569

XIV.

S. Eutychius Patritius Carris, in Mesopotamia, cum sociis à Rege Arabum pro fide occisus.

ANno 1551. in Saxonia Crucifixi imago per 4 horas sudat, omnibus spectaculo attonitis.

Pugna Juriaca in qua Henricus IV. Rex Galliæ de conjuratis hostibus victoriam ingenti gloria reportavit anno 1590

XV.

S Zacharias Papa Redemptor captivorum qui dialogos S. Gregorii Græce reddidit.

JUlius Cæsar Imperator à sexaginta conjuratis 23. vulneribus in senatu confossus, anno 42. ante Christum ætatis 56. Climacterico 8. ut notat Paulus Eberus. Hæc dies dicta parricidium Romanis, propter ingentes calamitates consecutas funestissima.

Valentinianus Imperator apud Viennam Allobrogum, dolo Arbogasti per immane scelus est interfectus, anno 391.

Attila Hunnus, flagellum Dei, post novas nuptias celebratas, & lætiora pocula, noctu erumpente ex naribus sanguine suffocatur, qui orbem cruore in tot cladibus impleverat anno 450.

P. Consalvus Sylveria vir rarissimæ sanctitatis,

ctitatis, in Æthiopia pro Christi fide interfectus anno 1561.

XVI.

S. Papa Martyr.

Athenienses Duce Themistocle ingentem classem Xerxis ad Salaminam navali prælio superarunt anno mundi 348?.

Euripides Poeta eodem die natus.

Lysander 77. annis post Salaminiam victoriam, Athenas cepit.

Tiberius Cæsar post diuturnam tyrannidem & mundi gementis suspitia, circa Neapolin in villa Lucullana sontem animam exhausit, imperii *23.* ætatis 78.

Roma à Gothis quartum capta sub Justiniano.

Balduinus IV. Rex Hierosolymæ mœrore animi ob civiles seditiones confectus anno 1185

Anno 985 Joannes XIV. in carcere moritur à Bonifacio VII. competitore captus.

Anno 1649. P. Joannes Brebeutius è Societate Jesu, consummatæ virtutis Athleta, in Canadensi missione per tres horas lentis ignibus cruciatus, Victorem Deo spiritum impendit.

FR. Vatablus, & Jacobus Tussanus linguarum professores, Lutetiæ mortui.

XVII.

Christus secedit in desertum Ephraim.

S. Ioseph ab Arimathia.

S. Patricius.

S. Gertrudis.

Anno Christi 180. Marcus Aurelius Antoninus Philosophus, Imperator sapientissimus, & integerrimus moritur de quo Dion scribit, ὅμοιος παρὰ πάντων ἐγένετο, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχεν. In omnibus sui semper similis erat nihil in eo fictũ fuit

Solymanus Turcarum Imperator celeberrimi nominis anno 1500 meridie nascitur.

Anno 1649. P. Gabriel Alemanus Societ. Jesu, magni ingenii, & rarissimæ pietatis Religiosus, agonem fortissimum consummavit, 15 horis summam vim ignium passus apud Hurones, à crudelissima Hiroquiorum gente.

XVIII.

Dies Archangelo Gabrieli sacer.

S. Alexander venerabilis Confessor.

S. Cyrillus Hierosolymitanus.

Evilmerodach Nabuchodonosoris filius Joachimum Judæorum Regem, quem in vinculis habebat, humanitate generosa liberavit, & secum honorifice habuit anno 37. transmigr.

Solyma à Tito capta anno salut. 73.

Templum Jovis in quo libri Sybillini servabantur, arsit sub Juliano. *Marcellinus*

Opilius Macrinus Imperator militari tumultu occiditur, anno 219.

Cometa horribilis primùm visus quem inauditi morbi, & casus graves sunt consecuti 1400.

Poltrotus ab equis discerptus. an 1563.

Henricus III. R. Galliæ natus anno 1555. hora 9. minut. 50. post mediam noctem. *Iunctinus.*

XIX.

S. Iosephus.

Christi cœna in Bethania. *Eberus.*

Equester ordo Athenis solenni pompa prodibat in publicum.

Phocion vir optimus, & techinis curialibus illibatus, iniquo judicio à suis popularibus qui Cassandro Regi favebant, oppressus cicutam bibit. *Plut.*

Quinquatrua Minervæ festa Romæ celebrata, quibus nefas digladiari, tum Minerval præceptoribus discipuli solvebant.

Philippus

Philippus Melanchton notissimus Lutheranæ sectæ antesignanus moritur anno 1560 ætatis 63

R.P.Petrus Cottonus qui Regi Henrico IV.Galliæ, & Ludovico XIII. à Confessionibus fuerat, vir maximis auctus Dei donis Lutetiæ decessit 1626. anno Climacterico 63

XX.

S.Ioachimus.

Christus in die palmarum triumphali pompa Solymam ingreditur. *Eberus.*

P. Ovidius Naso amœnissimi ingenii Poëta & calamitosæ fortunæ, eo die natus, Hircio & Pansa consulibus.

Eodem anno M Tullius Cicero Patriæ & eloquentiæ parens, vir omnium sæculorum memoria dignus, M. Antonii barbara feritate à cliente suo Popilio trucidatus, anno 40. ante Christum ætatis 63

Balduinus Godefridi frater Rex Hiesolymæ fatis cessit, anno imperii 18. salutis 1119

Gregorius IX. nominatissimus Pontifex, qui decretales ordinari jussit, electus. obiit 1241

XXI.

S.Benedictus maximi atque illustrissimi ordinis fundator.

Cælum creatum. Ficus sterilis à Christo maledicta.

GAlienus Augustus qui patrem Valerianum à Sapore Persarum Rege captum negligenter habuit, discerpto triginta Tyrannorum factione imperio, cum fratre & filiis occiditur, anno salut 271. imperii 15

Hoc inter summa vitia laude dignum habuit, quod Christianis paulò æquior, fuit, ut scribit Eusebius lib.7

Maximus Tyrannus sub Valentiniano Romæ occupat imperium, ingenio pavido & turbulento, sed post dies 77. dilaniatus pœnas sceleris dedit.

Anno 1551. Tres Soles, tres Lunæ, & septem Irides in Cælo suspiciuntur Magdeburgi. *Lycosth.*

Rodolphus in locum Henrici IV. Imperatoris depositi subrogatur, anno salut. 1077

Natalis Maximiliani Cæsaris filii Friderici III. anno 1459

Thomas Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis nefandus, sub Maria Regina combustus 1556

XXII.

Cœna Christi in domo Simonis Leprosi & unctio. *Eberus.*

S.Deogratias.

ANno 1084. Henricus IV. Imp. pulso in exilium Gregorio VII. Pontifice, à schismatico Victore coronatur.

Templariorum ordo prorsus extinctus à Clemente V. cum durasset annis 184.

Natalis S.Catharinæ Suedæ quæ S.Brigittam matrem habuit.

Lutetia Henrico IV. dedita, cujus exemplum aliæ urbes consecutæ iter paci fecere 1594

XXIII.

Christi Passionem & mortem Beda clarissimus author eo die ponit, quem omni ævo memorandum grandis sacrificii consummatio fecit.

PErsecutio Vandalica sub Hunnerico.

Julius II. P.M. moritur 1554

Isabella pacis Henrici II. filia nascitur 1545

XXIV.

XXIV.

S. Pigmenius clarissime videns cæcus, & fidei constantiâ nobilissimus.

NIcolaus v. moritur 1455. amantissimus Doctorum, & librorum avidissimus.

Mahumetes II natus, magno Christianæ rei damno quàm acerbe vexavit Constantinopolim anno ætatis 23. expugnavit, & res Græcorum plane evertit; tandem anno ætatis 57. adhuc viridis extinctus.

Quadragesimale jejunium à temporibus Apostolorum institutum S. Telesphorus papa constanti tenore jubet observari anno salutis 136.

Nicolaus III. Papa vita fungitur, quo sedente Vesperæ Siculæ contigere Francis funestissimæ.

Simon puer Tridentinus in odiū Christi passi, à Judæis ferali sacrificio crucifigitur 1477. *Sabellicus.*

Nuptiæ Francisci II. & Mariæ Stuartæ 1558.

XXV.

Dies miraculorum, quo Adam creatus, Dei filius carne nostra vestitus, & tandem passus à multis creditur.

S. Ioannes Baptista securi percussus, anno proximo ante Christi mortem.

HIlaria à Romanis celebrata propter auctam lucem & æquationem dierum cum noctibus, tum mulieres Veneri sacra faciebant.

Margareta Austriaca Philippi III. Hispaniarum Regis uxor eo die manibus propriis epulum præbere solita novem pauperculis mulieribus in honorem IX. festorum Deiparæ, cujus pietatem Isabella Clara Eugenia in Belgio postea imitata.

XXVI.

Christus anno ultimo conversationis suæ juxtà aliquos, ultra Jordanem existens, nuncium accepit de lethali morbo Lazari.

Romæ. S. Castulus hospes sanctorum.

ROmanus Imperator Græcus opera Zoes adulteræ uxoris, à Michaele Paphlagone aquis suffocatus, anno 1035.

Anno 1537. frigus ingens quo tactæ per totam Europam vites.

Anno 1571. Isabella uxor Caroli IX. Galliæ Regis coronata.

XXVII.

S. Ruperti Bavarorum & Noricorum Episcopi.

NOë tectum ab arca dispulit, & terram primùm vidit, nec tamen præpoperus egredi voluit: sed adhuc per 56. dies mandatum Dei expectavit.

Abraham verbo Dei credens filium sacrificare aggreditur.

Anno 2. post exitum de Ægypto Judæi in deserto tabernaculum erigunt.

Eodem die templum ab Ezechia Rege purgatum.

Esdras profectionem è Babylonica captivitate lætus orditur.

Megalesia sacra Romæ in honorem Matris Deorum, ab Ethnicis magna pompa celebrata.

Septimus Severus Imperator natus 171.

Phocas fera pessima, qui Mauritium cum filiis trucidari imperaverat, factione con-

tra Dominum detestanda, ipse occisus scelerum pœnas luit 611.

XXVIII.

S. Guntranus Rex Francorum.

ISraelitarum luctus ob Mosen ereptum supremæ vi necessitatis.

Saluti, Concordiæ, & Paci Romæ sacra fiebant, *Calend. Vetus.*

Otho Imp. natus, Neronis æmulus, anno Christi 33. *Junct.*

Pertinax Imp occiditur, anno 194. Corvus Romæ magnificis exequiis funeratus Christi anno 35 cum Dæmonis potestas per Evangelium eversa. *Eberus.*

Gregorius XI. suasu Baldi olim Præceptoris sui, & sanctæ Catharinæ Senensis, sedem quæ diu Avenioni hæserat Romam transfert 1378.

XXIX.

In Monasterio Luxoviensi depositio S. Eustasii Abbatis qui ferme sexcentorum Monachorum pater fuit. *Martyr. Rom.*

Stephanus III Pontifex creatus, adeò gratus Urbi, ut populi humeris portaretur ad thronum. Anno 752.

CLaudius Imperator ab uxore veneno sublatus, Neronem orbis facem successorem reliquit ætatis 44. Imperii 15. salutis 58.

Anno 1556. Cometes stella Lunæ dimidiæ æqualis, rutilanti crine apparere cœpit, & in medium usque Aprilem visus, quem tamen serenitas est consecuta. Lycosth.

Matthias Hunniades Heros fortissimus Rex Ungariæ coronatur, 1464

XXX.

In monte Sina S. Climachus vitæ sanctimonia, & Asceticæ institutionis peritia clarissimus.

AUrelianus Imperator violenta morte subductus anno 278.

Albertus dux Austriæ, Imperator creatus, 1438.

Henricus II. natus, 1519.

Cardinalis Borbonius Ludovici Principis Condæi filius in lucem editus.

XXXI.

S. Amos Propheta.

NEhemias cum literis Regis Artaxerxis, quibus facultas concessa templi ædificandi, Hierosolymam venit.

Natalis Constantini Magni huic diei adscriptus ab Hadriano Junio.

Titus Pomponius Atticus vir prudens & otio literario natus, anno 12. post interfectum Ciceronem amicum suum, placidè moritur ætatis 77.

Augustus Cæsar Antonium & Cleopatram ad Actium vincit, & bellis civilibus finem imponit.

Franciscus I. R. Galliæ post diu jactatam bellis, amoribus, & multis casibus adversis vitam, desiit esse in humanis, anno regni 32.

Anno 1521. piè obiit Philippus III. Annæ Austriacæ Reginæ Francorum, Pater.

***

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
2.	Hora 5. cum dimidia & semiquad.	Hora 6. cum quadrante & dimidio.
7.	Hora 5.cum dimidia.	Hora 6.cum dimidia.
12.	Hora 5.cum quadrante & dimidio.	Hora 6.cum dimidia, & semiquadrante.
16.	Hora 5.cum quadrante.	Hora 6 cum 3.quadrantibus.
20.	Hora 5 cum semiquadrante.	Hora 6.cum 3.quadr. & dimidio.
25.	Hora 5.	Hora 7.
29.	Hora 4.cum 3. quadrant. & dimidio.	Hora 7.cum semiquadrante.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
3.	Hora 4.cum quadrante & dimidio.	Hora 7.cum dimidia, & semiquad.
6.	Hora 4.cum quadrante.	Hora 7.cum 3.quadr.
11.	Hora 4 cum semiquadrante.	Hora 7.cum 3. quadr. & dimidio.
15.	Hora 4.	Hora 8.
18.	Hora 3.cum 3. quadrant. & dimidio.	Hora 8.cum semiquadr.
22.	Hora 3. cum 3.quadrantibus.	Hora 8.cum quadrante.
25	Hora 3.cum dimidia, & semiqu.	Hora 8.cum quadr. & dimidio.
28.	Hora 3.cum dimidia.	Hora 8.cum dimidia.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
2.	Horarum 12.cum 3.quadr.	Horarum 11.cum quadrante.
7.	Horarum 13.	Horarum 11.
12.	Horarum 13.cum quadrante.	Horarum 10.cum 3.quadr.
16.	Horarum 13.cum dimidia.	Horarum 10.cum dimidia.
20.	Horarum 13. cum 3.quadr.	Horarum 10.cum quadrante.
25.	Horarum 14.	Horarum 10.
29.	Horarum 14.cum quadrante.	Horarum 9.cum 3.quadr.

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
9.	Spica Virginis oritur Vespere.	14.Cauda Leonis occidit mane.
10.	Lyra oritur Vespere.	25.Cauda Scorpionis occidit vesp

I.

S. Macarius.

HIc mensis olim sub tutela Veneris, nunc S. Philippi.

Thargelia festa Apollini & Dianæ apud Græcos, Apaturia Veneri, sicut Vernalia Romæ, quæ virtus Crucis abolevit.

Fortunæ virili thure sacrificatum. *Kalend Rom.*

Tacitus Imp. obiit, Princeps justus, moderatus, frugi & bellicosus, qui sex tantum mensibus regnavit, *Orosius anno 274*

Roma ab Alarico post biennii obsidionem capitur, anno V.C. 1164

Justinus Imp. Justinianum adoptavit, & consortem imperii fecit, anno 507.

Longobardi cum Rege Alboino à Narsete vocati Italiam invadunt 568.

Normanni Ligeris ostia petulantius ingressi, Nannetum occupant, & passim cædibus operantur, Episcopo in Ecclesia, cum clero & grege trucidato anno, 853.

Bardas Cæsar impius, & flagitiosus, à Michaele, Imperatore cui prius indeliciis erat, interficitur 869.

Ætna mons terræmotu concussus, magnam vim ignium vomit, & viciniam ingenti vastitate populatur 1336.

Sigismundus Rex Poloniæ celeberrimus obiit anno ætatis 81. Imp 42.

II.

B. Maria Ægyptiaca inter pœnitentes fœmina spectatissima.

TItus Imp. humani generis deliciæ Regnum auspicatum anno Christi 81.

Balduinus II. Rex Hierosolymæ coronatus 1118. *Tyr.*

Joanna Philippi pulchri uxor, Regina celeberrima obiit anno 1304. Hæc Henrici Regis Navarri filia, & hæres, Collegium Navarrum à fundamentis excitavit.

Isabella Pacis Henrici II. R. F. filia Philippo II. Hisp. R. nupta hodie, nata 1546. hora 11. M. 43. P. M. *Iunctinus.*

III.

Templum sub Ezechia Rege expiatum.

DIes hic pacificus quo Rex Galliæ Henricus, & Philippus Hispaniæ, post viginti quinque annorum bellum pacem optatissimam iniere anno 1559.

Anno 1437. Lutetia contra Anglos à Carolo VII. recepta.

Incendium Vormatię magna ædificiorum & hominum strage, anno 1242.

IV.

Iesus in Bethania cœnat cū Lazaro. Massæus

DIes hic celeberrimus obitu S. Ambrosii Ecclesiæ doctoris, virtute, doctrina, rebus gestis clarissimi.

Nicolaus IV. Papa pius, eruditus, prudēs, ex ordine S. Francisci excedit è vita 1292.

Georgius Trapezuntius nascitur 1396. qui dente canino rodere Platonem aggressus, in triste, mendicum, & contemptum senium incidit.

V.

Israeliticus Populus duce Iosue Iordanem transit, Christus Hierosolymam ingreditur.

S. Ludovicus ad Pelusium captus à Sultano 1250.

Constantinopolis à Mahomete secundo fertur obsessa. 1433.

Matthias Hunniades Rex Ungariæ fortissimum adversus Turcas propugnaculum, Viennæ apoplexia moritur 1490.

Carolus V. Romā cum triumpho ingressus apud summū Pontificem, Paulū III. de re Christiana & rebus suis gestis disserit.

VI.

S. Xistus Papa & Martyr.

S. Celestinus Papa gloriosissimæ memoriæ, qui Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum damnavit, Pelagium fugavit, Ephesinam synodum celebravit. Mart. Rom.

SOcrates Philosophus excolendis hominum moribus hodie natus.

Antoni-

Antoninus Caracalla omni vitiorum genere infamis, vitam auspicatur quam eodem die post aliquot annos finivit, anno Christi 218.

VII.

Jesus in sepulturam unctus.

Sanctus Hegesippus Apostolorum temporibus vicinus, qui Ecclesiasticam à passione Domini usq; ad suam ætatem sermone simplici texuit historiam, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Martyr. Rom.

In Syria S. Aphrates qui Valenti Imperatori Ariano fortiter obstitit.

Romæ apud Gentiles, Apollinis Castoris & Pollucis natalis, quæ spectra numinum Christus virtute crucis abstulit.

Eodem die Plato natus fertur, Philosophus divini nomen adeptus, de quo S. Augustinus lib. 3. contra Academicos dixit. *Ita locutus est ut quæcunque diceret magna fierent, & ea locutus, ut quomodocunque diceret, parva non fierent.* Ajunt quoque illum natali die objisse anno ætatis 81. climacterico, novies noveno, qui sacer à Magis Persarum habitus.

Zeno Imp. Orientis decessit, Anastasio viro ambiguo successore relicto.

Amadeus Dux Sabaudiæ qui in Concilio Basiliensi fuerat electus, Nicolao V. Pontificatum cedit.

Carolus VIII. Ambrosię repentina morte extinguitur 1497.

VIII.

Alexandria. S. Ædesius, martyr Virginitatis.

S. Dionysius Corinthius scriptis, & vita clarissimus sub Commodo.

Anno Christi 73. Hierosolymis circa maximam aram templi, hora nona noctis tantum lumen effulsit, ut dies putaretur illuxisse. Portæ quoque clausæ sua sponte patuere.

Mahumetes II Imperium occupat Christiano nomini funestissimum 1453.

Calixtus III. Pontifex electus, bellum adversus Turcas ex voto quod ante Pontificatũ fecerat, suscepit, ac feliciter gessit.

Georgius Purbachius excellentis ingenii Mathematicus de vivis excessit, anno 1462.

IX.

Dominus hac nocte captus. *Massæus.*

S. Eupsychius qui fortunæ fanum evertit.

Acacius Episcopus Amidæ in Mesopotamia, qui vasa Ecclesiæ conflavit ad captivos redimendos.

Manna deesse cœpit Israelitis quo per 40 annos in deserto fuerant enutriti.

Josias repurgato templo solenne pascha celebravit.

X.

Ezechiel Propheta à Judice populi Israel quem de idolorũ cultu arguebat, apud Babyloniam interfectus. *Martyr Rom.*

S. Macarius Episcopus Antiochenus virtutibus & miraculis clarissimus.

Moses populum Israel 600000. virorum ex Ægypto educit.

Josue Urbem Hierico incipit circumire, eodem die Jordanem transit.

Severus Imperator natus.

Theodosii Junioris natalis.

Alexius III. fratre Isacio exacto imperium Constantinopolitanum occupat.

Maximilianus I. Aquisgrani Cæsar coronatus, allata Caroli magni corona.

Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis captus & in Galliam abductus 1500.

Anno 1586. Gregorius XIII. nunquam satis laudatus, ereptus rebus humanis.

XI.

S. Leo vita, scriptis, rebus gestis clarissimus, Attilam exarmavit, servavit Romam, Hæreticos prostravit, facem doctrinæ orbi terrarum prætulit.

Julii II. Pontificis copiæ ad Ravennam

à Ludovico XII. ingenti prælio concisæ anno 1512. die Paschæ.

Leo X. in eodem prælio captus, qui sequenti anno Pontifex electus, eodem die coronari voluit, ut dies ater in candidum mutaretur. *Iovius.*

Selymus Turcarum Imperator Bajazethe Patre per poculum extincto, parricidio Regnum adeptus 1512. *Iovius.*

Idem Alcairo capto, Sultanum mulæ imposuit, & tota urbe circumvectum ad primariam urbis portam suspendi jussit.

Venetiis tres soles conspicui in cælo visi.

XII.

Hodie juxta Massanum Christus resurrexit, devictis sathana, morte, & inferis.

Verona. S. Zeno Martyr.

LUdi Cereales per octo dies Romę celebrati. *Kal Rom.*

Manipulus novarum spicarum magna cæremonia tum apud Judæos deferebatur, & à sacerdote coram Domino elevabatur.

Stilico Alaricum celeberrima pugna vicit ipso die Paschatis quod Ecclesiæ non placuit. Alii ad diem 16 referunt ut Paulus Diaconus.

Constantinopolis à principibus occidius occupata, atque Balduinus Flandriæ Comes Imp. electus 1204. *Æmilius.* Catharina Medicæa nata 1519.

Claudius à Lotharingia Guisiæ Dux, Renati Regis Siciliæ filius, magnum Franciæ columen, suo fato extinctus, anno 1550 ætatis 54.

XIII.

S. Justinus inter Orthodoxos Ecclesiæ Patres antiquissimus, & eruditissimus, doctrinam martyrio consecravit, 154

S. Hermenigildus Levigildi Regis *Hispaniæ filius, optione* Regni *facta, martyrium elegit, ne fidem proderet.*

MOecenatis natalis studiosis omnibus ob amorem literarum & liberalitatem erga viros doctos apprimè carus.

Vesperas Siculas Chronicon Franciæ eodem die ponit anno 1281.

Carlomannus R. F. anno Regni 2. equi præcipitis impulsu moritur Compendii, relicta uxore prægnante.

XIV.

S. Tiburtius.

S. Ardelio minus.

Christus eo die à parentibus in templo disputans putatur inventus.

POmpejus magnus Hierosolymam occupans, in sancta sanctorum ingreditur, anno 15. antequam in Ægypto interficeretur.

Octavius Cæsar Antonium ad Mutinam vincit, eo prælio quo duo consules Hircius & Pansa Ciceronis amicissimi cecidere, & Respublica cœpit in suum exitium inclinare.

Hierosolyma à Tito obsideri cœpta, cùm ingens multitudo undique ad festum Paschæ convenisset, anno Christi 72.

XV.

S. Basilissa, & Anastasia.

POpulus Israel à mari rubro ducitur in desertum Sin, ubi in locis aridis per triduum orat.

Pipinus Caroli M. filius Rex Italiæ, & Ludovicus pius Rex Aquitaniæ coronantur. 781. *Onuph.*

Balduinus Constantinop. Imperator à Joanne Myso Balearium Duce prælio victus, & captus.

Emanuel Chrysoloras Græcarum literarum restaurator fato functus 1413.

Carolus VII. R. G. Anglos ingenti prælio in Normania vicit 1450.

Valdensium hæreticorum strages in Gallia 1545.

XVI.

XVI.

S.Fructuosus.

MUri Hiericho sub Josue cecidere. Augustus Imp. salutatus. *Hadr. Iunius.*

Leo IX. Pontifex ex animi ægritudine decessit, qui Normannos in Italiam contra Græcos vocavit; fuit integerrimæ vitæ, eruditionis conspicuæ, & profusæ bonitatis.

Magnam illam Stiliconis contra Alaricum victoriam plerique eo die statuunt, ut *Paulus Diaconus.*

XVII.

Diluvii initium. Pharao submersus diluculo.

Cistercii S.Stephanus Abbas.

FElicianus horrendo scelere Carolum Regem Ungariæ cum uxore, & liberis ad mensam interficere aggressus, cum omni sobole tollitur.

Baptista Mantuanus natus 1444.

Mare in Belgio inundatione horrenda à finibus suis egressum centum hominum millia perdidit 1446.

Martinus Lutherus Vormatiæ in comitiis generalibus de Religione disputat 1521.

XVIII.

S.Apollonius, & Eleutherius in martyrologio celebres.

AQuæ Maria dulcescunt *Iosue* 15.

Hierosolyma ipsis Paschæ diebus à Tito capta & deleta. Undecies centena hominum millia gladio aut fame absumpta centum, centum millia vendita, nonaginta millia dispersa, anno Christi 73.

XIX.

S. Paphnutius martyr Hierosolymis.

ANgelus Domini Danieli res magnas revelat de statu regnorum, de Rege Antiocho, & Antichristo.

Quidam apparitionem Domini in octava Resurrectionis exhibitam eo die ponunt.

Otho Imperator Neroniani luxus imitator, à Vitellianis militibus pressus mortem impendentem sua manu antevertit.

Philippus pulcher R. G. Flandros ad fanum Audomari ingenti clade profligavit.

XX.

S.Theodorus Trichinas.

MAuritius Imp. cum filiis à Phoca detestabili scelere occiditur.

Heraclius Imp. contra Cosroen profectus Persidem ingreditur.

Clemens V. qui sedem in Galliam transtulit, extinctus 1324.

XXI.

S.Anselmus, S.Anastasius Synaita.

NAtalis Urbis Romæ, eo enim die ædificari cœpta, cum Romulus aratro ejus mœnia designavit, anno 4. Olympiadis sextæ mundi 3211. ante Christum 751.

Palilia tum festa celebrata à pastoribus, qui palem Deam colebant.

Numa Pompilius princeps pacificus qui per annos 42. imperium tenuit, communi bono natus.

Diocletianus Imperator salutatus 284. Eodem die post aliquot annos abdicavit.

XXII.

Persecutio sub Sapore.

HOnorius Imperator Theodosii magni filius Princeps lenissimus excessit Imperii 15. sæculi 424. Alii melius ad 15 Augusti referunt.

Patiana Factio Florentiam ingressa, die dominico in templo, cùm salutis hostia in mani-

manibus sacerdotis elevaretur, Julianum confodit, & Laurentium vulnerat, sed is elapsus Pattanos vicit, & ad curiæ fenestras suspendit. 1478 *Volat.*

Alexander secundus, eruditionis & virtutum fama in summum Pontificem absens eligitur.

XXIII.

S. Georgius.

MAhometes immanis sectæ author, eo diè natus, qui Turcis est celeberrimus. Inde diem Veneris qui in hunc natalem incidit, superstitiose colunt. Et ab ista Era, initia ducunt annorum.

Brianus Rex Hiberniæ inter orandum occisus.

Berytus urbs maritima à Christianis occupata, anno I V.

XXIV.

Sanctus Sabas Ductor militum Romæ.

EO die famosissima urbs Troia, tot Heroum mater, tot fabularum argumentum, fertur à Græcis capta, Priamo Rege occiso, anno mundi 2785. Eberus refert ad 23.

Pharamundus primus Rex Francorum declaratus.

Nicolaus primus consummatæ virtutis papa electus, 858.

Eodem die Sixtus v. iniit pontificatum 1585.

Maria Stuarta Scotiæ Regina Francisco secundo nupta.

***

XXV.

Robigalia festa à Numa Rege sub antiqua Roma instituta, ad arcendam segetum rubiginem.

ALcibiades eximia specie, sed mobili ingenio Princeps, ab exilio Athenas revocatur.

Theodosius junior fato functus anno Imperii 27.

Natalis S. Ludovici 1215. Eodem die natus Gasto Borbonius, Princeps serenissimus, Ludovici XIII. frater anno 1608

Tripolis à Turcis expugnata, omnibus Christianis dira internecione deletis. 1289

Benedictus x. aliter XIII. Tolosanus ordinis Cisterciensis, laudatissimus papa, qui summum Pontificem nullos agnatos habere dicebat excessit è vivis Avioni in palatio quod ipse construi jusserat.

Sanctum Sacellum Parisiis ab Odone legato consecratum 1248.

Cruenta Conchini Marescalis tragœdia 1617.

XXVI.

Moses censum populi Judaici instituit.

S. Exuperantia. Trecis.

IOsue vir miraculorum obiit. *Eberus.*

Zorobabel soluta captivitate Babylonica cum suis in Judæam redux, novi templi fundamenta jecit.

Marci Antonini Imperatoris natalis, qui magnis virtutibus conspicuus, ostendit quid in throno Philosophia posset.

Lugduni ingens seditio ob novitatem sectæ Lutheranæ populis inculcatæ.

Gasto militiæ lumen & decus, post extinctum

tinctum cruenta morte juventæ florem, Mediolani magno omnium luctu sepelitur.

Joan. Fernelius Medicus excellentiss. obiit 1558.

XXVII.

S. Anthimus, martyrio coronatus fere cum toto grege. Nicomediæ.

Beatus Anastasius Papa vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis sancto fine quievit.

Horrendam cædem Juliani Medicæi à Pazziis, Illescas eo die ponit.

Otto IV Cæsar fato functus *1218.* qui clavum Imperii inter maximas tempestates tenuit.

XXVIII.

S. Dydimus qui Theodoram Virginem Christianam à persecutoribus in lupanar conjectam, commutatis utrinque vestibus mirabiliter eripuit. Ambo deinde martyrio coronati pium stratagema cruore sanxere.

Floralia festa Romæ instituta ex libris Sibyllinis, ut omnia bene deflorescerent. *Calend. Rom.*

Otho Imperator octavus nascitur.

Constantinus IV. Imp. Constant. electus Sarracenos impigrè vexavit & vicit; sed in fratres crudelis tantam gloriam infuscavit.

XXIX.

S. Catharina Senensis virgo celeberrima.

Decius Imperator insignis Persecutor Ecclesiæ à Gothis prælio superatur, & cum filio occiditur. Anno 3. Imp. Christi 254.

Arcadius Imp magni Theodosii filius in fata concessit. Anno Christi 409.

XXX.

Litania minor in Gallia instituta per Mamertum Episcopum Viennensem. Anno 464.

Hildegardis Caroli Magni uxor piè decessit è vita 783.

Enguerranus Marinçus longæ villæ comes, fiscique in Gallia præfectus peculatus reus furca suspenditur, 1314.

Diarium Anonymum ad hunc diem Senecæ viri incomparabilis mortem cum Ebero refert, & suprema verba quæ ipse hausto jam veneno scripsit, recitat.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite alias post hac, sollicitate animas.
Me procul à vobis Deus evocat, scilicet actis
Rebus terrenis, hospita terra vale.
Corpus avara tamen solennibus accipe saxis,
Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.

In credibile quod ait Eberus anno ætatis CXIV. excessisse: Accuratiùs expendenti invenietur anno vitæ 67. extinctus.

Lucanus acuminum & sententiarum vigore excellentiss. Poëta, eodem die à Nerone fertur occisus.

***

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
3.	Hora 4. cum 3 quadrantibus.	Hora 7. cum quadrante.
8.	Hora 4 cum dimidia, & semiquad.	Hora 7. cum quadrante & dimidio.
14.	Hora 4. cum dimidia.	Hora 7. cum dimidia.
19.	Hora 4. cum quadr. & dimidio.	Hora 7. cum dimidia & semiquadr.
25.	Hora 4. cum quadrante.	Hora 7. cum 3. quadrantibus.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
2.	Hora 3 cum quadr. & dimidio.	Hora 8. cum dimidia, & semiquad
6.	Hora 3 cum quadrante.	Hora 8. cum 3. quadrantibus.
9.	Hora 3 cum semiquadrante.	Hora 8. cum 3. quadr. & dimidio.
13.	Hora 3.	Hora 9.
17.	Hora 2. cum 3. quadr. & dimidio.	Hora 9. cum semiquadr.
21.	Hora 2. cum 3. quadr.	Hora 9. cum quadrante.
25.	Hora 2. cum dimidia & semiquadr.	Hora 9. cum quadrant. & dimidio.
30.	Hora 2. cum dimidia.	Hora 9. cum dimidia.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
3.	Horarum 14. cum dimidia.	Horarum 9. cum dimidia.
8.	Horarum 14. cum 3. quadr.	Horarum 9. cum quadrante.
14.	Horarum 1 .	Horarum 9.
19.	Horarum 15. cum quadrante.	Horarum 8 cum 3. quadrant.
25.	Horarum 15. cum dimidia.	Horarum 8. cum dimidia.

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
2.	Plejades oriuntur mane.	16. Scorpii Regalis occidit mane.
7.	Caput Centauri oritur Vesp.	18 Canis maior occidit Vespere.
12.	Caput Oloris oritur Vespere.	21. Oculus Tauri occidit Vesp.

I. Hie-

I.

Hieremias lapidatus.

S. Iacobus Apostolus mirabilis sanctimoniæ.

S. Sigismundus Rex Burgundiæ.

LAres culti apud Romanos Gentiles. *Kal. Rom.*

Ædes ab iisdem dedicata Majæ, sub nomine Bonæ Deæ.

Anno urbis millesimo sæculares ludi à Philippo Imp. celebrati ingenti pompa. Sed ut extrema gaudii sæpè luctus occupat, per lychnos nocturnos magna pars Urbis deflagravit.

Pipinus Rex Galliæ abdicato Childerico creatus, anno 751.

Saladinus à Templariis ad Acronem victus.

Cardinalis Turnonensis vitæ claritudine præcipuus obiit 1562. ætatis 73.

Pius V. sanctus Papa cælestium assertus choro 1573 ætatis 68 Pontificatus 7.

Anno 1472. sonitus campanæ ter in die, ad orandum pro Regno Franciæ institutus, urgente Lud. XI.

II.

S. Athanasius Athleta Christi toto mundo celeberrimus, qui magna fecit, & dura pertulit, factus tandem Arianæ hæresis triumphator

S. Antoninus ex clarissimo ordine Prædicatorum, doctrina & sanctitate notus.

ANno 1647. dies ater, & horribilis.

III.

In Thebaide S. Timothei & Mauræ conjugis, quos Arianus Præses post multa tormenta cruci jussit affigi, in qua novem diebus vivi pendentes constantissimum agonem consummarunt.

CRucis inventio à sancta Imperatrice Helena, quæ omnium Imperatorum in eo triumphos vicit.

Alexandri militis & Antoninæ Virginis, quam ille supposititius eripuit è lupanari. Ambo deinde præcisis manibus in ignem injecti.

Mahometes II. Turcarum Imp. expugnator Constantinopolis, imperii & mundi totius affectator, crudelissimus hostis Christianorum, cum tribus exercitibus in diversa missis rem & nomen Christianorum delere destinasset, ad urbem Bithyniæ trajiciens, colicis doloribus extinguitur, ætatis anno 58. die S. Crucis qui crucem pro ludibrio semper habuit.

Alexander V. ex celeberrimo ordine Franciscanorum florentissimus Pontifex, deces. 1410.

IV.

S. Antonia martyr altero brachio tribus diebus suspensa, & tandem exusta.

Tarsi, S. Pelagia in bovem æneum candentem inclusa.

S. Monica Mater luminum, & Princeps virtutum.

LUdi maximi Romæ per sex dies celebrati.

Terræmotus orbem multis in locis concussit 1198.

Anno 1309. excessit è vivis Carolus cunctator, Rex Neapolis rerum gestarum gloria clarissimus.

Anno 1639. dies grandinosus, & imbribus fœdus.

V.

Hierosolymis S. Maximi Episcopi & Confessoris, quem Maximinus Imp. effosso prius oculo & pede candenti ferro atrociter inusto, ad metalla damnavit.

Conversio & baptismus S. Augustini viri incomparabilis.

S. Hilarius Arelatensis doctrinâ & sanctitate celeberrimus.

ROma sub Clemente VII. à Cæsarianis militibus, Germanis, & Hispanis capta, & miserabili clade direpta, Carolus

rolus Borbonius summus copiarum Dux in ipso Urbis ingressu, glande ferrea trajectus extinguitur 1527. *Iovius.*

Anno 773 Desiderius Longobardorum Rex à Carolo magno debellatus colla submittit.

Casimirus Rex Poloniæ veneno interfectus 1194.

VI.

S Ioannes ad portam Latinam.

Natalis S. Ioann. Damasceni viri sanctitate & doctrina memorabilis.

Bergamenses ob immodica vectigalia, abdicato suo Principe, Venetis sese dedere.

Quidam eo die cladem Romæ ponunt quàm præcedenti alii adscribunt.

VII.

S. Stanislaus.

S. Flavia Domitilla genere & fide excelsa.

Usuardus hoc die ponit festum Gaudiorum Beatæ Virginis.

Titus primo Solymæ muro ardua operatione superato, partem Urbis occupat.

Otho primus Imperator laudatissimus in fata concessit.

Ludovicus Princeps Condæus natus 1530

VIII.

Apparatio S. Michaelis.

Joanna puella ingens Dei miraculum, urbem Aurelianensem sexto jam mense obsessam felicibus armis liberavit.

Alciatus Jurisc doctissimus vitam auspicatus 1492.

Stanislaus Hozius Cardinalis celeberrimus natus 1504. hora 4. min. 52. P. M.

IX.

S. Gregorius Nazianzenus vita ac eloquentia claritudine orbi notissimus.

Ezechias Rex celebravit primum Pascha, post longam in Israel intermissionem.

Ædes Deiparæ in Dalmatiam translata 1291

Lemuria nocturna sacra tribus noctibus alternis ad fugandos Lemures Romæ apud Eth[n]icos celebrata, qui nunc Dei nomine & præsidiis arcentur.

X.

S. Iob in terra Hus æternum patientiæ spectaculum.

Romæ sub Alexandro Palmatius consul cum uxore, & filiis, & domesticis 42. pro fide occisus. Eodem die passus Simplicius senator cum uxore & 68. de familia. *Martyr R.*

Claudii Cæsaris Natalis.

XI.

Hebræi veniunt in desertum ubi murmur populi, Coturnices datæ, manna pluit de cælo.

S. Anthimus fidei prædicator insignis sub Diocletiano ab Angelo Tiberis undis ereptus postea martyrium implevit.

Viennæ, S. Mamertus Rogationum institutor, aut restaurator.

Constantinopolis Urbis natalis cujus Thema à Valente Astronomo jussu Constantini magni descriptum.

Lotharius Ludovici Pii filius moventi & semper inquieto Princeps ingenio, à fratribus ingenti prælio victus ad fortliniacum anno 824.

XII.

Prima dies diluvii eo die à nonnullis ponitur.

SS. Nereus, & Achillæus nobiles. S. Domitillæ famuli.

S. Pancratius puer 14. annorum securi pro fide percussus.

Salamina in Cypro S. Epiphanius vita, & scriptis celeberrimus.

Constantinopoli S. Germanus Patriarcha qui Leoni Isaurico fortissimè pro imaginibus restitit.

Marti Ultori Romæ dies celebrati apud Ethnicos, ob cædem Cæsaris vin-

vindicatam. Nos concordiæ melius litabimus.

Carolus VIII. Neapolin triumphans ingreditur.

Sylvester II. Papa Othonis III. & Roberti Francorum Regis præceptor, qui ob profundam eruditionem Magus ab imperitis est habitus; hodie mortuus anno *1003*

XIII.

Pantheon in honorem Virginis & omnium sanctorum consecratum.

Apud Trajectũ S. Servatii Tungrensis Ecclesiæ Episcopi, ad cujus meritum omnibus demonstrandum cùm tempore Hyemis, omnia nix repleret sepulchrum ejus numquam operuit. Martyr. Rom.

In Palæstina S. Ioan silentiarius.

IUdæis hic dies festus ob gravissimam pestem olim sedatam.

XIV.

Tarsi S. Bonifacius & Aglae qui Amorem mirificè sanctificaverunt.

In Ægypto S. Pachomius.

S. Corona Martyr in Syria, inter arbores scissa, coronam sibi de cælo allapsam vidit

MOrs Henrici IV. Gallorum Regis victoriosissimi, & Clementissimi Principis, Galliæ luctuosissima, anno *1610*

Eodem die anno 1643 qui fuit Ascensioni Domini sacer, Ludovicus XIII. piissimus Princeps, in castello novo S. Germani mortuus, anno ætatis 42. Postridie Ludovicus XIV. Rex acclamatus, natus annos 4. mens. *8.* dies *9.* cui vota omnium populorum aspirant.

Margarita Navarræ Regina Henrici IV. conjux nata, 1553 hora *3* m. *56*. P. M.

XV.

S. Dympna martyr patrem interfectorem experta.

MErcurii Natalis.

Jovi Feretrio Romæ sacrum in quo scirpea simulchra de Põte sublicio in Tiberim projecta, quibus servari hominum capita cæci crediderẽ.

Decem-virorum seditio Romæ anno urbis 305.

XVI.

Antisiodori S. Peregrinus Vrbis Patronus.

Trecis S. Fidolus.

Burdegalæ Natalis B. Simeonis Stoc.

IOannes Maria Dux Mediolanensis in æde S. Godardi à conjuratis occisus *1411.* *Iovius.*

Egra Urbs Boêmiæ incendio deleta.

XVII.

Murmur Israel contra Moysen severè castigatum.

Pisis S. Torpes martyr in officio Neronis.

S. Restituta picata & ardenti navi imposita

Herbipoli S. Bruno Episc. & Confessor.

BAjazethus Imp. Turcarum salutatus, superbissimi ingenii Princeps, & crudelissimi ut qui fratricidio imperium adeptus: Postea captus à Tamerlane & in cavea circumductus, ingens theatrum vanitatis rerum humanarum orbi fuit.

XVIII.

S. Venantius puer 15. annorum martyr sub Decio.

TRoja eo die capta & incensa juxta aliquos memoratur.

Sigismundus Imp. Romæ ab Eugenio coronatur.

Francisci primi & Claudiæ nuptiæ.

Turcæ ingenti classe Melitam appellunt frustra tentatam, & impigrè defensam.

XIX.

S. Pudentiana filia Pudentis Romani senatoris.

CAlocerus & Parthenius præpositi cubiculi Imperatricis, uxoris Decii.

B. Petrus de Morono Cœlestinus v. qui Tiaræ summi Pontificis solitudinis amorem prætulit.

B. Yuo Brito sanctimonia morum, & justitiæ flagranti studio conspicuus.

Judæi hodie panes duos Novarum frugum in primitias offerebant.

Joannes xxi. ex ruina conclavis Viterbii oppressus.

Anna Bolenia omni genere infamis jussu Henrici viii. Angl. R. securi percutitur.

XX.

Romæ S Basilissa ex Regio genere, gladium Martyris coronæ prætulit.

S. *Bernardinus Senensis Evangelica tuba per totam Italiam clarissimè insonuit.*

S. *Plautilla Flaviæ Domitillæ mater.*

MAria soror Moysis contra fratrem murmurans, lepra percutitur.

B. Andreas de Chio per ix. dies à Mahumetanis excarnificatus.

P. Bembus Cardinalis eruditiss. natus 1470. meridie.

XXI.

Ascensio Christi à plerisque hodie ponitur ut à Massæo.

VAlens Episcopus cum tribus pueris necatus.

Agapetus pius & fortis Papa Constantinopoli moritur 535.

Eo die Judæi à Tito circumvallati.

Ludovicus pius Imp. Caroli magni filius decessit, rarissimo patientiæ & mansuetudinis spectaculo.

Draco igneus Lucernæ Heluetiorum volare visus 1499. quem bellum Suevicum consecutum.

Philippus Hispaniarum Rex Caroli V. filius nascitur 1527. hora 4. pomerid. min. 15.

Hermolaus Barbarus Aquileæ Patriarcha florentissimus natus Christi 1453. hora 12. minut. 45. P. M.

XXII.

S. *Basilicus martyr, ferreis crepidis, & clavis igneis calceatus.*

NOë de arca egrediens sacrificium offert, & arcum in nubibus videt.

Hierosolymis ignei currus, & armatæ acies visæ anno 72 quo urbs deleta.

Constantinus magnus instaurata in imperio Christiana Religione, & prostratis undique hostibus, piè in Christo moritur, anno imperii 31. ætatis 66. salutis 337. *Onuph.*

Guaguinus Minister Generalis ordinis S. Trinitatis, & historiographus decessit 1501.

XXIII.

Apud Lingonas Passio S. Desiderii Episcopi fidelissimi pastoris, qui se pro grege suo furori Regi Vandalorum obtulit.

HIeronymus Savanorola concionator ardentissimus, totius olim Italiæ oraculum, dum res status nimis præsaga mente versat, potentiorum factione oppressus, suspensus cum duobus sociis exuritur.

Mahometes ii. Rhodum appellit, & per tres menses frustra tentatam terra marique obsedit 1474.

XXIV.

S. *Manahen Herodis tetrarchæ collectaneus Doctor & Propheta sub gratia novi testamenti obdormiunt in Domino*

S. *Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis.*

S. Mele-

S.Meletius Dux militum.
S.Vincentius Lirinensis.

OTto III. Imp. coronatus anno ætatis 7. tota vita variis bellis jactatus, victus in Italia, & captus à Piratis, à quibus ex incognito redemptus, tandem suo fato, sed magno rerum humanarum tædio mortuus.

Victor III. Gregorii VII. successor dum in Henricum Imperatorem fulminat, ab eo venenato calice potus. Sedis anno 2. currente, salutis 1088.

Clades Atheniensium ad Syracusas.

Anno 1483. Eduardus V. Rex Angliæ anno ætatis XI. ab avo cum fratre occisus.

Franciscus I. Rex animi ingentis, nec fortunæ paris, ad S. Dionysii sepelitur.

XXV.

S.Urbanus sub Alexandro Severo mart.
Trecis, S. Leonis Confessoris memoria recolitur.

S. Gregorius VII. Papa post ingentes procellas in quibus Clavum Ecclesiæ jactatus licet, semper tenuit, Salerni moritur.

Fortunæ sacrum Romæ.

XXVI.

Athenis: S Quadratus, qui Hadriano Imperatori Apologiam pro Christiana Religione obtulit.

PHilippus Nerius Congregationis Oratorii fundator, virtutibus & miraculis clarissimus.

Regifugium alterum Romæ.

Basilius Macedo Imperator, è mancipio terrarum dominus effectus, provide imperium per annos XX. administrat, suisque posteris transfert. Tandem à cervo inter venandum læsus moritur.

Bruno Herbipolensis Episcopus ædificii ruina obruitur.

Paulus III. Papa magna pompa coronatus, Ecclesiæ clavum insigni majestate tenuit.

Georgius Ambosius Cardinalis qui moderatè & feliciter Regnum Galliæ sub Ludovico XII. administravit, fatis concessit, anno 1510. ætatis 50.

Clemens VII. natus 1478. hora 10 min. 30. post mediam noctem.

XXVII.

Hebræi veniunt ad montem Sinai.

S Ioannes summus Pontifex, qui sub Theodorico Rege Ariano, pro fide longo pædore carceris maceratus, spiritum victorem Deo reddidit.

DEpositio Venerabilis Bedæ sanctitate & eruditione clarissimi, qui anno ætatis nonagesimo quarto usque ad extremum vitæ spiritum scribens placidissimè mortuus est.

Hic dies apud Gentilem Romam HONORI, OPI, VIRTUTI sacer erat, quibus solenni ritu sacrificabatur. Nos in Deo hæc omnia reposita veneramur.

Ibidem fortunæ publicæ templum dedicatum ab iis, qui erga populorum salutem bene affecti.

Ludovicus XII. magno cunctorum plausu Rex Galliæ salutatus, de carcere prodiens in Regnum, in quo patrem egit suavitate morum, & beneficentia erga subditos præcipuus.

Philippus Valesius eodem die coronatus anno 1328.

Ingens terræmotus totam fere Germaniam concussit 1277.

Anno 1564 Joannes Caluinus Hæresiarcha, Religione scissa, perturbata Ecclesia cal-

sia. calcata dominatione, per septennium cum feralibus morbis conflictatus, sontem animam Genevæ exhausit.

XXVIII.

Lutetiæ S. Germanus Episcopus & Confessor.

S. Heliconis martyr dirè cruciata.

MIsenæ templum Ecclesiæ Cathedralis igne cælesti absumptum, eodem die quo canonici hymnum S. Ambrosii & Augustini ovantes cecinerant.

Titus Vespasianus Imperator obiit anno imperii 3. ætatis 42. salutis 83.

Margarita Satisberiensis ex Regia Anglorum familia, Henrici VIII. Regis jussu, capitali supplicio affecta.

David Cardinalis Scotus ad fenestram sui castri in habitu, à furentibus hæreticis suspensus 1546.

XXIX.

Theodosia Mater S. Procopii quæ filium ad mortem persecuta. Christo tandem manus dedit, & coronam Martyrii obtinuit.

S. Maximus Trevirensis, qui S. Athanasium exulem tamquam de cælo missum excepit.

MOses de monte descendit ad populum, quem Tituli aurei scelere irretitum gravi animadversione punivit.

Constantinopolis post longam obsidionem à Mahomete II. tertio impetu capitur. ipso die Pentecostes, 1452. ut Græcorum error contra spiritum sanctum, ipsius festo die vindicaretur.

XXX.

Dei descensus in montem Sinai.

Basilius & Eumelia S. Basilii parentes pro fide extorres in pace quieverunt.

TErræmotu Urbs Acconensis cum Regio palatio corruit.

Tyris & Tripolis pene subversæ anno 1202.

Ferdinandus III. qui Cordubo Mauros expulit, diem supremum obiit.

XXXI.

S. Petronilla.

Eo die putatur sanctus spiritus descendisse in Apostolos. Massæus.

IOanna Puella ab Anglis iniquissimo supplicio affecta: post cineres à Calixto III. Papa solenniter absoluta, omnibus sæculis nefarios judices damnatura 1431.

Mors inclyti Rollandi in Pyrenæis.

Anno 1434. obitus Wladislai laudatissimi Polonorum Regis.

Solennis supplicatio Parisiis, cui Franciscus I. interfuit, & imaginem Deiparæ ab hæreticis sublatam, & deformatam suis manibus in suum locum retulit.

* * *

Dies.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
3.	Hora 4.cum ſemiquadrante.	Hora 7. cum 3. quadr.& dimidio.
22.	Hora 4.	Hora 8.

Dies.	Crepuſculum matutinum.	Crepuſculum veſpertinum.
6.	Hora 2. cum quadr. & dimidio.	Hora 9.cum dimidia,& ſemiqu.
16.	Hora 2.cum quadrante.	Hora 9.cum 3.quadr.
28.	Hora 2.cum quadr.	Hora 9.cum 3. quadrant.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
3.	Horarum 15.cum 3.quadr.	Horarum 8.cum quadrante.
22.	Horarum 16.	Horarum 8.

Dies.	Ortus &	Occaſus ſiderum.
4.	Oculus Tauri oritur mane.	16.Caput Meduſæ occidit Veſperi.
6.	Aquila oritur Veſperi.	20.Bootes occidit mane.
18.	Procyon oritur Veſperi.	

I.

Pamphilus Presbyter & Martyr vir ad mirabilis sanctitatis, & doctrinæ, circa annum 38 quo collegit instructissimam bibliothecam.

In monasterio Lirinensi S. Caprasius Abbas.

HEca tombæa festa Soli Athenis sacra. Romæ tempestati eodem die delubrum positum. Ita sine ratione, sine lege, cultus Antiquorum fuit: Nos lucem veneramur inaccessibilem, qua Christus mundum illuminavit.

Didius Julianus Imperat. occisus, qui imperium mercatus, septem tantum menses tenuit, & plorans reliquit 194.

Acrona Urbs Syriæ à Sarracenis expugnata, triginta millibus Christianorum tristi spectaculo peremptis 1290.

Anno 1639. Ecclipsis Solis hora 5. Vespertina.

Anno 1146. Eugenius Papa III. Aram primariam montis Martyrum in honorem S. Dionysii Areopagitæ Eleutherii & Rustini dedicavit.

II.

SS. Marcellinus & Petrus Martyres securi percussi in Sylva nigra, quæ postea candida nomen habuit.

S. Erasmus Lucridinus in Campania Episcopus dirè cruciatur.

LUgduni multi martyres gloriosum agonem consummarunt, inter quos S. Blandina, sexu infirmior, corpore imbecillior, conditione dejectior, mira edidit constantiæ exempla sub Marco Aurelio, Antonino, & Lucio Vero.

Roma ab exercitu Henrici III. subito est occupata, summo Pontifice Gregorio VII. in fugam acto, qui supra ruinas suas erectus stetit.

Gregorius XII. abdicat Pontificatum in concilio Constantiensi anno 1415. ut pax Ecclesiæ redderetur, qui paulò post mœrore est extinctus.

III.

S. Clotildis Regina sanctissima, quæ marito ad fidem converso totam Galliam sanctificavit.

ANtiochia Syriæ à Godefrido expugnata. *Tyrius lib. 6. c. 23.*

Turcæ ingenti apparatu arcem Hermetis in insula Melita frustra oppugnant, ubi octingenti Janissarii cæsi. 1565.

Carol. III. Rex Neapolitanus ad Albam Regalem regio diademate coronatur, paulò post à Regina Elizabetha vidua Budam invitatus inter epulas atroci funere occiditur.

IV.

S. Quirinus molari saxo ad collum appenso, in flumine supernatans, populum Episcopus hortabatur.

S. Optatus Episcopus in Numidia doctrina & sanctitate conspicuus.

PHilippus Augustus Galliæ Rex Othonem Imperatorem & Anglos memorabili prælio vicit anno 1214

Laura Petrarchæ Versibus celebrata nascitur 1314. mortua anno ætatis 34.

Leo VI. Imperator moritur. Hic Philosophi nomine clarus, imperium inter summas difficultates prudenter administravit. Tanta fuit curiositate in exploranda fide militum, ut noctu ambulans mentito habitu, à vigilibus capi se, & pugnis tractari non abnueret; erogata deinde pecunia iis qui illum ex incognito in carcerem miserant.

Lutgardis Regina uxor Caroli magni Turonis decessit, anno 800.

V. Tyri

V.

Tyri S. Dorotheus sub Diocletiano multa passus, martyrium sub Iuliano consummavit.

S. Bonifacius Moguntinus sanctimonia vitæ & Apostolica prædicatione celeberrimus.

IN Hispania Sancius adolescens martyr. Fidei sacrum Romæ.

Spartani à Thebanis ad Leuctram ingenti plaga perculsi, & post tot laureas occisi anno mundi 3577.

Constantinus Ducas Imperator pius & justitiæ amans, cùm propter avaritiam in odium & contemptum venisset, gravissimè vexatus à Turcis moritur 1067.

Clemens V. electus, qui sedem Avenionem transtulit.

Comes Egmundus & Philippus Horniæ, jussu Albæ ducis præcipiti rigore securi percussi Bruxellis, ingens theatrum multis tragœdiis aperuere anno 1568.

VI.

S. Philippus unus è primis Diaconis, Pater trium Prophetissarum.

Vesontione, S. Claudius Episcopus.

MOses ascendit in montem Sinai, ubi per 40. dies cum Deo felix contubernium habuit.

Alexandri magni natalis anno mundi 3610.

Eadem nocte Ephesi operosissimum Dianæ templum tot Regum opus conflagravit ante Christum anno 354.

Julianus Imperator in expeditione Persica infeliciter occubuit anno 366

Neapolis per aquæ ductus ab Alponso Arragonum Rege capta 1442.

VII.

Natalis S. Pauli Episcopi qui à Constantio Imperatore Cucuzum relegatus, ibidem ab Arianis strangulatus.

TRoja juxta Glareanum eo die à Græcis capta.

Punico bello consternati Romani Menti delubrum posuere.

Hierosolyma à Godefrido oppugnari cœpta 1099.

Anno 1322. Blancha filia S. Ludovici moritur in monasterio Franciscanarum S. Marcelli, ubi post obitum conjugis piissimè vixit.

Natalis Regiomontani, 1436.

VIII.

Hebræi duos panes primitiarum eo die offerebant.

Aquis in Gallia S. Maximini discipuli Domini.

S. Calliope pro fide mammas abscissa.

S. Syria.

SS. Gildardus & Medardus fratres.

ISaac Comnenus Græcorum Imperator salutatus 1059. Is Patriarcham per quem malis artibus imperium invaserat, relegavit; ipse quoque inter monachos professus abdicavit, & Empusæ seu spectri terrore mortuus fertur.

IX.

S. Pelagia Virgo & martyr Antiochiæ.

Natalis S. Cyrilli.

FOrtunæ apud Romam Gentilem sacrum, Eo die Asini coronati, & panibus onusti circumducebantur per Urbem, quiescentibus molis, & pistorum furnis.

Placuit victori gentium populo non solum

lum hæc facere, sed fastis condere, ita levis & cœca superstitio est.

Clades M. Crassi apud Parthos ante Christum annis 50.

Godefridus Nicæam Bithyniæ urbem expugnat.

Piè in Brasilia obiit P. Josephus Anchieta Societ. Jesu, sæculi sui Thaumaturgus 1597.

X.

Petra in Arabia S. Asterius multa ab Arianis passus.

S. Oliva anno 13. ætatis in exilium pulsa, inter feras diu delituit, & tandem martyrio coronata.

Getulius clarissimus & doctissimus martyr sub Hadriano.

S. *Margareta Virgo* Scotia, *amore in pauperes illustris.*

Concordiæ ædes Romæ posita.

Nero interfectus anno Christi 68. imperii 14.

Fridericus Barbarossa post longam cũ Alexandro III. concertationem, & inspe ratam reconciliationem, vorticibus fluvii absorptus. Imp. 37. in ipsa expeditione belli sancti 1190.

Catharina Medicæa R. Galliæ ad S. Dionysium coronata 1549.

XI.

S Barnabas.

Translatio S. *Gregorii* R*omam.*

Constantinus Imperator monomachus dictus à digladiandi libidine, inter acclamationes Imperii Zoen uxorem ducit.

Anno 378. Valens cum exercitu Constantinopoli discedit malis avibus contra Gothos profectus, à quibus vincitur Christi desertor, & in tugurio pastoris in quod perfugerat, comburitur.

XII.

In Ægypto S. Onuphrius Anachoreta qui sexaginta annis in Eremo vixit, viso nemine.

Maximus Imperator occidentis qui Valentinianum Principem suum nefaria proditione dejectum interfecerat, ipse à Vandalis Roma capta discerpitur.

Adrianus Turnebus, vir eruditissimus Lutetiæ obiit 1565.

XIII.

S. Antonius de Padua qui pro rebus deperditis invocatur, & colitur à multis. Is Rosario tectus ingentem vim imbris evasit.

S. Felicula Virgo pudicissima à Flacco sollicitata ad nuptias, cum renueret, sævis cruciatibus torta in Equuleo spiritum exhausit.

S. Aquilina Virgo quæ annos 12. nata sub Diocletiano Imperatore, ob fidei confessionem candentibus subulis perforata, Virginitatem martyrio consecravit.

Romæ Gentili Musarum natalis, Poëtis, & Musicis festus.

Heliogabalus Imperator creatus.

Rotrudis Virgo Caroli Magni filia Leoni IV Constantini & Irenes filio desponsata ante matrimonium moritur, anno 810

Anno 1114 in Italia sanguine pluit.

Anno 1604. Sichemii in monte acuto sacellum Beatæ Virginis sacratum, cujus miranda prosequitur Lipsius.

Anno 1561. Ludovicus Princeps Condæus judicio senatus Parisiensis absolutus, è carcere liberatur.

XIV. *Or-*

XIV.

Ordinatio S. Basilii inter Patres Græcos celeberrimi.
S. Elisæus Propheta miraculorum patrator eximius.
S. Methodius sacrarum imaginum propugnator acerrimus.

XErxes Persarum Rex cum ingenti exercitu Græciam deglutire parans, ad Thermopylas victus.

Attila Gallia sui nominis terrore completa, Aurelias occupat, brevi in Catalaunicis campis fusus.

XV.

In Lucania S. Vitus, Modestus, & Crescentia.
Palmyræ S. Eutropia 12. annorum Martyr.

NIcænum Concilium cœptum, anno 324.

Concilium Basileense post annos XI. finitum 1442.

Ungari ingenti prælio ab Austriacis victi, in quo Fridericus Archidux Victor occubuit.

Anno 1467. Philippus Bonus Dux Burgundiæ, erga Beatam Virginem pius, & in Ecclesiam beneficus supremum diem clausit.

Anno 1341. vita fungitur Imp. Andronicus junior pietate insignis.

XVI.

S. Iulitta & ejus filiolus triennis ad gradus tribunalis allisus.
Moguntiæ Passio S. Aurei & Iustinæ sororis, cæterorumque martyrum qui à Hunnis Germaniam diripientibus in ipsa Synaxi sunt trucidati.

S. Lutgardis, cui Deipara veste scissa apparens, *Ecce*, inquit, *iterum ab hæreticis Albigensibus crucifigitur filius meus*. Inde ad avertendam Dei vindicis iram, septem annis jejunavit.

S. Bruno ex illustri Saxonum sanguine Monachus, ex Monacho Pontifex Misniensis, innumeris miraculis clarus, templi sui claves quas in Albim Romam proficiscens dejecerat, in pisce recepit.

XVII.

Romæ sub Diocletiano martyres 262.

CArolus Dux Burgundiæ ab Helvetiis ingenti prælio victus 1476.

B. Raynerus Pisanus cui cum satis sobriè prandenti vespa linguam aculeo perfodisset, nihil ex eo tempore præter panem & aquam ad victum adhibuit.

Anno 1278. Treviris ducenti ferme submersi qui in Ponte choræas ducebant, irriso sacerdote, à quo sacramentum deferebatur.

Anno 1644. Parisiis hora 4. mane tonitrua horrenda, & ædes magna B. Virginis tacta de Cælo.

XVIII.

SS. Marcus & Marcellinus fratres.
Burdigalæ S. Amandus.

ALexander Magnus veneno extinctus anno ante Christum 324.

Cælestinus V. Papa moritur.

In Pago Brabantino S. Maria dolorosa, quæ Virginitatem cùm vovisset, impudicum procum aversata, inde ab eo furti accusata, & sude transverberata defoditur.

Mox claruit miraculis, & calumniator damnatæ in rabiem actus, post annos 7. ad ejus tumulum sanatur.

XIX.

S. Gervasius & Protasius.

S. Romualdus Camaldulensium fundator.

S. Bonifacius ejus discipulus, Russorum Apostolus, & martyr.

OLim Palladi sacrum Romæ. Anno 1205.

Poloni Russos ingenti clade superarunt.

Leo III. Iconomachus moritur.

B. Michelina Pisauriensis, unico quem unice diligebat filio orbata, statim omnia abdicavit, vitam supereminentem ingressa.

XX.

Pluviæ diluvii hoc die cessavere.

Sylverius Papa à Belissario captus, & in exilio mortuus.

S. Chrysostomus in exilium actus.

LUdovicus Pius Metis sepultus, anno 840.

Godefridi ad Antiochiam memorabilis victoria.

Anno 1471. Romæ ad radices montis Capitolii imago deiparæ Thaumaturgis, unde templum Dominæ nostræ de consolatione dicatum.

XXI.

S. Eusebius Samosatenus Episcopus, Arianorum hostis acerrimus, qui cum sub Cõstantio Ecclesias militari habitu visitaret, tempore Theodosii tegula, ab Ariana muliere occisus fertur.

S. Leufridus Abbas.

RHodus frustra à Turcis obsidetur 1480.

Navarrus juris canonici oraculum decessit, anno 1586.

B. Aloysius Gonzaga genere, sanctimonia, & humanitate morum præcipuus, Romæ piè obdormivit in Domino, anno 1541.

Eduardus III. Rex Angliæ inter grandes belli contra Galliam apparatus extinguitur 1377.

XXII.

S. Paulinus Nolæ Episcopus, elegantissimè ingenii, & vita integerrima pauperibus dives, & copiosissimè sanctus, somno justorum requievit.

IN monte Ararath Passio sanctorum Martyrum decem millium crucifixorum.

Fides orthodoxa in Nicæna Synodo confirmata.

Constantinus Copronymus Princeps fœdus, & omni genere maculosus, Imp. electus.

Philippus Imp. Friderici filius, post phlebotomiam quiescens, in castro Bambergensi, à proditoribus interficitur 1208.

Maria Brabantiæ uxor Philippi pulchri coronata.

Innocentius V. Burgundus ex sacra S. Dominici familia summus Pontifex moritur anno 1276.

Isabella pacis Henrici II. Galliarum regis filia, Philippo secundo Hispaniarum Regi solennibus tædis nubit.

Joannes Ficherus Episcopus fidei propugnator invictus, sub Henrico VIII. martyrium consummavit.

XXIII.

Zeno & Zena servuus ejus, Domini catenam exosculans, & in martyrii societatem petens admitti.

Hodie defunctum S. Ioannem Evangelistam asserit Cardinalis de Vitriaco.

B. Maria de Ognies quæ quotidie centies flexis genibus orabat.

Victo-

Victoria Hannibalis ad Trasimenum lacum Romanis funestissima.

Otho magnus Romam armato milite ingressus Joannem XII. infami vita jam prostratum,& desertum,de sede Petri exturbat,anno 964.

Anno 1298. Adolphus Imperator ab electoribus ob scelera & flagitia depositus. deinde ab Alberto ejus successore in prælio occisus.

Baiazethus Turcarum Imperator moritur, vita sævus & fortuna infelicissimus.

XXIV.

S. Ioannes Baptista.

PErsecutio Ecclesię prima sub Nerone.

Parisiis in vico Christolio innumeri martyres passi.

Anno 857. Juan filius Regis Dalmatiæ, relicta aula, anachoretam egit in spelæo, annis 42.

Vespasianus Imp. moritur Christi 81. imperii 9. ætatis 69.

Sacra fortis fortunæ ab Ethnicis olim celebrata.

Asdrubal à Romanis acie victus & cæsus.

Henricus VIII. Rex Angliæ & Catharina ejus uxor coronati.

XXV.

Sosipater S Pauli discipulus.

S. Gallicanus triumphalibus infulis sublimatus, ministerio pauperum vitam sacravit.

S Prosper eruditione & eloquentia pari.

S Maximus Taurinensis.

HEnricus III. Imperator Rodulphum à pontifice Cæsarem memorabili prælio vincit.

Mors laudatissimi comitis Montfortii in acie extincti.

Natalis S. Guilielmi Confessoris & Patris Eremitarum.

XXVI.

S. Ioannes & Paulus.

COrdubæ Pelagius adolescens Abderani Tyranni forcipibus excarnificatus.

Regifugium Romæ.

Alexander V. Pontifex erga pauperes liberalissimus, hodie Sanct. Petri thronum conscendit.

Misna Urbs cum templis conflagravit 1447.

Terræmotus ingens in Suevia, templum, & duo domorum millia disiecit.

Rhodus oppugnari cœpta 1523.

Anno 891. Normanni Arnulphum Imperatorem vicere, ipsi postea magna clade attriti.

Mongommericus qui Henricum II. inter ludendum occiderat, cùm inter hæreticos rebelles militaret, captus à Catholicis, securi percutitur 1574.

XXVII.

Constantinopoli S. Sampson Presbyter miræ charitatis, qui se pauperum obsequiis penitus mancipavit.

EO die Jovi Statori templum Roma nondum Christiana posuit.

Martianus Imperator Pulcheriæ conjux, pietate & militia clarus, sanctissimo fine quievit.

Tiberius ab Augusto adoptatus.

Henrici VIII. Angliæ natalis.

Sancius VII, Navarræ Rex sapiens, & fortis dictus, diem supremum obiit.

XXVIII.

XXVIII.

Lugduni S. Irenæus Episcopus omnium Doctrinarum explorator accuratissimus.
S. Leo II.
S. Potamiana Virgo & Martyr.

Jejunium Judæorum obsessa à Chaldæis Urbe.

Alexandri & Diogenis Cynici obitum Hadrianus Junius eo die ponit.

Alexander Mammææ omni laude cumulatissimus Imperator, fraude Maximini cum matre occisus, Moguntiæ.

Antiochia capta per Godefridum.

Ludovicus XII. natus 1462.

Hipparchus Atheniensium Tyrannus ab Harmodio & Aristogeitone interemptus. *Thucydides.*

Sigismundi Imp. natalis.

XXIX.

Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli.
S. Cassius Episcopus Narniæ post missam ad limina Apostolorum eo die celebratam, obdormivit in Domino.

Hierosolyma Urbs à Nabuchodonosore vallo cincta, ut Dominus prædixerat per Prophetas.

Ezechiel Propheta inter captivos ad fluvium Chobar in Cæli adyta mente penetrans, magnas visiones videt.

Ephesina Synodus Nestorium clarissimè damnavit.

Tyrus expugnata à Christianis.

Tripolis Phœniciæ terræmotu corruit, omnibus incolis terribili strage contritis.

XXX.

S. Paulus.
Lemovicis S. Martialis.
Alexandriæ S. Basilides qui adhuc Ethnicus Potamianam Virginem ab impudicorum petulantiâ defendit.
S. Lucina Apostolorum discipula necessitatibus sanctorum communicãs, dum carceres visitat, & sanctorum sepulturas instaurat, piè vita defungitur.

Herculis & Musarum festum cœca Gentilitas eo die colebat.

Henricus II. Rex Galliæ equestribus Ludis lethaliter vulneratur 1559.

Carolus VIII. natus.

Baronius eruditione & vitæ sanctitate celeberrimus, hodie in osculo Domini mortuus anno 1607.

Gregorius XV. summus Pontifex prudentia & modestia notissimus piè decessit in Domino.



Dies

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
11.	Hora 4. cum ſemiquadrante.	Hora 7. cum 3. quadrantibus & dimidio.
19.	Hora 4. cum quadrante.	Hora 7. cum 3. quadrantibus.
26.	Hora 4. cum quadrante & dimidio.	Hora 7. cum dimidia & ſemiquadr.
31.	Hora 4. cum dimidia.	Hora 7. cum dimidia.

Dies.	Crepuſculum matutinum.	Crepuſculum veſpertinum.
8.	Hora 2. cum quadr. & dimidio.	Hora 9. cum dimidia, & ſemiqu.
15.	Hora 2 cum dimidia.	Hora 9. cum dimidia.
19.	Hora 2. cum dimidia & ſemiquadr.	Hora 9. cum quadrant. & dimidio.
24.	Hora 2. cum 3. quadrantibus.	Hora 9. cum quadrante.
28.	Hora 2. cum 3 quadr. & dimidio.	Hora 9. cum ſemiquadrante.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
11.	Horarum 15. cum 3. quadr.	Horarum 8. cum quadrante.
19	Horarum 15 cum dimidia.	Horarum 8. cum dimidia.
26.	Horarum 15. cum quadrante.	Horarum 8. cum 3. quadrant.
31.	Horarum 15.	Horarum 9.

Dies.	Ortus &	Occaſus ſiderum.
12.	Zona Orionis media oritur mane.	Lucida Hydriæ occidit Veſperi.
27.	Procyon oritur mane,	

I.

In monte Hor depositio Aaronis fratris Moysis.

Natalis S Regina.
Apud Emesam S. Simeonis Salis.

VEspasianus in Judæa salutatus Imperator.

Fridericus Imp. in Concilio Lugdunensi depositus, anno 1245.

Ludovicus XII coronatus, anno 1497.

Thomas Morus Angliæ Cancellarius vir invicta constantia securi percussus.

Alphonsus VI. Castellæ Rex fatis concessit, qui Sarracenis Toleto pulsis templum magnificum Deiparæ dicavit.

II.

Visitatio S. Virginis instituta ab Vrbano VI. 1385.
Natalis S. Othonis Bambergensis Episcopi, viri Apostolici qui Pomeranos convertit, XXI. monasteria ædificavit, & in pauperes indulgentissimus fuit.

NIcephorus Phocas Imp electus. Hic bello impiger, strenuè Sarracenos vexavit. Sed dum immanibus tributis subditos fatigat, in odium incidit, & à Joanne Zemisce Præfecto, opera uxoris Theophanis perfidiose occiditur.

R Pater Laynes sublimi doctrina & vita, Societatis Jesu Generalis eligitur 1558.

Nostradamus insignis Mathematicus decessit anno ætatis 63. currente.

III.

S. Hyacinthus Trajani cubicularius plagis variè affectus expiravit in carcere.
S. Clara filia Regis Indi ex Dominicana familia.

LAodicææ in Syria Anatolius doctissimus Episcopus.

Hierosolyma capta à Nabuchodonosore & Sedecias oculis & filiis orbatus anno 424. ab extructo templo Saladinus Raymundi proditione vincit Christianos in Syria.

B. Lanfrancus celeberrimus Cantuariensis Episcopus, quem Carcer è jure bellico donavit Religioni. Religio Episcopatui. Is Berengarium prostravit potens opere, & sermone, anno 1059.

Anno 1642. Coloniæ, mors Mariæ Medicææ Franciæ Reginæ, die Jovis, hora circa Meridiem. Hæc cum insigni bonitate esset in hoc apice gloriæ magnam rerum humanarum aleam experta, mundi contemptum illustribus suasit documentis.

IV.

Osee & Aggæus Prophetæ.

S. Elizabetha Lusitaniæ.
B. Andreas Cretensis author clarissimus, & B. Virgini impensè addictus
S. Flavianus Antiochenus Episcopus, & Elias Hierosolymitanus ab Anastasio in exilium acti, ob Chalcedonense concilium ibidem glorioso fine quievere.
S. Vldaricus Episcopus miræ largitatis & abstinentiæ, anno ætatis octogesimo excessit è vivis.

LUdovicus XI nascitur anno 1424.

Galli ad Petrachoram Anglos memorabili prælio vincunt, in quo Joannes Talbotus dux florentissimus cum filio cecidit 1452.

V.

Romæ S. Zoe capillis in arbore suspensa, admoto igne, fumoque horribili, victorem spiritum inter tormenta Deo reddidit.
S. Cyrilla quæ carbones ardentes diu manibus cum thure tenuit, ne excutiendo videretur sacrificasse.

S. Henricus

S. Henricus Imp. Vngaros ingenti prælio superavit.

NIcæa Urbs famosissima, magna vi Christiani exercitus Turcis erepta.

Romæ ludi Apollinares per dies octo celebrati.

Michael & Theophilus Imperatores Orientis abdicarunt.

Anno 663. Constans II. Imperator, Heraclii Nepos, Romam specie Religionis ingressus expilat.

VI.

Translatio S. Martini.

S. *Isaias Propheta sub impio Manasse sectus, & sub quercu Rogel sepultus.*

S. *Paulus Romam ingreditur anno Christi 58.*

CApitolium Romæ flagrat anno Urbis 774.

Carnificina Syllana Romæ.

Anno 1641. funestus dies Galliæ, quo ad Sedanum deletus noster exercitus, & in prælio cecidit Comes Suessionensis. A pre quis cecinit.

Ad Sedanum luget Victor, victusque triumphat.
Displicuit victrix, victaque caussa Deo.

VII.

Alexandriæ S. Pantænus præceptor Clementis Alexandrini, in ultimas orientis oras profectus ad fidem annunciandam.

ROmulus rebus humanis eximitur. V. C. 39. ætatis 54.

Athenienses ad Cheronæam à Philippo Rege Macedoniæ miseranda clade contriti sub Demosthene, eodem die post annos aliquot iterum ab Antipatro victi.

Electio Cælestini V. Papæ innocentissimi.

Anno 1456. Joanna puella per legatos Papæ Calixti III. famæ reddita.

VIII.

Aquila & Priscilla S. Pauli contubernio nobiles.

S. Procopius Martyr mirabilis.

THia insula ex mari enata.

Joannes Hus in Concilio Constantiensi exustus. ex Pantaleone.

Anno 1115 obiit Petrus Eremita clarissima belli sacri tuba.

IX.

Ad guttam jugiter manantem Romæ 1023. Martyres

S. Anatolia exul pro fide & tandem martyrio coronata.

TErræmotus ingens per universam Syriam & Arabiam multas Urbes perdidit anno 553. *Cedrenus.*

Antonius de Prato legatus summi Pontificis & Cancellarius Galliæ, sancto fine & felici memoria quievit 1513.

X.

Septem fratres S. Felicitatis filii gloriosissimo martyrio coronati.

VItuli aurei erectio apud Israelitas.

Anastasius Imp. orientis vir ambiguus, & malè de fide orthodoxa sentiens, decessit è vita.

Henricus II. Rex Galliæ obiit magno Galliæ mœrore.

Eduardus Walliæ Princeps Eduardi III Anglorum Regis filius qui Joannem Regem Galliæ ceperat in prælio, in fata concessit.

Anno 1509 Novioduni natus Calvinus ferale portentum, & ingens Galliæ dolorum seminarium.

Piratis,& ex incognito redemptus, anno 982.

XVI.

Dedicatio ædis B. V. in monte Carmelo, Carmelitarum insigni pietate & populorum fide celeberrima.

S. Faustus martyr sub Decio 5. diebus vixit in cruce.

S. Eustatius Præsul qui in Concilio Nicæno prima & clarissima tuba personuit, in exilio mortuus sub Constantio.

FAbii trecenti cecidere atro & luctuoso Romanis die.

Eodem à Gallis postea fusi & debellati.

Innocentius III. laudatissimus Pontifex eruditione & vita, sub quo celeberrimum Concilium Lateranense, Ecclesia fortiter defensa, & splendidè amplificata diem supremum obiit, anno 1216.

XVII.

S. Alexius cujus nox illuminatio in deliciis Dei.

S Marcellina Virgo, soror B Ambrosii quæ velum à Liberio Papa suscepit.

MAximilianus cum tribus Regibus Ungariæ, Poloniæ, Boëmiæ, Viennam Austriæ magna pompa ingressus.

Carolus VII Rhemis coronatus consilio & ductu Joannæ puellæ 1429.

Artevellus inter præsidiarios quingentos à Gandavensibus in propriis ædibus occisus.

XVIII.

S. ymphorosa cum 7 filiis.

Metis in Gallia, S. Arnulphus.

GOdefridus Inclytorum decus, Rex Hierosolymę omnium suffragio constitutus, magno Christianorum luctu rebus humanis eripitur, anno 1100.

Honorius III. summus Pontifex coronatus qui celeberrimos ordines Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum, confirmavit.

Paulus II. Venetus in Papam eligitur. B. Robertus Salentinus, cujus vita mirabilis in vitis Patrum occidentis P. 373.

XIX.

S. Epaphras Pauli concaptivus.

S. Arsenius præcipuus Eremi cultor, ex institutore Regum.

ROma à Gallis occupata & incensa, iterum sub Nerone eodem die per sex dies arsit.

Maria Angliæ Regina declarata, Catholicam fidem restituit 1553.

Judæi 38 in Germania combusti ob confixam hostiam quæ sanguine stillavit 1510.

XX.

In monte Carmeli S. Elias.

S. Ioseph justus in Iudæa glorioso fine quievit.

S. Margareta Virgo & martyr celeberrima.

PHarsalica pugna qua Cæsar Pompejum vicit & rerum conversionem magnam in republica fecit.

Commodus Imperator factus omnibus incommodus, à suis, elisis faucibus, occiditur 193.

Cometa dirus per tres menses arsit, quem ingens vis locustarum consecuta.

Robertus Rex Galliæ piissimus, & populi pater omni veneratione dignus, ingenti subditorum mœrore extinctus, æternam sui memoriam reliquit.

Petrus Lombardus Magister sententiarum, & Theologorum sui sæculi eminentissimus sanctorum fine quievit in Domino.

Petrarcha vir florentissimi ingenii, famæque celeberrimæ Aretii nascitur 1304. hora 3.m.49.post mediam noctem. *Iunctinus.*

XXI.

S. Daniel Propheta clarissimè à Deo illuminatus, qui Regnorum seriem, & rerum eventus vidit.

S. Praxedes Pudentis senatoris filia, Virgo sanctissima, tota pauperum amori mancipata.

S. Victor Miles qui in mola pistoria contritus martyrium consummavit.

Trecis S. Iulia Virgo & martyr.

TErræmotus horrendi narrantur sæpè hoc die contigisse. Eodem die anno 1342.in Germania tam crebri, tamq; violenti imbres inundarunt, ut diluvium rediisse putaretur.

Carolus V. Imp. Tunetum expugnavit 1535.

XXII.

S. Magdalena sanctorum Amorum Regina, & speculum pœnitentium.

S. Ioseph Comes.

NIcephorus Imperator Orientis à Bulgaris cum exercitu occisus, anno 810.

Hunniades ingenti prælio Turcas vicit, quadraginta millibus occisis.

Carolus VII. Rex Galliarum moritur, anno 1460.

***

XXIII.

S. Apollinaris Episcopus à Beato Petro ordinatus post diversas & multiplices pœnas Ravennæ sub Vespasiano Cæsare gloriosum certamen consummavit.

S. Birgitta vidua quæ post multas sanctorum locorum peregrinationes divino afflata spiritu Romæ quievit. Matt Rom.

GOdefridus magnus Hierosolymæ quam mirabili virtute expugnatam subegerat, Rex constituitur

Fridericus Imperator post innumeras jactationes tandem ad Alexandri III. pedes se supplicem abjecit; incredibile autem quod addunt à Papa calcatum cum hac voce, *Super aspidem & basiliscum ambulabis.*

XXXIV.

S. Christina Virgo & martyr quæ deos Patris aureos, atque argenteos pauperibus distribuit, ab ipso postea sævis modis cruciata & interfecta.

EOdem die alia Christina mirabilis, quæ se Deo devovit ad expiandas animas defunctorum modò ingressa fornacem ardentem, modò in aquas gelu constrictas, & diversis affecta pœnis, grande & longum certamen subiit.

Soli mel novum, vinum & farina à Roma Gentili oblata.

Hadrianus Imperator ingeniosissimus, & curiosissimus fatis cessit Imperii 22. salutis 140.

Amadeus in Concilio Basileensi pontifex electus, qui postea renuntiavit.

XXV.

S. Iacobus frater Ioannis primus Apostolorum martyrio coronatus.

S. Chri-

S. Christophorus martyr sub Decio multa, & gravia perpessus.

S. Valentina quæ Aram idolorum evertit, immaniter cruciata.

Serena ut ajunt hæc dies frigidam hyemem portendit, sed hoc levi fundamento.

Constantius Constantini magni parens, Imperator melioris notę supremum diem obiit anno 306.

Anno 147.. moritur Thomas à Kempis, vir scientia sanctorum, & cælesti vita conspicuus.

Dies memorabilis Hispanis quo Rex Alphonsus I. Ismaelem Sarracenorum Principem, & quatuor qui cum illo erant reges, victorioso prælio profligavit

Henricus Magnus Rex Galliæ ad fidem Orthodoxam conversus 1593.

XXVI.

Dormitio S. Annæ quam filia fulgor mirum in modum illustravit.

Pestis furiosissima Constantinopoli grassita, magnam stragem mortalium fecit anno 560.

Claudia Uxor Francisci I. piè decessit.

Henricus II. Rhemis coronatus, anno 1547.

Carolus IX. natus 1550.

XXVII.

S. Pantaleon Medicus.

Septem dormientes quos ajunt ad annos ducentos dormivisse. Ita *Cedrenus* & *Nicephorus*. Baronius mitigat, & cùm dormitio mors dicatur apud fideles, credibilius inventos in sepulchris post annos à morte ducentos, & sic dicuntur tot annos dormisse.

Constantinus Magnus piissimus & victoriosissimus Princeps in Britannia Imperator salutatus.

Athenienses sæva clade in Sicilia percussi, Nicia eorum Duce à Gylippo capto, & deleto exercitu, anno ante Christum 417.

Memorabilis victoria equitum Rhodiorum in Turcas, anno 1480.

Anno 1276. obiit Jacobus I. Aragonum Rex cognomento victor.

Benedictus XI. qui post Bonifacium octavum sedem tenuit, & Philippum Galliæ Regem absolvit eo die mortuus.

XXVIII.

S. Nazarius, & Celsus puer Romæ.

Eodem die duo Martyres miris modis cruciati, unus melle unctus vespis & fucis expositus: Alter cùm ligatus inter flores à petulanti muliere sollicitaretur ad dedecus, linguam dentibus scidit, & in ejus os expuit.

Hilarius Papa moritur, qui cavit ne pontifices sibi successorem eligerent.

Innocentius I. supremam horam vidit, vir antiquæ probitatis, sub quo Roma ab Alarico capta, & Talmud Judæorum editum; ipso tamen contra venena perversorum dogmatum fortiter enitente.

Paulus II. apoplexia moritur, gemmarum splendore notior quam virtutum, si platinæ fides.

Cardinalis Borbonius generis splendore, & magnificis virtutibus clarus, piè inter amplexus Domini vitam clausit. anno 1594.

***

XXIX.

XXIX.

S Lupus Trecarum Episcopus qui Attilam flagellum Dei de gregis cervicibus depulit, & dignitatem luce virtutum ac gestorum mirabiliter illustravit.

S. Martha hospes Domini qua ministeriis suis imperia superavit.

URbanus II. Pontifex ornatissimus, qui belli sacri facem accendit, & Ecclesiam summa probitate atque prudentia administravit, hodie in osculo Domini mortuus.

Anno 1644. decessit Urbanus VIII. Barberinus, ferè octogenarius, anno pontificatus XXI.

Basilius Imperator Bulgaris prælio victis, quindecim hostium millia cepit, quibus oculos erui latis immaniter jussit, anno 980.

Sarracenorum ingens exercitus à Christianis ad Ascalonem victus, centum millibus hostium occisis, anno 1109.

Eodem die Gravelina à Domino Duce Aurelianensi Ludovici XIV. patruo capta.

XXX.

S. Abdon & Sennen nobiles Persa martyrio coronati.

S. Iulitta.

CAjus Marius Cimbros ad radices Alpium superavit. Anno V.C. 653.

Ladislaus Rex Ungariæ moritur. *1095.*

Elizabeth Regina Poloniæ fato functa anno 1505.

Robertus Barus Theologiæ Doctor Anglus, quem Eberus in suo Kalendario sanctum falsò appellat, Londini publicè exustus est, cùm esset Lutheranæ sectæ veneno infectus.

Atrebati Basilica B. V. igne cælesti absumpta 1103.

XXXI.

S. Ignatius perfectissima vita exemplar, quem Deus magnitudine mentis, & pectoris, ad gloriosos agones in se suisque destinavit.

Benedictus I. amator pauperum decessit, 580.

S. Columbanus fundator Iesuatarum qui se pauperum obsequiis destinarunt.

S. Germanus Altissiodorensis nobilissimi ingenii, & minimè fucata sanctitatis.

HIerosolyma à Nabuzardam incensa.

Hæc urbs celeberrima Salem primùm dicta, & à Melchisedeco, ut fertur condita, anno 184. post diluvium, maximas vicissitudines experta: nam vicies ter à variis Regibus, aut Ducibus occupata è suis cineribus sæpe emersit, & adhuc nomen, adhuc umbram suæ magnitudinis retinet.

Tiberius Apsimarus occisus, salutis 705.



Dies.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
6.	Hora 4. cum dimidia & femiquadr.	Hora 7. cum quadrante & dimidio.
11.	Hora 4 cum 3.quadrantibus.	Hora 7.cum quadrante.
16.	Hora 4. cum 3. quadr. & dimidio.	Hora 7.cum femiquadrante.
20.	Hora 5.	Hora 7.
25.	Hora 5. cum femiquadrante.	Hora 6.cum 3.quadr. & dimidio.
29.	Hora 5.cum quadrante.	Hora 6.cum 3.quadrantibus.

Dies.	Crepufculum matutinum.	Crepufculum vefpertinum.
1.	Hora 3.	Hora 9.
5.	Hora 3.cum femiquad.	Hora 8 cum 3 quadr. & dimidio.
8.	Hora 3. cum quadrante.	Hora 8. cum 3.quadrant.
12.	Hora 3 cum uno quadr & dimidio.	Hora 8 cum dimidia & femiqu.
17.	Hora 3.cum dimidia.	Hora 8 cum dimidia.
20.	Hora 3. cum dimidia & femiq.	Hora 8 cum quadr. & dimidio.
23.	Hora 3 cum 3.quadr.	Hora 8. cum quadrante.
27.	Hora 3. cum 3 quadr. & dimidio.	Hora 8.cum femiquadrante.
30.	Hora 4.	Hora 8.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
6.	Horarum 14.cum 3.quadr.	Horarum 9 cum quadrante.
11.	Horarum 14.cum dimidia.	Horarum 9.cum dimidia.
16.	Horarum 14.cum quadrante.	Horarum 9 cum 3.quadrant.
20.	Horarum 14.	Horarum 10.
25.	Horarum 13 cum 3 quadr.	Horarum 10. cum quadrante.
29.	Horarum 13 cum dimidia.	Horarum 10 cum dimidia.

Dies.	Ortus &	Occafus fiderum.
7.	Canis major oritur mane.	1.Fomacham occidit mane.
17.	Cor Leonis oritur mane.	Aquila occidit mane.
26.	Lucida Hydræ oritur mane.	

I.

SS. Virginum Fidei, Spei, & Charitatis passio Romæ.

IBidem in Esquiliis dedicatio S. Petri ad vincula.

Mensis olim in tutela Cereris nunc S. Bartholomæi.

Romæ Spei ad olitorum forum factum

Augusto Cæsari ara dedicata an. 8. ante Christum.

Claud. V. Imp. natus.

Ludovicus crassus moritur.

Gulielmus Rex Angliæ inter venandum sagitta occiditur à Gualthero primi nominis Gratioso. 1101.

Anno 1202. Joannes extorris, Rex Angliæ, Artum cognatum quem in carcere detinebat, interfecit.

Institutio ordinis S. Michaëlis 1469.

P. Faber inter B. Patris Ignatii socios eminenti sanctitate, & doctrina obiit 1542.

Eodem die anno 1580. R. P. Everardus Mercurialis 4. Generalis Societ. Jesu. vir rara prudentia & sublimi vita decessit.

Henricus III. Rex Galliæ detestabili parricidio sublatus 1589.

II.

S. Stephanus summus Pontifex & martyr.
Iudæi post excidium à Tito, iterum rebellantes fusi ab Hadriano.

IOannes v summus Pontifex obiit, ergà pauperes liberalissimus.

Anonymus hoc die pugnam ingentem ad Cannas ignobilem Apuliæ pagum ponit, in qua Romani ab Hannibale tanta clade fusi ut Dux ipse Pœnus miseratione commotus exclamaret, *Parce ferro miles*. Alii supra, ut jam notavi.

Quintilius Varrus sub Augusto, eodem die in Germania concisus.

III.

Inventio S. Stephani.
S. Lydia purpuraria.
Iudæi nudis pedibus incedunt & jejunant legentes Threnos.

PErsæ sub Mardonio ad Platæas victi.

Nabuzardam templum in cineres redigit.

Templum secundum à Titi militibus incensum.

Portus-Icius seu Caletium ab Anglis usurpatum per annos ducentos & decem.

IV.

S. Dominicus Verbo Dei & opere Christi potentissimus.
Victoriæ festum Romæ.

CIceronis exilium, qui eodem die post annum revocatus.

Cometes stupendus arsit 1531.

Budæus nascitur 1467. moritur 1540. cujus posteritas nobilitata. Arias Montanus ejus elogium carmine edidit.

Sebastianus Rex Lusitaniæ, armatis copiis ingressus Africam, collatis cum Rege barbaro signis vincitur, & in prælio magno suorum mœrore occiditur.

V.

S. Maria ad nives.
S. Ensignius natus annos 110. miles Constantini sub Iuliano martyr.
S. Osualdus R. Angliæ misericordia in pauperes effusus.

ALphonsus Arragonum Rex à Genuensibus navali prælio victus, unà cum Rege Navarræ capitur 1436.

Pax inter Carol. V. & Franc. I. 1548.

Henri-

Henricus I. Rex Angliæ Regnum uſurpat ſupra fratrem Robertum primogenitum, eo tempore abſentem, quem poſtea in prælio victum, & captum, luminibus orbavit & in perpetuo carcere crudeliter ac perfidioſè tenuit.

VI.

Transfiguratio.
SS. Juſtus & Paſtor pueri è Ludo litterario ad martyrium currunt.
Amidæ S. Jacobus Eremita.

ROmæ B. Hormiſdas Papa.
Eſdras poſt ſolutam captivitatem, Babylone egreditur.
Sixtus II. ex Athenienſi philoſopho ſummus Pontifex, martyrio coronatus 258.
Marathonis pugna.
Romanus à Bulgaris victus 920.
Mahometes II. in Hungaria ab Hunniade prælio victus & vulneratus 1436.
Obiit P. Claud. Jajus an. 1552. Viennæ in Auſtria, qui inter X. primos B. Ignatii ſocios magna laude commendatur.
Lud. VIII. S. Ludovici parens piè moritur.

VII.

S. Victricius Rothom. & S. Albertus Carmelitanus.

COnſtantini Magni natalis.
Auguſti triumphus Actiacus, quo de Marco Antonio, & Cleopatra triumphavit.
Joan. 22. Papa electus.
Rhodanus exundat 1469.
Mechliniæ pulvis tormentarius de cælo tactus urbem lacerat 1546.
Methone Venetorum à Turcis capta omnibus cum præſule occiſis 1500.

VIII.

SS. Cyrillus & Syneſius.
S. Hormiſdas ſub Sapore Rege.

CLeopatra triumphis Cæſaris erepta.
Selymus Turca Iſmaelem Perſarum Regem ingenti prælio ſuperavit.
C. Gracchi mors.
Anno 1106 Henricus Imp. IV. moritur dolore, ob filii rebellionem à quo ſe ſuis funeribus ſuperſtitem ſpoliari vidit.

IX.

S. Laurentii Vigilia.
S. Romanus.
S. Numidius è rogo martyrum à filia effoſſus à S. Cypriano presbyter factus.

VAlens Imp. occiditur, in tugurio, in quod ipſe confugerat, incendio abſumptus.
Irene Imperatrix moritur ob fidem Orthodoxam à SS. Patribus commendata, ſed in filium Conſtantinum ſæva an. 795.
Sixtus IV. electus ex Generali Franciſcanorum in ſuos valde beneficus.
Trajanus adoptat Hadrianum & intra biduum moritur.

X.

S. *Laurentius.*
S. *Deus dedit in pauperes beneficus.*

BEllonæ ſacerdotes Romæ ſe concidebant cruore expiantes crimina.
Tiberius II. moritur.
Ottho Imp. Ungaros ingenti prælio vicit.
Anno 1557. dies S. Quintini Galliæ luctuoſus, memorabili prælio, in quo Joannes Borbonius Comes Enguinenſis occubuit.

Anno 1640. Atrebatum post duorum mensium obsidionem, Ludovico XIII. victori redditum.

XI.

SS. Tiburtius & Susanna.
S. Alexander Carbonarius.

TRajanus obiit, cui nihil ad summa Imperatorum decora, præter fidem Christianam defuit.

Terræmotus ingens in Anglia.

Nicolaus de Cusa Cardinalis eruditorum sui temporis apex excessit è vita. 1464

Bellovæus Gratiosus sub 4. Regibus Franciæ potens, ad montem Falconium suspenditur 1522.

XII.

Assisii. S Clara.
S. Porcarius Abbas Lirinensis cum 500. Monachis à barbaris cæsus.

NOrmannia à Francis de Anglis recuperata 1450 post 32. annos.

Charisteria Festa Athenis pro libertate celebrata.

Cæsar dictator natus, de quo inter tot dotes dubitatum, an expediret nasci.

XIII.

S. Cassianus martyr à pueris discipulis occisus, ex Episcopo Brixiensi, ludi-magister.
S. Radegundis Regina conjux Clotarii Francorum Regis, quæ ex aula monasterium ingressa miris virtutibus claruit annos 27.

SErvorum feriæ Romæ ob Servium Tullium, Regem è serva oriundum.

Severus Imp. salutatus.

Justinianus obiit 565.

Hujus obitum alii diversè ponunt.

XIV.

S. Eusebius & Athanasia vidua.

ROmani sacrificabant Jovi liberatori.

Balduinus Sarracenos prælio fudit 1118.

Petrus Aragonum Rex in acie vulneratus obiit.

Pius II. qui Æneas Sylvius, celeberrimi nominis Pontifex decessit.

Mors Sixti V. 1590. ætatis 67.

Angelus Politianus natus hora 1. min. 28. post merid.

XV.

Assumptio anno 364 à S. Damaso instituta
S. Tharsicius Acolythus deferens sacramentum obiit ne proderet.
S. Alipius Augustini Comes

MAgnentius Christianorum persecutor sua manu cæsus, 356

Honorii Imp. mors 423

Profectio Godefridi 1096

Anno 1568 Romæ sanctè decessit ex hac vita B. Stanisl. Koska Soc. Jesu

Eodem die 1534 primi patres Societatis Jesu vota emisere in Ecclesia D. Mariæ ad montem martyrum.

Anno 1317 Henricus VII Imperator venenata (ut ajunt) hostia occisus, quod calumniæ propius est.

Anno 1309 Rhodii equites insulam Rhodum Turcis eripuere.

Anno Domini 717 Constantinopolis triennali obsidione Sarracenorum liberata.

XVI.

S. Simplicianus Pater spiritus S. Ambrosii
S. Rochus & S. Hyacinthus

NEptuno equestres Ludi à Romulo instituti.

Con-

Conftant. VII à matre Irene coactus abdicavit.

XVII.

S.Mammas à pueritia, ad fenectutem martyr.

AUtumni initium antiquis.

Rhodus infula obfidione Turcarum foluta, 1448

Conftantinopolis incendio periclitata fub Theod.

Anno 1640 Luna renovata Libra afcendente, & Arcturo confequente in Syfigia Saturni & Martis, inde fequuta tempeftas, & tonitrua.

XVIII.

S.Agapitus Pranestinus.

VIrgo exoritur antiquis.

Raptus Sabinarum.

Alexander VI obiit veneno quod aliis paraverat: Alii authores negant, & laudant quòd Sanctum Sacramentum globo aureo inclufum ad collum geftarit.

Paulus IV Pontifex Romæ obiit.

Turcæ ad Meliten fuperantur.

Eo die fanctiffimè obiit Helena Conftantini mater, Romæ via Lavicana.

XIX.

S.Ludovicus Tolofanus.

AUguftus Imp. obiit anno Chrifti 16 ætatis 76

Probi Imp. natalis.

Pius II electus.

Frideric. III Imp. obiit 1493

Anno 1642 hora noctis prima, tonitrua fæva, & horrifica, Corofopiti, & tanta aquarum eluvies ut diluvium redire videretur. Circa Rhedonas grandinis maffæ, magnorum etiam animalium interfectrices cecidere Nannetenfes quoque vehementer procellis territi.

XX.

S.Samuel.

S.Bernardus vir planè mirabilis.

S. Stephanus R. *Vngariæ.*

MYfteria magna Athenis.

Thebæ deletæ ab Alexandro.

Athenæ captæ ab Antipatro anno mundi 3633

Jovianus moritur Imperator Chriftianiffimus.

Gratianus electus, fpes magna, & brevis

Wicenslaus filius Car. IV Imp. depofitus ab Electoribus, ob focordiam.

Francif. Petrarcha natus 1304 hora 3 m. 49 poft med. noctem.

Anno 1648 Dies Galliæ aufpicatiffimus, ob famofiffimam victoriam, quam victoriofiffimus Princeps Condæus in Belgio ad *Lentem* (ut vocant) reportavit.

XXI.

S.Anaftafius cornicularius, id eft eques infignis corniculo militari inftrumento

SOl in tota Virgine.

Veneri ædes dicata, & horti ejus tutelæ affignati *Cal.* R

Olitorum dies Romæ feriatus.

XXII

S.Timotheus martyr.

BAlduinus R. Hierufalem moritur anno 1131.

Gregor. IX. obiit 1241. infenfus Friderico Imperatori.

Henricus Comes Richardum IV. *Angliæ* proftravit & occidit in prælio 1485.

Imagines dejectæ in Belgio 1563. undi magni motus.

Natalis Philippi Augufti maximi & dilectiffimi Principis.

Mors Philippi Valesii Gallorum Regis fortissimi 1350.

XXIII.

S. *Theonas Alexandriæ Episcopus.*

Tota Virgo exoritur Ptol.

Autumni initium antiquis.

Sarraceni ad Emesam Christianos vincunt sub Heraclio 634.

Misna Urbs tota igne absumpta 1223.

Rodolph Imp. Bohemiæ Regem vincit & interficit in prælio 1248.

Isabella Bavara coronata 1389.

Anno 1328. Philippus Valesius ab hostibus Deiparæ ope liberatus, magna victoria reportata, equum & arma in ejus æde Parisiis dedicavit.

XXIV.

S. *Bartholomæus.*
S. *Audoenus.*

Roma à Gothis primò capta 409.

Henricus VII. Imp. obiit.

Albertus Austriacus Cæsar coronatus 1298.

Philippus Valesius apud Caletum Flandros prostravit 1328.

Dux Arminiacus Lutetiæ capite truncatus anno 1477.

Parisiis anno 1572 die Dominico cruēta tragœdia, planctu & lachrymis digna.

XXV.

S. *Ludovicus.*
S. *Genesius mimus.*

Etesiæ ponunt. Aquilo frigidior flare incipit.

Gratianus Imp. Maximi Tyranni dolo occisus 383

Georgius Ambosius Cardinalis vixit, vir magnificus, & omni laude celeberrimus anno 1550.

XXVI.

S. *Zephyrinus Papa & martyr.*

Dario ad Arbelam victo & occiso Alexander rerum potitur anno 329. ante Christum.

Persarum & Turcarum prælium in Campis Calderanis, ubi Selymus 30. millibus hominum amissis cruentam victoriam obtinuit.

Anno 1346 prælium Creciacum, tumulus Gallicæ nobilitatis.

Anno 1648. tumultus Parisinus.

XXVII.

S. *Rufus Patricius.*
S. *Cæsarius Arelatensis.*

Maximus Tyrannus à Theodosio occisus 388.

Terræmotus ingens Nicomediæ & Constantinopoli, cujus quotannis memoria ob urbem liberatam, celebrabatur. *Cedren.* an. 556.

XXVIII.

S. Augustinus migravit è vita, dum vocaretur ad Concilium Ephesinum, Theodosii legatione.

Constantinopoli S. Alexander, sub quo Arius mortuus.

Soli & Lunæ sacra Romæ facta.

Augustulus cedit Imperium Odoacro.

Conradinus fusus à Carolo Andegavensi, & paulò post captus. 1268.

***

XXIX.

Decollatio S. Ioannis in hunc diem relata, quia eodem die dedicata cum orbis lætitia Alexandriæ Eccleſia, ſuper ruinas Serapidis, & illata reliquiæ S. Ioannis.

IGnes Romæ tranſiliunt & laquei reorum comburuntur.

Trajanus obiit Seleuciæ ætat. 63. Chriſti 116.

Urbanus IV. electus.

Ludov. R. Ungar. à Solymanno opprimitur 1526. qui deinde equo lapſus obiit dum fugeret.

Galli in Neapol. Regno à Cæſarianis fuſi 1528.

Romæ obiit P. Joan. Codurius Societ. Jeſu, is natus, & ſacerdos initiatus die natali S. Joannis mortuus die martyrii ejuſdem ſancti, cum quo conveniebat etiam ætate.

Carol. Gonzagus Dux Mantuæ obiit 1637. ætat. 57.

XXX.

S. Fiacrius.

LUdovicus XI. Gall. R. Pleſſiaci ad Turonas deceſſit.

Solymannus Turcarum Imp. Budam ingreſſus magna pompa ſacrificat in æde Beatæ Virginis & imaginibus exciſis.

XXXI.

S. Paulinus Treviris exul ſub Conſtantio.

CAligula natus Chriſti 40. & Commodus 181.

Henricus VII. R. Angliæ coronatus.

S. Ariſtides fide & ſapientia clariſſimus qui de Chriſto coram Hadriano Principe luculentiſſimè diſputavit Athenis.

Anno 1641. toto Auguſto dies aurei; æſtas quoque tota amœniſſima.

Anno 1642. Auguſtus poſt Junium & Julium tetros & funeſtos, fuit ſat amœnus, ſed die 19. turbulentiſſima tempeſtas.



Dies

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
2.	Hora 5. cum quadrante & dimidio.	Hora 6 cum dimidia & semiquadrante.
7.	Hora 5. cum dimidia.	Hora 6. cum dimidia.
11.	Hora 5. cum dimidia & semiquad.	Hora 6. cum quadrant. & dimidio.
15.	Hora 5. cum 3. quadrantibus.	Hora 6. cum quadrante.
20.	Hora 5. cum 3. quadrant. & dimidio.	Hora 6. cum semiquadr.
24.	Hora 6.	Hora 6.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
3.	Hora 4. cum semiquadrante.	Hora 7. cum 3. quadr. & dimidio.
7.	Hora 4. cum quadrante.	Hora 7. cum 3 quadrantibus.
10.	Hora 4. cum quadrant. & dimidio.	Hora 7 cum dimidia & semiquadrant.
15.	Hora 4. cum dimidia.	Hora 7 cum dimidia.
19	Hora 4. cum dimidia & semiquadr.	Hora 7. cum quadrant. & dimidio.
23.	Hora 4. cum tribus quadr.	Hora 7. cum quadrante.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
2.	*H*orarum 13 cum quadrante.	*H*orarum 10 cum 3 quadr.
7.	*H*orarum 13	*H*orarum 11
11	*H*orarum 12 cum 3 quadr.	*H*orarum 11 cum quadrante.
15	*H*orarum 12 cum dimidia.	*H*orarum 11 cum dimidia.
20	*H*orarum 12 cum quadrante.	*H*orarum 11 cum 3 quadr.
24.	*H*orarum 12	*H*orarum 12

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
19.	Vindemiatrix oritur mane.	Lyra occidit mane.
23.	Arcturus oritur mane.	

I. S. *Ægi-*

I.

S.Ægidius & 12.Fratres in Palestina obdormisse in Domino notantur. Iosue, Gedeon, Anna Prophetissa.

S.Lupus Senonensis Archiepiscopus.

OLim mensis sacer Vulcano, nunc S. Matthæo.

Hadrianus IV. moritur 1169.

Alboinus cum exercitu Mediolanum Urbem invadit, quæ eodem die illi dedita; mox Italiæ Rex acclamatur Homo sævus, & odio omnium flagrans, qui à Rosimonda uxore tandem occisus, ingentium criminum pœnas dedit, anno 570.

Conradinus & Fridericus Austriæ, post fusum exercitum profugi, annulo quem piscatori ad cœmendos cibos dederant, detecti, Neapolin perducũtur, anno 1268

Academia Lovaniensis cœpit.

R. P. Oviedo Societ. Jesu Patriarcha Æthiopiæ, vir miræ sanctitatis ibidem inter amplexus Christi feliciter expiravit.

II.

S.Iustus magna vitæ sanctimonia, & Prophetiæ dono illustris.

AUgusti victoria ad Actiũ. *Suet. Diod.*

Eleonora Regina Galliæ soror Caroli V. & Francisci I. conjux, somno justorum quievit in Domino.

Anno 1588. Henrici Condæi potentissimi Principis natalis.

Mors Theodorici Italiæ Regis an. 526.

Sepultus Ravennæ in æde Principali S. Mariæ Rotundæ, ubi sacellum ex uno lapide ipso Ecclesiam ædificari curante. *Rub lib. 3.*

III.

S.Serapia sub Hadriano, quæ tradita duobus lascivis juvenibus non potuit illudi, nec postmodum ardentibus facibus uri, tandem gladio percussa martyrii coronam obtinuit.

S.Phœbe, Corinthi.

S.Basilissa 9. ann. nata, verbera, ignes, ac bestias passa, spiritum in oratione reddidit.

S.Mansuetus Tulli.

S.Simeon Stylita Iunior.

Ordinatio S.Gregorii I.

SOlymannus Budam capit.

Rodericus Hisp. R. spoliatus à Mauris.

Paulus Perseum vicit.

Ludov. XII. Mediol. capit.

Magdeburgi saltatores choræas ducentes fulmine tacti 1371.

Anno 1640. hyems fœda, Arcturi manu emergente, Saturno & Marte in Aquario. Lunæ plenitudo fere in Piscibus.

Marcus Antonius Columna Romanus natus anno 1478. hora 2. minutis 40. post meridiem.

IV.

S.Moyses in monte Nebo.

S.Marcellus Cabillone triduo cingulo tenus defossus in terra.

S.Candida Neapoli prima B. Petro occurrit.

S.Rosa Witerbii.

S. Rosalia de Normãnis oriunda, miræ sanctitatis, quæ pestis expultrix in Italia & Molinis colitur magna solemnitate.

CIcero revocatus ab exilio Romam ingreditur.

Solymannus in expeditione Ungarica moritur 1566. Imp. 47. ante Sigetim, quæ superstitem rata, deditionem fecit.

Joannes Maria Dux Mediolani natus 1388

V.

S.Victorinus sub Trajano ad Cutiliarũ putentes & sulphureas aquas relegatus & triduo capite deorsum suspensus.

ALexander III. Papa coronatus.

Natalis Ludovici XIV. Francorum Regis, quem innumeris expetitum votis, prope miraculo concessit Deus rebus humanis anno 1638.

VI.

S. Zacharias.

S. Onesiphorus de quo Paulus ad Timotheum honorificè scribit.

Ater dies Romanis.

Ex ebo, ariete, & ove nigra Romæ sacrificatum.

Terræmotus per totum orbem 545.

Anno 632 fœda tempestas & tonitrua ante auroram.

VII.

S. Clodoaldus Filius Clodomiri.

S. Ioannes Nobilis qui edictum Diocletiani laceravit & dirè tortus est Nicomediæ.

S. Eupsychius qui ante martyrium partem patrimonii pauperibus, partem accusatoribus distribuit.

S. Nemorii Diaconi & sociorum sub Attila. Trecis.

Augustoduni S. Regina Virgo & martyr.

Titus penitus Judæos delevit anno 72.

Elizabetha Regina Angliæ nata 1533.

Anno 776 Leo 4. Impius obiit.

Solymannus Budam capit. *Bodinus.*

Anno 1488. obiit Francisc. Dux ultimus Britanniæ, Pater Annæ

Gryphius decessit 1556. de re literaria bene meritus.

Clades Fontarabiæ inauspicatissima, anno 1638.

VIII.

Nativitas D. Virginis, quæ censetur contigisse sabbatho Luna 14. an. 4. Olymp. 190 VC 738. Coss. Lucio Domitio & Publio Cornelio Scipione, atque id aurora illucescente, ut ait Durandus.

Hierosolyma penitus deflagravit.

Irene Imperatrix electa cum Filio Constantino.

Maria Regina Angliæ, nata 1515.

Eleonora Regina Portugalliæ in lucem edita.

Ludovici Borbonii Condæi Principis invictissimi natalis anno 1621

Eodem die mortuus F. Retza Dominicanus qui tria ingentia volumina super *Salve Regina* scripsit, idemque decantans annos natus 84 placidè expiravit.

Sæpè hoc die quasi adulantes Flammæ Lauretanam ædem coronarunt.

Dedicatio S. Mariæ de lætitia ex Ægypto per equites Gallos asportatæ 1134

Ordo Equitum Dominæ nostræ de stella, à Roberto Rege institutus, anno 1022.

IX.

S. Gorgonius.

S. Audomarus.

SS. Ioachimi & Annæ festum apud Græcos.

Aurelianus Imp. natus humili quidem ortus genere, sed bellicosissimus qui uno die in acie 48. manu propria interfecit.

Honorius Imp. in lucem venit,

Solymannus in expeditione Ungarica moritur, alii ad 4 Sept. ponunt.

An 1087 Guill. Angliæ R. extinguitur, magno mœrore lugens Ecclesias bello quod contra Gallos gesserat, incensas, Thesauros omnes Ecclesiis & pauperibus legans.

Hermannus seu Armandus Cardinalis Richelius nascitur 1585.

Redditio Perpiniani, 1642 post longam obsidionem, in qua ajunt humanis carnibus victitatum.

Eodem die multis in locis dissitis visi ignes de cælo lapsi.

X.

S. Nicolaus Tolentinas.

S. Pulcheria nova Helena, munimen orthodoxorum & gloria Ecclesiæ acclamata.

JOannes Dux Burgundiæ Ducis Aurelianensis interfector occiditur 1419.

Anno 1456 Hunniades Turcarum toties victor moritur.

Anno 1513 ingenti clade Scoti ab Anglis concisi, Rege Jacobo IV. cum prima nobilitate occiso.

Anno 1547. Petrus Ludovicus Farnesius Dux Parmæ. Placentiæ à domesticis proditione interfectus.

Anno 1479 die 10. Sept. mortuus anno ætatis 57 Jacobus Amanatus Picolominæus, Cardinalis Papiensis, vir acerrimi vigoris, & magnæ eruditionis, cujus sunt eximiæ Epistolæ: obiit imperitia medici, Elleboro pro febri quartana malè diluto.

XI.

S. Procus & Hyacinthus.

S. Paphnutius Confessor clarissimus.

Lugduni depositio S. Patientis de quo Sidon lib. 2 Ep. 10.

ANno 1399 obiit B. Dorothea Pruthena, quæ ab anno ętatis 7. usque ad extremam senectam pane & aqua contenta, in honorem virginis jejunavit, illa tenui tunica & humili pallio tecta, sæva hyeme præ amore Dei æstuabat.

Anno 1571. Cathedrale B. V. templum Atrebatense conflagravit.

Turcæ in Melita insula à Christianis magno prælio victi 1565.

Palæologi expellunt Francos Constantinopoli.

Ronsardus nascitur 1524.

XII

Lugduni S. Sacerdos.

LUdi magni Romæ ad quatriduum celebrati.

Constantinopolis à Græcis recepta per Michaelem Palæologum, Latinis ejectis, ab aliis hoc die ponitur.

Franciscus I. natus 1494.

Philippus II. Hispan. R. moritur, anno ætatis 71.

Anno 1571. 12. socii P. Ignatii à Zebedo in itinere Brasiliensi ab hæreticis, pro fide interfecti.

XIII

S. Philippus præfectus Ægypti, quem successor Terentius orantem jugulari jussit.

S. Mauritius Andegavus.

CApitolium Romæ consecratum.

Titus Imp obiit ætatis 42. Imp. 2. M. 10. post deletam Hierosolymam.

Franciscus I. Helvetios atroci pugna concidit ad Merinianum anno 1515

XIV.

S. Crucis Exaltatio.

S. Cyprianus martyr.

S. Chrysostomi obitus.

COnstantinopoli terræmotus in quo ad 13. millia occubuerunt 1509

Constantinus Copronymus destructor imaginum ferali morte deletus.

Franciscus II. R. F. obiit magno totius regni luctu.

Hadrianus VI. Pontifex intemeratus inter amplexus Domini placidè expiravit.

Cardinalis Toletus eruditione & sanctimonia Universo notus, piè decessit anno 15 6 ætatis 73

Obitus R. P. Paschasii Broeti, qui inter primos B. Patris Ignatii socios doctrina & virtute conspicuus fuit.

XV.

S. Nicomedes martyr.

S. Porphyrius mimus sub Juliano.

S. Aichardus Abbas celeberrimus.

IUventæ & Summani festum Romæ. *Cal. R.*

Anno 1644 Innocentius X. Pontifex creatus.

Anno 1641. obitus R. P. Suffreni opere & verbo potentissimi.

Margarita Ducissa Sabaudiæ Francisci I. R. F. filia, Heroina, piissimè moritur anno 1574. ætatis 51.

XVI.

SS. Cyprianus & Cornelius. S. Euphemia.

S. Editha Regis Angliæ filia.

PLateenses sacra faciebant manibus fortium.

Augusti Imp. mors Imp. 57. ætat. 76 Sal. 16

Carolus v. sapiens obiit 1380.

Hic Pheretrum indusii dominæ Carnuti ornavit inter cætera ovato Achate ubi Deus fulminans.

Pax rata inter Franciscum I. & Carolum v. 1544.

XVII.

Festum Judæorum pro restauratione.

S. Flocellus puer martyr Augustoduni.

S. Lambertus Trajectensis Episcopus.

S. Satyrus S. Ambrosii Frater.

Impressio Stigmatum S. Francisci.

PErseus à Romanis victus.

Valentinianus apoplexia moritur, Imp. 12. ætatis 54. Sal. 374.

Theodosius Imp. obiit ætatis 63.

Cardinalis Bellarminus vita & scriptis eminentissimus in Domini osculo placidissimè mortuus 1621.

Joannes Rex Galliæ captus ab Anglis.

Paulus v. natus 1552.

Anno 1558 Maria R. Angliæ & Polus Cardinalis, natus annos 57. cum 6. mensibus eodem die decessere, luctuoso Religionis fato.

Trecæ captæ & liberatæ anno 1590.

XVIII.

S. Methodius clarissimus Tyri Episcopus & martyr.

S. Sophia, & Irene.

DOmitianus Imp. occisus ætat. 45. Imp 15. Sal. 97. alii ad 29. Oct. referunt.

Ludovicus pius Imp. designatus.

Anno 1559. Franc. II. coronatus.

XIX.

S. *Ianuarius.*

EGyptii sacra faciebant Mercurio.

Antonini Pii Imp. natalis.

Eadem die natus Diadumenus.

Arbogastes homicida Valentiniani Imp. sua se manu perimit,

Natalis Henrici III. F. R. qui natus die 18 hora 12. 53. m. & ita hic dies incidit in 19

XX.

S *Eustachius.*

C. Tiberius Imp. moritur calliditate, & sævitia primus, ætatis 78. Imp. 23

L. Crassus orator obiit Ciceronis ætatis anno 16

Pax rata inter Franciscum I. & Carolum v. Parisiis promulgatur 1544.

XXI.

S. *Ionas Propheta.*

S. *Matthæus.*

ROmulus & Remus nati circa solis exortum.

Ætius à Valentiniano occisus.

Savanarolæ natalis, 1452.

Carol. v. obiit ætatis 58 Imp. 39. salut. 1558. alii ad 29 referunt.

Anno 1640 Bisextili, natus II filius Regis Ludovici XIII. fausto & facili matris partu.

Anno 1576 obiit Romæ Hieronymus Cardanus ætat. 75. Natus erat anno 1501 die 24. sept. In horoscopo suo de se prædicat, *anno 56 ero in periculo si evasero usque ad 58 perveniam ad quadratum Veneris & Mercurii, id est ad annos 74.* quantum per ascendens licet. Et certè non expleverat 75 ideò dicunt inedia mortem accelerasse ut effatis faceret fidem.

XXII.

XXII.

S.*Mauritius.*
S.*Irais Alexandrina.*

VIrgilius moritur ætatis 52. ante Christum 16.

Otto Frisingensis obiit 1159.

Nativitas Annæ Austriacæ Francorum Reginæ 1601.

Argo navis occidit, quæ tempestatem significat, si Astrologis fides.

Anno 1640. totus dies hispidus, & fœdus apertis valvis.

XXIII.

S.*Linus.S.Tecla.*
Iudæis initium Iubilæi & tubarum festum.

ZOrobabel altare ædificat.

S.Joannes prædicare incipit.

Octavius August. natus paulò ante solis ortum anno 61. ante Christum, quo anno Pompejus Hierosolymam expugnavit.

Obiit in Collegio Lauretano R.P.Nicolaus Bobadilla, unus ex primis B. Ignatii sociis, ardenti amore in proximi salutem effusus,

XXIV.

S.*Paphnutius Ægyptius martyr, palmæ affixus sub Diocletiano.*
S.*Gerardus Hungarorum Apostolus.*

ESdras prædicat, in tabernaculorum festo.

Hic erat æquinoctium autumnale tempore Julii Cæsaris.

Olympiades Græcæ hac die incœpere anno 4 9. à capta Troja.

Maxentius Christi persecutor, à Constantino magno victus, & pontis ruina quem ipse paraverat, oppressus, anno 313.

Pipinus R. F. omni laude cumulatissimus in vivis desiit.

Anno 1438. Jacobus Borbonius Rex Hierusalem, Ungariæ, & Siciliæ, obiit qui ex aula transierat ad Franciscanos, opera religiosæ S.Claræ. *Bellefortius.*

Angelus politianus decessit 1509.

Hieronymus Cardanus nascitur Mediolani anno 1501.

XXV.

S.*Cleophas.*
S.*Solemnius Blesis.*

GOdolias præfectus Judæorum, post eversam per Nabuchodonosorem Solymam, ab Ismaele perfidiosè interfectus.

Darius ad Arbelas victus.

Alexander Severus persas insigniter vincit.

Terræmotus Constantinopolitanus 479.

Obitus P.F.Suaris doctrina & vita præclarissimi 1617.

Ambianum redditur Henrico IV.

XXVI.

S.*Cyprianus & Iustina.*
S.*Nilus Abbas Cryptæ ferratæ toto orbe celeberrimus, Othoni magno imprimis charus.*

VEspasianus profluvio ventris extinctus Imp. 10 ætat. 69. Sal. 81.

Hierosolyma post 89 annos Christianorum Saladino reddita 1187.

Solymannus Viennam cum 140. millibus Turcarum frustra oppugnat.

Clemens VII. sub quo Roma à Carolo V. capta obiit 1534.

Cardinalis Turrecremata decessit ex ordine S.Dominici celeberrimus, qui fraternitatem ad dotandas virgines magnis sumptibus instituit.

XXVII.

S. Cosmas & Damianus.

SOcietas Jesu à Paulo III. confirmata, anno 1540

Natalis Regis Ludovici XIII. piæ & gloriosæ memoriæ, anno 1601

Eodem anno quo natus est, utrumque luminare Eclipsin patitur; Eadem nocte qua in lucem editus, Lotharingia terræmotu concussa.

Balduinus Rex Hierusalem obiit.

Ludov. Bavarus Imp. Fridericum Archiducem Austriæ prælio vicit.

Puteolani horrendo terræmotu jactati 1537

Carolus IX. Meldis à factiosis Hæreticis obsidetur.

Eodem die Henricus Rex Sueciæ à suis factione Lutheri infectis spoliatur.

Anno 1642 post serenum Septembrem dies tempestuosus & tonitruosus, Marte Lunam aspiciente, post tonitrua, diluvium, orientali tamen vento.

XXVIII.

S. Wenceslaus Dux Boëmiæ in fraterna domo necatus.

S *Exuperius* Tolo*sanus Episcopus.*

S. *Eustochium.*

BAjazetus ad Nicopolim Gallos & cæteros prælio opprimit 1393

Paulus III. obiit florentissimę memoriæ pontifex.

Clement. VII. in pontificatum successit

Anno 1566 in Florida martyrium F. Petri Martines Societ. Jesu.

Capella matutina exoritur, consentientibus, quod est rarum Philippo, Calippo, Dositheo, Parmenisco & Plinio.

Anno 1639 in loco Amandi horrida tempestas sub nocte

Saladinus Hierosolymam capit.

XXIX

S. *Michael Archangelus.*

S. *Dadas Saporis Regis consanguineus, Casdoa uxor ejus & Gabdelas pro fide immolati.*

B. Joannes Gandavensis Trecis obiit, 1419 sepultus in æde, S. Dominici.

Ludi fatales Romæ & epulum Minervæ.

Carol. V naufragium passus in expeditione Algeri, in Italiam revertitur 1541. obiit hoc die 1558 *juxta alios.*

Carolus Blesensis post bellum 24 annorum adversus Joannem Monfortium, in acie occiditur, & cilicio tectus invenitur.

XXX

S *Hieronymus.*

Dedicatio templi Salomonis per dies 14

POmpejus magnus natus ante Christum 103

Eodem die ætatis 46 triumphum Romæ egit, per biduum.

Grando mira Constantinopoli 407

Isabella Bavariæ cum se Anglis mancipasset, & apud eos in magna egestate vixisset, præ lætitia moritur, ex prospero quodam rerum successu & ad S. Dionysii sepelitur quatuor tantum cereis funus deducentibus 1439

Romæ an. 1572 Felix obitus B P Franc. Borgiæ III. Soc. Jesu Generalis.

Tiberius, Vespatianus, Titus, Domitianus, Aurelianus, Theodosius, Valentinianus, Gratianus, Basilius, Constantinus V. Leo IV Carolus V. Solymannus, Ludovicus Ungariæ, potentissimi principes, hoc mense mortui. Item Cardinales, Polus, Toletus, Bellarm.

DIES.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
3.	Hora 6. cum quadrante.	Hora 5 cum 3 quadrant.
6.	Hora 6. cum semiquadrante.	Hora 5. cum dimidia & semiquad.
10.	Hora 6. cum dimidia.	Hora 5. cum dimidia.
15.	Hora 6. cum dimidia & semiquadrante.	Hora 5. cum uno & semiquadrante.
18.	Hora 6. cum 3 quadrante.	Hora 5. cum quadrante.
23.	Hora 6. cum 3 quadrant. & dimidio.	Hora 5. cum semiquadr.
28.	Hora 7.	Hora 5.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
1.	Hora 5.	Hora 7.
5.	Hora 5. cum semiquad.	Hora 6 cum 3. quadr. & semiqu.
9.	Hora 5. cum quadrante.	Hora 6. cum 3. quadrant.
13.	Hora 5. cum quadrante & dimidio.	Hora 6. cum dimidia & semiqu.
18.	Hora 5. cum dimidia.	Hora 6. cum dimidia.
22.	Hora 5. cum dimidia & semi quad.	Hora 6. cum quadrante. & dimidio.
27.	Hora 5. cum 3. quadr.	Hora 6. cum quadrante.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
3.	Horarum 11. cum dimidia.	Horarum 12. cum dimidia.
6.	Horarum 11. cum quadrante.	Horarum 12. cum 3 quadrant.
10.	Horarum 11.	Horarum 13.
15.	Horarum 10 cum quadr.	Horarum 13. cum quadrante.
18.	Horarum 10 cum dimidia.	Horarum 13 cum dimidia.
23.	Horarum 10 cum 3. quadrante.	Horarum 13. cum 3. quadrant.
28.	Horarum 10.	Hora 14.

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
12.	Lyra oritur mane.	2. Spica Virginis occidit Vesp.
14.	Spica Virginis oritur mane.	17. Cauda Leonis occidit Vesp.

L Festum

I.

Festum propitiationis apud Hebræos celeberrimum.

S. Remigius Galliarum Apostolus, Clodovai Regis in Christo Pater.
Arethas martyr cum 500.
S. Damasus Pontifex summus designatus ingenti Ecclesiæ bono.
B. Franciscus Borgia genere, & vitæ sanctimonia clarissimus.
Tornaci. Laniena Christianorum sub Platone Episcopo & Martyre.

Alexandri Severi præclarissimi Imperatoris natalis.

Justinus junior Imp. obiit prudentia & fortitudine conspicuus.

Pompejus victus & cæsus ætat. 59.

Alboinus insidiis Rosemundæ occisus.

Prumiæ in Diœcesi Trevirensi decessit monachus Lotharius filius Ludovici pii tot tragœdiarum author.

Anno 1578 obiit Joan. Austriacus Car. V. Filius Naupacti victoria clarus, unde & opima spolia Lauretanæ Virgini insigni pietate tulit.

Anno 1635. initio Octobr. dies æstivi & fere caniculares.

Anno 1640. dies, sereni & frigidissimi à 12. ad finem.

II.

Expiationis festum quo unico mandavit Deus jejunium servari Levit. 23.

Jesus Baptizatur à Joanne.
S. Leodegarius impiorum immanitate crudelissimis suppliciis excarnificatus, quæ mira constantia pertulit.

Theobaldus Comes Campaniæ decessit Clarevallensis monachus.

Barbara Regina Poloniæ obiit.

Obitus Urbani IV. laudatissimi Pontificis, qui Trecis natus, ignobili genere, ingenio & virtute maximam omnium nobilitatem obtinuit. Hic celeberrimum Augustissimi sacramenti festum instituit, & ordinem militarem ad defensionem viduarum ac pupillorum

Arca fœderis templo Salomonis magno populorum gaudio illata.

III.

S. *Candidus martyr.*
S. *Gerardus Abbas.*

Vitellius IX. Imp. à Vespasiani ducibus occisus.

Ingens pugna in Gallia ad Moncotorium, Catholicorum adversus rebelles Hæreticos, sub Carolo IX. in qua magno nostrorum robore concisi, summo Pontifice Pio V. per auxiliares copias adjuvante 1569.

Anno 1611. obiit serenissima Margarita Philippi III. Hispaniæ Regis conjux, omni virtutum genere præclarissima,

IV.

S. Franciscus perpetuum Christi patientis miraculum, maximi & sanctissimi ordinis fundator, pia omnium Christianorum veneratione colitur. S. Franciscus de Paula ejusdem nominis mirificè Galliam meritis & sobole illustravit.
S. Teresia vitæ cælestis eminentia, & miraculis præclarissima.
B. Francisca Ambosia ex Duce Britanniæ Carmelitana sublimi vita sanctimonia.

Ater Romanis dies & prorsus infaustus.

Eudoxia Augusta Constantinopoli moritur.

Isabella Franciæ, Hispaniæ Regina magno mœrore bonorum extincta anno ætatis 22.

Anno

Anno 1644. Vesperi hora 6.30 minut. Coruscationes horrendæ, aëre undique incenso, & tonitruorum mugitus diuturni.

V.

S. Placidus.
S. Flavia V.

MOrs Constantii Imp. dum ira æstuans adversus Julianum Apostatam pergit.

Henricus III. niger grandiori buccella panis suffocatus.

Anno 1642. hora fermè 8. vespertina ex improviso fulgur ingens.

Nuptiæ Henrici IV. & Mariæ Medicææ, celebratę per Cardinalem Aldobrandinum 1600

VI.

S. Bruno religiosissimi & celeberrimi ordinis parens, inter amplexus Domini piè decessit è vita.
S. Fides & Erotis amore Dei incendium passa.

CImbrorum cruenta in Romanos victoria, ubi plusquam centum millia cecidere.

Eodem die duce Lucullo Mithridates & Tygranes victi ad Taurum centum millibus occisis.

Carolus VI inauguratur, cujus regnum ingenti discordia scissum, & multis calamitatibus obnoxium.

Anno 1180. mors Manuelis Commeni Imp. erga S. V pii.

Treviris sub Diocletiano & Rictiovaro cruenta laniena.

Orontius Finæus obiit 1555. ætatis 61.

Anno 1644 piè decessit Elizabetha Borbonia, Regina Hispaniæ, ætatis 42. magno Regni luctu, quod ipsa virtutibus & consiliis sustinebat.

VII.

SS Sergius & Bacchus.
S. Marcus Papa.
S. Brigitta.
Schenopegia Iudæorum per 7. dies.
Salomon templum dedicat ingenti pompa, & prodigiosa sacrificiorum multitudine.

ANno 1571. celeberrima victoria ad Naupactum, in qua Turcarum triginta millia cæsa, decem millia captivorum, triremes 180. captæ, 90. demersæ, quindecim millia Christianorum à servitute liberata, parta ingenti præda, sub Joanne Austriaco, & Venetis.

VIII.

S. Simeon.
S. Pelagia.

PIanepsia Athenis pro reditu Thesei, occiso Minautoro.

Item Oscophoria ubi Rami Olivæ uvis onusti à pueris prælati.

Ferdinandus Arragonum & Siciliæ Rex novæ nuptæ indulgens dissenteriâ moritur 1497.

Tiberis inundatio sæva ad 12. mill. mergit 1530.

Anno 451. inchoatum Concilium Chalcedonense.

IX.

Obitus Abrahami Patriarchæ toto orbe celeberrimi.

S. Dionysius Areopagita Galliarum in spiritu Pater, & Apostolus, qui montem martyrum Lutetiæ, suo sanguine decoravit.
Andronicus & Athanasia sancti conjuges.

ARca requievit in montibus Arat.

Hyperides sub Antipatro linguam ex-

expuens inter tormenta expiravit.

Anno 1399. Joan. Castellæ Rex moritur victus à Joan. Lusitano.

X.

S. Pinytus Cretensis Episcopus.

S. Eulampius cum sorore Eulampia.

Obitum Eudoxiæ quidam huic diei assignant.

COmetes terrificus in Vestria visus cũ gladiis & vultibus humanis 527.

Eodem anno Roma à Germanis occupata & direpta.

Anno 1587. Cortracense prælium, ubi Henricus IV. victor cæso Jojoiæo.

XI.

SS. Zenais & Philonilla consanguineæ. S. Pauli.

S. Nicasius Rothomagensis Archiepiscopus celeberrimæ opinionis.

NIcæa urbs terræmotu subversa anno 371.

Bonifacius IX. moritur 1303.

Ludov IV. Bavarus Imp. post infinitas cum summis Pontificibus concertationes, vitamque variè jactatam, in venatione Ursi, de equo lapsus expiravit 1347.

Bonifacii corpus anno 1606. post annos supra trecentos integrum repertum.

Anno 1629. natus Excellus, & ingeniosissimus Princeps Armandus Borbonius Contius.

XII.

Aquæ diluvii diminutæ.

SS. Martyres in persecutione Vandalica.

S. Fulbertus Carnotensis decessit.

AUgustales Ludi Romæ.

Carolus V. Imperator salutatus anno 1520.

Paulus III. felicibus auspiciis summus Pontifex consecratus.

Claudia Ludovici XII. filia ex Anna Britannica Francisci I. conjux nata 1499.

Eduardus Filius Henrici VIII. Anglorum Regis natus.

XIII.

Festum Palmarum Judæis.

SS. Martyres Franciscani in Africa.

S. Colmannus ex Scotia, Regii sanguinis & virtutis juvenis, dissimulato habitu sancta loca invisens, ut proditor capitur, excarnificatur, & morti traditur, in Austria, mortuus coruscat miraculis, & tota ignominia in venerationem cedit, Ditmarus.

CLaudius Imp. veneno necatus.

Templarii capti & exquisitis affecti tormentis, summo Pontifice & Rege Philippo in eorum interitum, conspirantibus 1307.

Turcæ à Persis victi 1535.

Maria Scotiæ Regina in Gallias venit 1551.

XIV.

S. Dies Tabernaculorum.

S. Calixtus.

S. Dominicus Loricatus.

NEro inauguratur infelicissimis auspiciis anno Christi 53.

Carolus Calvus Mantuæ, veneno à Judæis extinctus 876.

Guill. Normannus Heraldum Daniæ Regem ob filiam repudiatam, prælio vincit & occidit 1066.

XV.

Lætitia legis Hebræorum ob finitam lectionem Pentateuchi.

S. Bruno Ep. Ruthenorum & martyr.
S. Hedwigis Ducissa Cracoviæ.

MErcatores sacra faciebant Mercurio.
October equus immolatus Marti.
Virgilius natus anno 37 Ciceronis.
Solymannus solvit obsidionem Viennæ, jam in Christianos melioribus auspiciis afflante providentia.
Julius III. natus 1488 hora 8. minutis 8. post meridiem.

XVI.

Judæi convivia celebrant propter exitum è Babylone, magno lætitiæ sensu, & passim religione triumphante.

Martyres Africani in persecutione Vandalica fortissimos agones consummarunt.

DEmosthenis mors ante Christum 322 qui venenum suxit è calamo, unde tantam mellis copiam profuderat.
Honorii inauguratio optimi atque innocentissimi Principis.

XVII.

S. Hero Antiochenus Episcopus.
S. Andreas Cretensis Monachus sub Copronymo.

TIberis & Athesis inundatio muros superavit 589
Joan. VIII. Pontif. moritur 767
Innocent. VII. electus 1404. qui cum Romanis multas habuit contentiones.
Inauguratio Ludovici XIII. 1610.

XVIII.

S. Lucas.
S. Athenedorus Episcopus & martyr frater Gregorii Thaumaturgi.
S. Tryphonia uxor Decii Imperatoris, ex aula tamquam è spinis rosa ad Christianorum emersit decus.

SEjanus vertente sortis rota de culmine rerum humanarum ruit ingenti præcipitio, spoliatus, occisus, & discerptus à populo.
Basilæa penè tota terræmotu corruit. 1356
Æneas Sylvius qui postea Pius II. eminentissimi ingenii & profusæ bonitatis hodie natus 1405.
Excessit R.P. Gasp. Barzæus notæ sanctitatis anno 1573

XIX.

S. Ptolomeus Romæ victima castitatis.
Arca in montibus Armeniæ.
Agendici Senonum SS. Savinianus & Potentianus.
Ebroicis S. Aquilinus Episcopus ex milite, à quo cum uxor ex voto annuam continentiam petiisset, perennem indulsit.

LUdi Solis Romæ per quatriduum.
Mysteria minora Athenis.
Democritus obiit anno ætatis 109. per triduum odore panum calidorum vitam remoratus.
Gensericus Carthaginem capit. 439
Joan. Angl. R. omnibus invisus veneno tollitur.

Anno 1608. P. Mart. Delrio Soc. Jesu piè decessit eruditione & vita clarissimus.

XX.

S. Caprasius.
S. Artemius Dux Augustalis sub Iuliano martyr.

Ægyptiicus dies Romanis. Insignis cometa apparuit 1301

Mors Alexandri Alensis qui dictus fons vitæ: Nihil denegabat oranti per Mariam. Unde hac voce interpellatus à Franciscano, sæculorum abdicavit.

Nuptiæ Antonii Borbonii & Joannæ Reginæ Navarræ, unde ortus Henricus IV. Rex maximus, & optimus.

XXI.

Palmarum festum Judæis.

S. Vrsula cum sociis sub cujus vexillis Vrselinarum egregius ordo Deo praclare militat.
S. Hilarion.
S. Cilinia Mater S. Remigii, Celinia S. Genovefæ Comes.

Deus-dedit Papa consecratus 613.

Carolus VI. Rex Francorum ardore febrium consumptus Parisiis anno regni 43

XXII.

S. Maria Salome.
S. Marcus Hierosolymæ Episcopus primus ex gentilitate.
S. Melanius Episcopus Rothomagensis.
S. Lupentius.
S. Privatus Abbas, à Brunechilde occisus per insidias, quòd libere Reginam monuisset vide M. G.

Ioan. Bonus Mantuanus ex decoctore sanctus Monachus, per morbum conversus, tela Cupidinis fregit, strictis in primores digitos arundinibus quibus per triduum exanimis jacuit.

Carolus Martellus victoriosissimus princeps fatis cessit anno 741

Metæ à Carolo V. frustra obsessæ.

Guillielmus Pratensis Episcopus Claromontanus decessit anno 1560. ætatis 53.

Erasmus Rheinaldus natus 1511

XXIII.

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus.
S. Romanus Rothomagensis.
S. Zacharias Propheta.
S. Severinus Coloniensis Archiepiscopus ex Aquitania natus.

Libero patri sacra Romæ. *Cal. Rom.*

Philippus R. Filius S. Ludovici piè moritur.

Carolus V Aquisgrani coronatus 1520. alii supra Eodem die 1541. ingenti classe ad Algeram appellit, sed orta tempestate redit re infecta.

Eadem luce in Fastis ponitur mors Boëtii, in quo omnium ætatum miracula uno ingenio clausa Theodoricus extinxit.

XXIV.

S. Arethas cum sociis & puero quinquennii sub Dunaan
S. Proclus Constantinopolis Episcopus, qui fuerat S. Chrysostomi anagnostes.
S. Maglorius.

Domitianus Imperator natus Christi 54

Idem

Idem hoc mense cui suum nomen dederat,& eo die. Imp.15 ætatis 41. occiditur.

Eodem die qui fuit ejus natalis, Titus crudeles ludos in nativitate fratris celebrat, in quibus tria millia Judæorum bestiis data in amphitheatro.

Anno 1499. regnante Ludovico XII. Parisiis pons B. V. ruit.

XXV.

SS. *Chrysanthus & Daria.*
SS. *Chrispinus & Christinianus nobiles* Romani.
S. *Fronto in Petragoricis Episcopus &* S. *Gaudentius Brixiensis.*
S. *Xaverius à Paulo V. in BB. numerum ascriptus.*

ANno salutis 1495. obiit Joannes II. Lusitaniæ Rex, omni laude major, ob vitam piè actam, magnisque virtutum exemplis insignem.

Anno 1415. Galli nostri ab Henrico V. Angliæ miserabili clade cæsi, ob nimiam virium fiduciam dissoluti, Anglis contra præfervidè orantibus.

XXVI.

S. *Evaristus Papa.*
S. *Quod vult-Deus Episcopus Chartaginensis.*

COnradinus & Fredericus Austriæ Dux, ejus consobrinus, in foro Neapolis securi percussi, ingenti bonorum luctu & æterno dedecore Caroli Andegavensis, qui in tam cruenta consilia violentus incubuit, anno 1269.

Alii alio die, sed calculo leviori.

Nepæ frons exoritur, tempestatemque significat Columella.

Marcus Antonius Majoragius Mediolanensis vir eruditus natus 1514.

XXVII.

S. *Elesbaam & Frumentius.*

ANno Urbis 710 Romæ triumviratus horribilis & cruentus.

Horatius poëta celeberrimus moritur anno 59. ætatis, Augusto Imperatore hærede instituto.

Theodosius Imp. Eugenio prostrato Constantinopolim redit, cui Rufinus inter gratiosos potentissimus obviàm procedens, ad portas Urbis discerpitur anno 395.

Albertus Cæsar, anno altero Imp. dysenteria obiit.

Erasmus natus 1465 Ejus Natalem Cardanus ponit 1467. 28 Octobris, hora 3. ante ortum Solis.

XXVIII.

S. *Simon & Iudas Thadæus.*
S. *Gaudiosus & Faro.*
S. *Anastasia dirè vexata* Romæ.

LUcius Æmilius Paulus de Perseo Rege Macedonum per triduum triumphavit.

Isiaca festa Romæ.

Regifugium Romanorum, qua Tarquinii ob superbiam & sævitiam expulsi.

Cometes insignis, anno 1045. Græcis funestus, qui à Turcis cæsi in Servia.

Georgius Castriotus suum sibi principatum magno animi robore vendicat anno 1443.

* * *

XXIX.

S. Narcissus Episcopus Hierosolymitanus vixit annis 116.
S. Malachias præsul Hiberniæ moritur.

Felix martyrium P. Francisci Lopes Societ Jesu, anno 1598.

Antiochia terræmotu miserandè prostrata anno 531. *Cedrenus.*

Ludovicus Pius coronatus, anno 816.

Legati Poloni ingressi parisios, magna & illustri pompa Principem Mariam Augustissimi Regis sui conjugem petituri, anno 1545.

XXX.

S. *Marcellus Centurio.*
S. *Serapion Episcopus eruditus.*
S *Germanus Capuanus clarissimus.*
Sedecim millia sub Sapore martyrium subiere.

Ludi votivi Romæ.

Leodium à Caroli Ducis exercitu direptum.

Anno 1340. insignis de Mauris ab Alphonso Castellæ Rege ope Deiparæ parta victoria, ubi ducenta millia cecidere.

Mors illustrissimi Montmorantii, anno 1632. die sabbati.

XXXI.

S. Quintinus senator.
S. Nemesius Diaconus & Lucilla virgo ejus filia.

Augustus creatus.

Nicephorus relegata Irenę imperium occupat 803.

Lutherus Bellum indicit Ecclesiæ 1517.

Oceani inundatio & mortes in Hollandia 1529.

Joan. Stadius Belga obiit 1579. ætatis 53 Parisiis ab Henric. III. vocatus ad professionem Matheseos.

Obiit Parisiis Memmius Roissi vir clarissimus & optimus, anno ætatis 84, conjugii 59. officii 42.

Anno 1642 Octobri fuere placidissimi dies multi & planè æstivi, cum æstas hyemalis fuisset.

Postrema fuere pluviis fœda.

Aquæ excrevere supra memoriam hominum, & multos hausere.



Dies.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
1.	Hora 7 cum semiquadrante.	Hora 4. cum 3 quadr & dimidio.
5.	Hora 7. cum quadrante.	Hora 4. cum 3 quadrant.
10.	Hora 7. cum quadrant. & dimidio.	Hora 4. cum dimidia & semiquadrant.
15.	Hora 7. cum dimidia.	Hora 4. cum dimidia.
21.	Hora 7. cum dimidia & semiquadr.	Hora 4. cum quadrante & dimidio.
27.	Hora 7. cum 3. quadrant.	Hora 4. cum quadrante.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
1.	Hora 5. cum 3. quadr. & dimidio.	Hora 6 cum semiquadr.
7.	Hora 6.	Hora 6.
13.	Hora 6 cum semiquad.	Hora 5. cum 3. quadr. & dimidio.
19.	Hora 6. cum quadrante.	Hora 5. cum 3. quadrant.
26.	Hora 6. cum quadr. & dimidio.	Hora 5. cum dimidia & semiquadrant.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
1.	Horarum 9. cum 3 quadrant.	Horarum 14. cum quadrante.
5.	Horarum 9. cum dimidia.	Horarum 14 cum dimidia.
10.	Horarum 9 cum quadrante.	Horarum 14 cum 3 quadrant.
15.	Horarum 9.	Horarum 15.
21.	Horarum 8 cum 3 quadr.	Horarum 15 cum quadrante.
27.	Horarum 8 cum dimidia.	Horarum 15. cum dimidia.

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
3.	Plejades oriuntur Vespere.	18. Canis major occidit mane.
14.	Caput Oloris oritur mane.	19. Plejades occidunt mane.
24.	Scorpii Regalis oritur mane.	22. Oculus Tauri occidit mane.

I. Mensis

I.

Mensis olim in tutela Dianæ nunc S. Andreæ Apostoli.

Festum omnium sanctorum Bonifacius IV. Pontifex instituit, & primus Romæ ad S Mariam Rotundam celebravit, anno 613. Durand.

Athenis hoc mense plurima festa, & in primis Anthisteria Baccho errore Gentilium celebrata, *plutar.*

Hadrianus II. Papa obiit, anno 872. cùm sedisset annis 6. *Onuph.*

Bonifacius VIII. Romæ concilium contra Philippum Galliæ Regem celebrat anno 1302. *Mart vol. Append.*

Julius II. Papa creatus 1503. *Onuph.*

Cous insula terræmotu concussa, tria oppida subversa & 500 hominum obruta 1490. *Sabellicus.*

Philippus Deodatus Rhemis, Francorum Rex coronatur 1179. *Sigebert.*

Idem coronatus vivente Patre, edictum statim facit de mergendis blasphemis, & histrionibus à Curia ablegandis.

Henricus IV. Suburbium Lutetiæ occupat 1589

Anno 1628 Novemb. I. Rex Ludovicus XIII. Rupellam Victor ingreditur.

An. 1612 obiit Carolus Borbonius Comes Suessionensis, Ludovici Pater.

II.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

S. *Victorinus Pictaviensis Episcopus, vita & scriptis clarus.*

Ater dies Romanis. *Macrob.*

Plinius flagrante Vesuvio monte magna viciniæ clade, ad explorandas propius causas profectus, favillarum vi extinguitur anno 112 *Euseb.*

Aurelius Augustus Probus occisus anno Urb. Rom. 1033 *Goltz.*

Artabasdus Imperator orientis à Constantino Copronymo captus & oculis privatus 743 *Onuph.*

III.

S. *Malachias.*

S. *Hubertus Tungrens. Episcopus.*

Theophilus martyr Cæsareæ 243. Niceph.

Festa Hilaria Romæ, *Cal. Rom.*

Constantius II. Imperator dum ardentissima inflammatus ira adversus Julianum Apostatam rebellem pergit, ardore febris ad radices montis Tauri extinguitur anno 361. *Onuph. Alii alio die.*

Paul III. Pontifex solemniter coronatur 1530 *Onuph.*

Carolus Comes Sueff. Ludovici Pater natus 1566

Prosper Columna Romanus natus anno 1528

IV.

Clarus 4. *Præsul Beryti, martyr anno Christi* 94 Niceph.

S. *Cælestinus in ordine* 44 *Episcopus* Romanus *electus*, 423 Onuph. *Hic mandavit ut omnes sacerdotes nossent sacros canones, & sub eo tertia Synodus* Ephesi *celebrata.*

Anno 1230 *moritur B. Helena ordinis* S. *Francisci.*

Anno 1584 *jungitur superis* S. *Carolus Borromæus.*

Natalis S *Pierii Alexandrini celeberrimi sub Caro, & Diocletiano, qui docuit & scripsit florentissime.*

Constantinopoli seditio excitata ob hymnum Trinitatis, multis utrinque occisis anno 512. *Marcell.*

Carolus VI adhuc adolescens propter tutorum discordias, Rex Francorum consecratus 1380. Chron. Reg. Franc.

Anno

Anno 1485. Francisca Ambosia Ducissa Britanniæ Carmelina, obiit sanctissimè

Devixit N. Faber V.C. & doctiss. 1612. ætatis 68

V.

S. Malachias præsul Hibern. 1143
S. Felix presbyter.

NEptuno gratiarum actio habita à Nautis. *Cal. Rom.*

Damiata urbs Ægypti à Christianis expugnata, atque ad septuaginta millia hominum absumpta, tribus millibus puberum exceptis *1219 Æmil. Alii supra.*

Casimirus Rex Polon. obiit, anno regni 37. Sal 1370.

Felix Sabaudiæ princeps in Basiliensi Concilio papa electus 1439 *Onuph.* Is postea Nicolao V officium resignavit, Cardinalis dignitate contentus.

Carolus Cæsar & Clemens VII. Pontifex Bononiæ magno apparatu conveniunt 1529

Diluvium particulare in Brabantia, Hollandia, & Zelandia, multa millia hominum absumpsit 1530

VI.

Jeroboam Rex Israel erexit duos vitulos aureos, unum in Bethel, alterum in Dan.

S. Leonhartus Confessor Aquitania 404.

ATer dies Romanis. *Macrob.*

Cl Julianus à Constantio diversis bellis implicato adoptatus, & Cæsar salutatus anno 355. *Ammianus Marcellinus.*

Innocentius VII. Papa obiit, cui Gregor. XII. successit, Constantiæ depositus, anno 1406

Trajanus Imperator natus anno Christi 54. vixit annos 63

VII.

Christi Baptismum ad hunc diem Epiphanius refert.

DIes infaustus Romæ, tum parentationes inferorum ab Ethnicis fiebant. *Cal. Rom.*

Honorius Campanus in ordine 71. pontifex consecratur *622. Onuph* Sedit annis 11. mensibus 10. Hic plurima templa ædificavit & collapsa restituit, Petri quoq; Basilicam tegulis æneis operuit, è templo Romuli ablatis. *Vol*

Saxum ingens triangulare prope Ensisheim Alsatiæ oppidum, quasi de cælo cecidit 1503. *Paulus Langius.*

VIII.

Quatuor coronatorum martyrum Romę 285. *Adon in Martyr.*

Natalis B. Iacob. Anconstani Minorita qui 7 quadragesimas quotannis jejunabat.

ÆGyptiacus & ater dies Rom. *Cal. Rom.*

Ara Deorum inferorum in Circo maximo, tertiò adibatur Romæ, placandis manibus *Cal. Rom.*

Theodosii Imperatoris corpus Constantinopolim perlatum, & ibidem ab Honorio filio honorificè sepultum anno 393.

Ottho II. Imperator Romæ ventris profluvio moritur 983. *Mel. 4. Chron.* Vespergensis in suis Chronicis 8. die Decem. posuit.

Medicæa familia Florentiâ ejecta, quia Petrus cum Carolo VIII. Gallo fœdus inierat 1494. Sab. Ennead. 10. l. 9.

Christiernus Rex Daniæ & Succiæ 94. Principes, Comites, Barones, Consules, & magnæ authoritatis viros, Stockholmię securi percussit, atque cùm per triduum corpora ante prætorium insepulta jacerent, tandem extra urbem magna tyrannide exussit 1520 *Olaus mag* 8. *Ca.* 17

Anno 1627. Angli cæsi & Rea pulsi.

IX.

SS. Virgines Eustolia, Romana, & Sopatra, filiæ Mauricii Imperatoris.

Theodorus martyr Romanus 287. Petr. Ven.

S. Theoctiste.

Ludi votivi Romæ. *Cal. Rom.*

Nutricum feriæ quibus vestes puerorum votæ solvuntur, & infantes ægrotantes curantur. *Novid. 11. fast.*

Festum dotationis Ecclesiæ à Constantino. R*oma Novid.*

Constantinus Leonis filius Græcorum Imper. obiit. 960 *Cedr.*

Romanus Argyropilus Imperator Orientis electus: hunc Constantinus in palatiū vocarat, & optionem dederat, ut vel oculos sibi erui pateretur, vel dimissa legitima uxore, filiam suam uxorem duceret, ac Cęsar designaretur. Hæsitante eo, uxor marito metuens, comam ultrò posuit, ac sæculo renunciavit. Sic viro oculos servavit & imperium paravit *1030 G. Cedr.*

Conrad. II. Imp in Asia à Turcis ingenti prælio victus *1246. Tyr. 16. c. 22*

Paulus III. Pontifex anno suo Climaterico 81 Romæ decessit, officii 13 . & salutis 1549 *Sleid.*

Anno 1641 mors Cardinalis Infantis eximia bonitate Principis.

X.

S. Martinus Pontifex & Martyr.

Pithegia festa Græcis, tum reserabant vini dolia.

Hysteria festa Rom. *Cal. Rom*

Carolus III. Imperator coactus abdicavit imperium, & Arnolphus successit. 887. *Onuph.*

Fulco Rex Hierosolym. in venatione equo lapsus, extinguitur. Anno Regni 9. salutis 1142

Varnensis memorabilis clades circa mare Euxinum, ubi Christiani cum Amurathe Turca conflixerunt. Cùm autem nostri jam superiores essent & quidam Episcopi aciem temerè nudarent, Turca suos pedites immisit, Christianos turbavit, unde miserabilis strages edita, in qua multa millia hominum cum Ladislao Rege Ungariæ, & Juliano Cardinale qui rumpendi fœderis author fuerat, trucidata. 1444. *Blond Sabell. Bonfin. dec. 3. l. 6.*

Martinus Lutherus in oppido Saxoniæ Islebiâ hora 11. noctis natus 1483. *Prosop.*

Galli memorabile prælium inter Lutetiam & S. Dionysii Fanum commisere, in quo Annas Montmorantius, stabuli Comes occubuit anno ætatis 80. salut. 1567 *Æmil.*

XI.

Jesus tentatur à Diabolo in deserto post jejunium. *Matth. 5.*

S. Martinus Turonensis Archiepiscopus, vir miraculorum.

Maria clausa Romanis usque ad 6. Idus Martias. *Cal. Rom.*

Vina delibantur & defecantur hodie Romæ fiuntque epulæ publicæ in exquiliis. *Novid l. 11. fast.*

Henricus IV. Imperator natus 1051 *Mel. 4. Chron.*

Fridericus II. Romæ ab Honorio III. Imp. coronatus. 1219. *Benth. Sed Onuph.* Panuinus 22. die Nov. an seq posuit.

Otto Columnius Romanus in Concilio Constantiensi post varia schismata Pontifex creatur, & Martinus V. dicitur, 1417. *Sabell. Ennead 9. l. 9 Plat.*

XII.

Anno 1463 ad Deum migrat S. Didacus ordinis minorum.

S. Nilus Abbas.

Choes apud Græcos Plut.

Ludovicus VIII. Rex Galliæ cum Albienses hæræticos vicisset, Montispen-

sarii

sarii obiit; & Ludov. ejus filius 9. ann. successit 1226 *Til.*

Londini in Anglia comitia celebrata & antiqua Religio Romana sub Maria Regina recepta 1554 *I Sur.*

Henricus Angliæ Rex coronatur Lutetiæ.

Gustavus Sueciæ Rex cecidit in prælio, anno 1632. perperàm Argolus posuit Octobr. 16. Melius tamen Suecus Miles ad 16. Novembris refert.

XIII.

S. Brixius.

S Homobonus.

Minervale Athenis solvebatur præceptoribus. *Atheneus.*

Jovis Epulum Romæ. *Cal. Rom.*

Julius Cæsar, victo Pompejo, dictator creatus. *Suet.*

Abbo Floriacensis Abbas doctissimus à suis monachis lanceis confossus 1004. *Bal. cent.* 3

Philippus Beraldus vir insignis Bononiæ natus 1430

Joannes Eccius Theologus in Suevia nascitur 1486. obiit 1543 *Prosop.*

XIV.

S. Venerandus, Trecis.

S. Ioannes Chrysostomus in oppidulo ponti Euxini moritur jam in urbem Constantinopolim revocatus anno 407. Onuph. *Ab aliis ejus mors ponitur Sept.* 14

Iustinianus imperator toga, militiaque maximus, orbe composito, & æternis sapientiæ monumentis illustrato, vivendi atque imperandi finem fecit. Huic enim diei obitum ejus assignant Baronius, & noster Petavius.

Ater dies Romanis. *Macrob l. 1. Satur.*

Anno 1432. Anna Joannis Ducis Burgundiæ filia moritur Parisiis.

Annas Montmorantius Comes stabuli Franciæ, decessit ex vulnere quod in prælio S. Dionysii acceperat, annos natus octoginta, anno 1567.

XV.

S. Felix.

S. Machutus.

Lucinius Valerianus Imperator dictus anno à condita urbe 1020 *Goltz.* hûc Christianos persequentem Constantinus magnus devicit.

Anglus, Veneti & Sfortia Ferrariæ novum fœdus ineunt, quod sanctum dicebatur, contra Cæsarem, 1527. hinc occasio data Romam occupandi.

Anno 1280. Albertus Magnus obiit, qui inter tot præclarissimos titulos, illud quoque insigne habuit, quod sancti Thomæ præceptor extitit, & sapientiæ radiis illustravit illum, quem totius orbis lumen Deus accendit.

Anno 1545 Lucia Narniensis ex familia S. Dominici.

Hieroboam celebrat festum vitulorum aureorum.

Mors iniqua clarissimi Brissonii per seditiosos 1591

XVI.

S. Eucherius nobilissimus senator, & eloquentissimus Episcopus Lugdunensis.

Tiberius Cæsar natus, Princeps funestissimus, anno 39. ante Christum. Is erat proximus annus post interfectum Ciceronem *Suet.*

Theodos. Imp. senior obiit 309. Abbas Vespergensis ponit 17. Sept. anni 398

Henricus III. Angliæ Rex moritur 1272

Innocentius VI. Lemovicensis Pontifex electus 1352 *Plat.* Hic Ægidium Carillam

Felix II. Episcopus Romanus Liberii seditione interfectus à Constantio Cæsare anno Christi 368. post cum Damasus Papa electus. *Plat.*

Balduinus V. Balduini IV. nepos anno 5. ætatis Rex Hierosolym. consecratus, ablata regni administratione Guidoni Lusignano 1133. Hinc plurimæ turbæ subsecutæ, & Hierosol. 4. anno amissa. *Guil. Tyr.*

XXI.

S. Mariæ oblatio.

LUdi Liberalici in honorem Nympharum & Heroum instituti. *Cal. Rom.*

Gelasius præsul Romanus sub Anastasio Imp. obiit an. 495. *Onuph* Hic multa contra Manichæos scripsit & eorum libros cremavit. *Volat.*

Institutiones Justinianæ juris editæ 534

Carolus VI. Galliæ Rex ingenti prælio Flandros superat, 20000. hominum occisis 1382. *Ioann. Til.*

Anno 1584 obiit Franciscus Turrianus Soc. Jesu, author ipse Pio V. ut festum præsentationis expunctum restitueretur.

XXII.

Nehemias in Castro Susis intellexit quid cum Judæis post captivitatem Babylonicam Hierosol. ab hostibus actum sit. 2. *Esdr.* 1.

S. Cæcilia apis argumentosa & cœlestis Harmoniæ scientissima.

PLutoni & Proserpinæ sacrificabatur vivo homine. *Cal Rom.* quod scelus virtute Crucis sublatum.

Nautarum Feriæ nunc Romæ.

Symmachus 52 Episcopus Romæ consecratus 498. *Onuph.* Hic celibatum magno in honore constituit, & multa templa ædificavit. *Volat.*

Fridericus II Imperator Romæ coronatur 1220. *Onuph.* Sed Benth. die 11. hujus mensis ponit.

Ludovicus Aurelianens. Dux, Caroli VI Regis Gall. frater, Lutetiæ noctu occiditur, percussoribus à Joanne Burgundo duce immissis. 1407 *Til*

Wladislaus Ungariæ & Bohemiæ Rex adolescens. Alberti Imper. filius, Pragæ non sine veneni suspicione extinctus anno ætatis 19. *Naucl.*

Natalis Elizabethæ Hispaniæ Reginæ, anno 1602 hora 9.30. min. mane.

XXIII.

Natalis S. Clem. Papæ.

VAlentinianus Junior quadrimus Patri in Imp. successit anno 338. *Oros.*

Phocas occiso Mauritio Imp. cum uxore & liberis coronatur, una cum Leontia conjuge 603 *Maff.*

Turcæ ad Hierosol. à Christianis ingenti prælio victi anno 1152. *Tyr.* 17. c. 20.

Reginaldus Polus Cardin. & Pontificis legatus magna pompa in Anglia susceptus, ut antiquam Religionem retineret, 1554. *Sab.*

XXIV.

S. Chrysogonus martyr.

In territorio Aruernensi S. Portianus Abbas.

INitium Hyemis, frigora incipiunt, gelidique rores cadunt. *Ptol.*

Aurelius Heliogabalus 24. Imper. Romæ militari tumultu occisus 223 *Mar. Scotus* 2

Carolus Magnus cum exercitu ad Urbem Romam venit hostes Pontificis Leonis ulturus anno 800

Balduinus IV. Rex Hierosol. Sarracen. exercitum ad Ascalonem fudit 1117. *Guil. Tyr.*

Henricus VIII. electus 1308 *Onuph.* Sed Cuspinianus in Cæsaribus ad 1. diem hujus mensis refert.

Poloni ingenti prælio Tartaros vicerunt 60000. aquis & nive submersis 1498

Maximilianus II. Francof. magna omnium lætitia Cæsar electus 1502. Prosop. 3.

Typus hyemis hic dies ex Democrito.

XXV.

S. Catharina Virgo M. *Alexandriæ anno 205*

Zacharias Propheta Iudæis verum jejunium prædicat anno 3502

Ludi Sarmatii Romæ per dies 7. *Cal. Rom.*

Oratorum & Poëtarum feriæ in Romana Ecclesia *Novid. 11*

Nicolaus III. ex gente Ursiorum Papa electus 1278 *Mart Pol. append.*

Hic (ut ajunt) Carolo II. Siciliæ Regi infensus, Petrum Arragonem suscitavit, ut ejus regnum nomine Constantiæ uxoris invaderet.

Terræmotus ingens Basilææ contigit, cujus impetu pars summi templi & alia ædificia corruerunt 1346 *Munst.*

Sigismundus Cæsar Mediolani magno apparatu Rex Longobardiæ coronatus. 1431 *Onuph.*

Granata Hispaniæ Beticæ urbs Mauritanis Regibus subjecta, post septimum mensem obsidionis Ferdinando Castiliæ Regi dedita. 1491 *Naucl.*

Anno *1615* solennitas nupt. Ludovici XIII. & Annæ Austriacæ.

XXVI.

S. Conradus Episcopus Constantiensis qui anno 774 ex hac vita migrarat, priori tumulo elevatur & magna solennitate in sanctorum catalogum recipitur 1224 Stump.

Clemens VII magnâ pompâ coronatus 1523 *Onuph.* Sub eo plurima bella in Italia contra Imp exarserunt, ideoque & Roma & capta direpta à Germanis 1327

Nuptiæ Caroli IX. & Elizabethæ Austriacæ 1570

Henricia Angliæ R. nata *1609* hora 10. 30 min. Vesp.

XXVII.

Apud Rhegium S. *Maximi Episcopi.*

INferiæ fiebant Gallis & Græcis in foro Bojario defossis Romæ *Plut.*

Triumviri Romæ creati ad pacandam Remp. anno proximo post interfectum Jul. Cæsar M. Æmilius Lepidus M. Anton. & Jul Cæsar Octavianus Urbis cond. 710 *Goltzius.*

Alii authores, alii diei jam memorato assignant. Sicut & Horatii poëtæ obitum.

Commodus Antoninus Imp. appellatus anno Christi 177

Severus *31* Imp Eboraci moritur anno imp. 18 S. 212 *Scot.* Gerardus mercator ad 4 febr. rectius ponit.

Rufinus præfectus exercitus Tyrannidis suspectus, Constantinopoli perimitur, anno 395 Paul Diac. Jam alii diei ab aliis assignatum.

Erasmus Roterod. in Hollandia natus anno 1463 Gaspar. Sed rectius ad 27 Octob refertur.

Julius Papa coronatus 1503 *Onuph*

XXVIII.

Apud Corinthum, natalis S. Sosthenis discipuli B. Pauli.

ATer dies Romanis.

Semideis & heroibus honores Romæ habiti, atque dies status *Cal Rom.*

L. Æmilius paulus de Macedonia & Rege perseo per triduum Romæ triumphum egit anno Urb. 586 *Goltz.*

Gregorius III Papa moritur anno 741 Plat. Leonem 4 Imp. ob sublatas imagines excommunicavit, & Carolum M contra Luitprandum Longobardorum Regem Romam evocavit.

Arnol-

Arnolphus Imp. veneno in Italia petitus obiit, & Ratisbonæ in Basilica S. Hemeravii sepultus fuit.

Casimirus senior Rex Polon. moritur & Posnoniæ sepelitur anno R. 18 S. 1508 *Mart. Chron l. 4*

Georgius Castriotus Scandeberg. dictus, Albaniæ in Epiro Princeps constituitur anno 1443 qui præcessit cladem Varnensem, ad quam ne nostris auxiliaribus copiis adesse posset, à vicino Despota impeditur, *Sabell.*

XXIX

Tuderti S. Illuminatæ Virginis memoria colitur.

ANtiochia terræmotu fere funditùs deleta horribili hominum clade. Anno *531 Georg. Cedr.*

S. Ludovicus Gall. Rex coronatur anno ætatis 12 S. 1226 *Til.*

Clemens IV Narbon. laudatissimus papa sanctè decessit anno 1268 qui ad scientiam juris mores sanctissimos adjecit.

Philippus Pulcher obiit, cui Ludov. X successit *1314 Onnph*

Carolus IV Imp. Pragæ moritur 1378 Joan. Avent. Sed Georg. Merc. rectius ad 24 Febr. retulit anni prioris.

Justinianus obiit anno Christi *565* ætatis 84 Imp. 39 inchoato, ita Guinetus qui ex professo scripsit ejus vitam. Petavius refert ad 14

XXX

S. Andreas in Achaia passus 59 Nic.

BErengarius Imp. Italiæ Veronæ occisus 923 *Onnph*

Constantinus Monomachus Imperator orient. moritur 1054 *Onnph*

Henricus Friderici Barbarossæ filius, Rogerium Siciliæ Regem oculis & virilibus privavit, & Siciliam, & Apuliam, & Calabriam occupavit 1198

Gregor. XII in ordine 207 Papa coronatus 1406 Hic Constantiæ depositus *Plat.*

Tiberis fluvius regione Flaminia Romam invectus, totam urbis faciem inundavit, atque per biduum omnis generis animalia in præceps egit. 142*1 Sab. E.* 10 *l. 1*

Basilææ terræmotus Patres concilii terrefecit 1444 *Lycost.*



Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
5.	Hora 7. cum 3. quadrant. & dimidio.	Hora 4.cum semiquadr.
22.	Hora 8.	Hora 4.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
7.	Hora 6.cum dimidia.	Hora 5.cum dimidia.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
5.	Horarum 8.cum quadrante.	Horarum 15.cum 3.quadr.
21.	Horarum 8.	Horarum 16.

Dies.	Ortus &	Occasus siderum.
6.	Oculus Tauri oritur Vesperi.	18. Arcturus occidit Vesperi.
10.	Aquila oritur mane.	20 Procyon occidit mane.

I.

S. Eligius.

Mensis olim in tutela Vestæ, nunc S. Thomæ Apostoli.

POssidonea sacra apud Græcos à Neptuni & palladis certamine dicta. *Plut.*

Cn. Octavius de perseo Rege Macedonum Navalem Triumphum egit, tum etiam festum fortunæ muliebris institutum ob bellum sublatum anno à condita V. 586 *Liv. decad. 15. lib. 5. Oros. 4*

Bellisarius copiarum Imperatoris Justiniani præfectus, Vandalos dejicit & Africam liberat, anno 535 *Con Abb. Vesper.*

Zacharias Græcus in ordine 92 papa electus 641 *Onuph*

Hic S. Gregorii in dialogos in Græcum sermonem vertit; sedit annos 10 mens. 5.

Emericus Rex Ungariæ moritur 1200 *Bonfin dec. 2. l. 7.*

Margareta Maximiliani Imp. filia Belgarum moderatrix Mechliniæ fatis cessit. 1530. *Laur. Sur.*

Margareta Valesia Regis Francisci soror, & conjux Henrici Alberti Regis Navarræ ex hac mortali vita decessit 1549. *Ann. Franc.*

Anno 1581. moritur Londini P. Edmundus Campianus Martyr invictissimus

Tiberius Imperator electus anno Christi 15.

II.

S. Petrus Chrysologus.

S. F Xaverius Iaponum Apostolus post immensos pro fide labores, invictum Deo spiritum reddidit.

ATer dies Romanis. *Macrob.*

Initium muneris Romæ *Cal Rom.*

A Probus Imp. occisus, anno 282. *Onuph* pau. verum Scot. in alium diem refert.

Nicomedia terræmotu collapsa, quam calamitatem & Nicea experta, anno 632. *Amm Marc.*

Basilius Imp. Græc. moritur anno imperii 50 ætatis 70 S. 1026. Georg. Cedr. Aliqui ad 12. Martii ponunt.

Anastasius IV. Papa obiit, & sequenti die Adrianus IV. Anglus successit 1154. *Onuph.*

Hic Barbarossam Imp coronavit, Romanis adversantibus.

Willelmum quoque Siciliæ Comitem utriusq; Siciliæ Regē fecit: Sedit anno, 16.

Leo X. pontifex è familia Medicæa obiit anno officii 9. Sal. 1521 *Onuph.*

Sub hoc Lutherus de indulgentiis primò disputare cœpit.

Maris inundatio horribilis, crebris nivibus & ventis ingruentibus apud Belgas, aliquot urbes, pagos & villas cum immensa hominum multitudine suffocavit. 1570.

III.

S. Sophonias Propheta.

TErræmotus ingens Moguntiacum evertit 870 *Lycosth.* in prodigiis. Henricus Angliæ R. Wilhelmi Ruffi frater decessit 1135 *Lil.*

Lotharius II. Saxo Imp ex Italia reversus Tridenti obiit. 1138 *Onuph.* Scotus ad 29 Nov. prioris anni refert

Conradus Episcopus Wurzburgensis & Henrici VI. Imperatoris Cancellarius, cùm cognatos nobiles officii admoneret, ab iratis trucidatur 1202 *Prosop. 2*

Carolus VI Gall R. Parisiis natus 1368 *Til*

IV.

S. Barbara Virgo & martyr.

S. Bernardus Cardinalis vitâ innocentissimus, & vanitatis sæculi triumphator acerrimus.

REligiosa dies militibus Romæ *Nov.* Persius natus anno Christi 36

M Caro-

Carolomannus Franciæ R. Caroli magni fr. obiit anno 771

Hanno Archiep. Coloniæ decessit, 1077 *Mar. Scot.*

Joann. 22 animosus & longævus Papa moritur 1334 *Onuph.* Is novam militum Religionem in Lusitania instituit, quorum caput est oppidum Sylvensis Diœcesis.

Ludovicum etiam 4. Imp. sacris interdixit, sedit annos 19

Rheni ex imbribus crebris & vehementioribus tanta inundatio facta, ut pontes dejecerit & in Hollandia circiter 30. civitates & pagos laceraverit 1421. *Lycosth.*

Valentina uxor Ludovici ducis Aurelianensis acerrimi animi femina Blesis moritur 1408

Anno 1642. die S. Barbaræ sacro, Cardinalis Armandus Richelius Decretorium diem Parisiis expertus, ætatis anno 58 volvente.

V.

S. Sabbas.
S. Ioannes Thaumaturgus.

TAntus defectus Solis apparuit ut nullo sæculo major extiterit. *Bonfin. decad. 2 lib. 9*

Terræmotus ingens in Neapolitano Regno multa oppida subvertit 1456 *Lycosth.*

Franciscus II. R. Galliæ immatura morte sublatus, Princeps innocentissimæ vitæ qui sui desiderium ingens toti regno reliquit. Carolus IX. successit 1560. *Æmil.* Tum per 10. annos magni tumultus, propter religionem, qui tandem anno 1570. sedati videbantur.

Anno 1244 decessit Joanna Flandriæ Comes pientissima in pauperes.

Carolus Caroli Martelli filius primogenitus viridi ævo extinguitur.

VI.

Natalis S. Nicolai Episcopi, virtutibus immensis, & stupendis miraculis clarissimi.

ATer dies Rom. *Macrob. 1. sat.* Genio fausto libabant Græci.

Antiochus Epiphanes cum denuo urbem Hierosolymam diripuisset, Idolum Jovis Olympii super altare Dei in templo collocavit, biennio post primam direptionem quæ 25 die noni mensis accidit, anno 167 ante Christum 1. *Mach. 1*

Pipinus Caroli magni pater, suæ familiæ primus Rex Franc. senex Lutetiæ obiit anno regni 18 Sal. 769 *AEmil l. 2 Sab. En. 8. lib. 8*

Carolus magnus controversias, Leonis III. cum adversariis compositurus magnâ pompâ Romam ingreditur 800. *Regin.*

Nicolaus I. Papa moritur anno 869 vir integerrimus, & fortissimus qui Bulgarorum Regem cum tota gente ad Christi fidem traduxit.

Leo VIII. deposito Joan. 12 Pontifex in ordine 131 electus ab Otthone Imper. 963 *Onuph.* Gerardus Mercator 13. dec. ponit.

Insignis splendor cœlitus in crucis figura Cracoviæ apparuit. *Mart Crom.*

Alphonsus I. Hispaniæ Rex, cum in bello fortissimè, in pace religiosissimè regnasset devictis viginti Regibus placidè decessit è vita an. ætatis nonagesimo primo climacter. regni quadragesimo sexto. *Iosephus Texera.*

Henricus VI. Angl. Lutetiæ Rex Franc. coronatus 1431 *Chron. Franc.*

Anno 1619. Franc. Coster Soc. Jesu vir celeberrimus vitâ fungitur.

VII.

Mediolani ordinatio S. Ambrosii Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris.
Mors Ciceronis, & Tirone.

ALbertus Austriæ Dux, postea Imper. opera Sigismundi soceri jam morientis R. Ungariæ designatur, mox & Rex Bohemiæ & Cæsar electus post biennii Imperium decessit è vita.

Franciscus ultimus Britanniæ Dux obiit unica filia hærede relicta. anno 1488 hæc Maximil. Cæsari desponsata à Carol. 8 Rege Gall. præcepta, sicque Britannia Gallis cessit *Til.*

Anno 1542 hora 1. minutis 15 post meridiem, vitam auspicatur Maria Stuarta Scotiæ Regina. Judices qui multa sæpè nugantur, ajunt eam habuisse caput Medusæ in Horoscopo, idque in opposito Saturni de Scorpione aspicientis, Martem verò in duodecima domo

Albertus Crantzius Saxonum historicus Hambu g Canonicus moritur 1517 *Prosp.*

VIII.

S Eutychianus Papa 342. martyres suis manibus sepelivit.
S Sophronius Cyprian Episcop. Orphanorum ac viduarum defensor mirificus, pauperum, oppressorum omnium adjutor ut habet Martyrolog Rom.
Ordinatio S Zenonis Veron.

HOratii natalis. qui obiit sub Augusto Cæsare anno ætatis 77 *Volat. l. 17.*

Ludovicus Balbus Caroli Calvi filius R Franc. coronatus 877

Otto II. Imperator Romæ moritur, & sepelitur anno 933 *Co Abb. Vesperg* Sed Melanchton 8 die Novem b ponit.

Sigismundus Imp in Ungaria obiit an. regni Ungarici 51.

Bohemici 17 piæ & gloriosæ memoriæ Princeps, Ecclesiæ bono natus

Pius IV. Pontifex Maximus flagellum Simoniacorum, qui Concilium Tridentinum ab anno 1547 inchoatum feliciter clausit anno 1564

IX.

S. Gorgonia B. Greg. Naz. soror.

PUellæ nuptæ & viduæ conveneiunt olim Romæ, Junoni offerentes donaria *Cal Rom.*

Adelbertus Comes Bamberg. à Ludovico Rege Romanorum damnatus, securi percutitur anno 905 *Marian. Scot*

Sigismundus Imp patre Carolo IV. Cæsare natus 1367 Princeps maximis virtutibus clarus, & pacis Ecclesiæ studiosissimus. *Onuph. Cusp.*

Carolus Burgundiæ Dux ab Austriacis prælio victus anno 1477 *Munst. Cosmogr.*

Alphonsus I Lusit. Rex moritur 1185

Anno 1450 moritur B. Gabriel Anconitanus minorita.

X.

S. Deus-dedit Episcop *Brixiensis.*
S. Eulalia martyr celeberrima cum Iulia comite, Merita in Hispania.

ATer dies Romanis *Macrob.*

His diebus Reip. nomine nihil celebre perficiebatur, idq; augurum & pontificum jussu: quanquam non semper à posterioribus Romanis observatum fuit.

Michael Paphlagon Græcus Imperator qui per scelus imperium invaserat, per pietatem dimiserat, Ascetarum amplexus instituta, piè vitam clausit anno 1042 *Cedrenus.*

Boleslaus pudicus Dux Polon. obiit 1279 *Crom l. 9*

Martinus Lutherus intelligens se Romæ hæreticum declaratum, atq; sua scripta ibi.

pta ibidem exusta, ipse quoque Witembergæ in foro, pontificis decreta stupendâ audacia combussit anno 1520. *Prosop 3*

XI.

SS. Victoricus & Fuscianus martyres sub Rictiovario Ambian.

Daniel Stylita minor.

ESdras conventum celebrat Hierosol. in quo edictum proponitur, ut omnes Judæi qui post reditum ex Babylone alienigenas mulieres sibi matrimonio junxerant, suas uxores cum liberis ex eis susceptis dimitterent quod quidem non sine fremitu vicinorum & dolore maritorum factum. *Esdr. 9*

Leo X. natus 1475 in ortu solis. Damasus Hispanus in ordine 35 Præsul Rom. obiit anno officii 19 Sal. 368 *Plat. in pont.* Sub eo SS. Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus. Concilium quoque universale Constantinopoli celebratum 150 Episcoporum contra Macedonium *Volat.*

Nicephorus Phocas Imp. Græc. malitia uxoris Epiphaniæ à Joanne Zimisce obtruncatur anno 971 *Georg. Cedr.*

Grando cum tonitruis & fulminibus Mediolani tanta, ut finis mundi instare videretur 1533 *Lycost in prod.*

XII.

S. Corentinus primùm Anachoreta deinde Corosopitentis Episcopus thaumaturgus.

SS. Virgines Animonaria, Mercuria, Dionysia.

INdi unâ cum Rege ad flumen egrediebantur, ut equos & nigros Tauros Diis immolarent putantes sese in futuro anno eò feliciores fore *Zuinch. Vol 4 lib. 1*

Puellarum preces Romæ pro oculis. *Novid. 12. fast.*

Heraclius Imp. Cosroem Persarum regem atroci pugna superavit anno 627

Alexander R. Polon. creatus 1501 *Crom. lib 39*

Fridericus marchio Brandeburgensis natus 1530 *Eb.*

Pontificis arx Romæ ad pontem Ælium sita, fulmine tangitur magno vicinorum incommodo 1537 *Lycost.*

Jacobus V. Scotorum R. obiit anno 1542 relicta unica filiola Maria octo dierum quæ post annos 7 Francisco Delphino F. R. nupta. Benth.

Natalis B. Samnitii Indi Dominicani. Ingens Galliæ decus Villo regius piè moritur, 1617 ætatis 80 officii à secretis 53

XIII

S. Lucia Virgo & martyr celeberrima, cujus olim dies prima fax solis ad nos redeuntis.

CUrsus equorum Romæ facti, equus victor dexterioris bigæ Marti Deo immolabatur *Cal. Rom.*

Thassillo Dux Bavariæ, ob rebellionem à Carolo magno monachus factus moritur anno 787 *Cusp. Brusch.*

Joan. XII in Concilio Romano ab Othone magno celebrato pontificatu deponitur, & Leo VIII substituitur *Ger. Merc. Onuph.* 6 Decemb. ponit.

Fridericus Imp. electus anno 1213 *Onuph.* Idem in Apuleia moritur anno Imp. 37 ætatis 57 Sal 1251 *Cusp.*

Hollandia multis in locis aquis tecta, Oceano ventis intumescente, ita ut multa hominum millia submergerentur *Lycost. in prodig.*

Prima Sessio in Concilio Basiliensi habita Juliano Cardinale præsidente 1431 *Æn. Syl.*

Conradus Gesnerus medicus Tiguri Helvetiorum obiit, ætatis 50. 1565 *Prosp.*

Emanuel Lusit R. obiit an. 1521.

Nata-

Natalis Henrici IV Francorum Regis, maximi atque optimi principis anno 1553

XIV

S.Spiridion celeberr. confessor prophetiæ dono & signorum gloria inclytus.

DIes ater qui & Ægyptiacus dictus. *Cal.Rom.* Ægyptii in singulis mensibus duos habebant dies, quos & ægros dicebant.

Jejunia 4 temporum per Calixtum Pontificem instituta anno C. 215 *Petr.Venet.*

Joann. VIII in ordine 109 Pont. creatus 872 *Onuph.* Hic Carolum II Ludovicum II & Carol. III. Imp. diademate redimivit.

Formosus papa obiit 895 *Onuph.*

Martyrium P. Martini Aromadæ & sociorum è Societ. Jesu anno 1612

Joan Gerson vir integerrimus, & eruditissimus Gersone campaniæ vico unde illi nomen oriundus, hodie natus 1362

Margarita soror Francisci I obiit 1549

XV

S. Valerianus Episcopus Confessor celeberrimus toto imperio extorris, & errans sub dio, in defensione Catholicæ veritatis beatæ vitæ cursum feliciter complevit.

HIerosolymitani secundi templi fundamenta jacta anno 2 Darii Agg. 2 Joseph.

Nero Imperator omni vitiorum genere inquinatissimus, hodie primùm lucem salutavit, natus sub ortum solis, ut notat Suetonius, anno Christi 37

Is postea cum per 13 annos crudeliter imperasset, occisus est ætatis 32 Sal. 69

Justiniani mandatum ad Tribonianum emissum de componendis pandectis anno 530

Sub Joanne VIII Sarraceni Cassiniense cœnobium vastarunt *Volat.*

XVI

Encenia vel Renovalia festa à Iuda Machab instituta. Joseph.

ANtiochus Epiphanes ex Ægypto Romanorum jussu cedens, Hierosolymam cum exercitu ingressus, templum profanavit, urbem diripuit an. ante Christum 167 *Ioseph.* 12 *c.* 6

Pandectæ juris Justiniani Imp. jussu editæ anno 534 *Ant.Cond.*

Pipinus Austrasiæ princeps pater Caroli M decessit 714 *Mass.*

Romanus Græc. Imp. à filiis imperio deponitur & monasterio includitur, anno 944 *Greg.Cedr.*

Carolus Valesius Philippi pulchri R. frater moritur 1325 *Chron.Fr.*

Alphonsus Rex Arragonum qui sepultam à multis annis Astrologiam de tumulo excitavit, conquisitis undique impigra sollicitudine, & magnis sumptibus Astrologis, natus est anno 1221 hora 6 matutina *Iunctinus.* Excessit è vivis 1284 anno ætatis 63

XVII

S.Olympias Chrysostomi in spiritu filia dilectissima.

SAturnaliorum primus dies adjectus in correctione anni à Julio Cæsare instituta.

Alexander Mammææ filius innumeris virtutibus clarus, cruenta Maximini perfidia de arce rerum humanarum violenta morte summotus. Imp. 13 salutis 235 *Mar Scot.* Melanchton ad Junii 28 refert.

Totilas Romam ingressus muros subvertit, urbem diripuit & incendit: hinc illa per 40 dies penitus desolata 548 *Cusp.*

Carolus Calvus Imp. Romam magnifice

ficè ingressus à papa splendidè suscipitur 875 *Annon.*

Georgius Varadiensis Episcopus Cardinalis qui monachus Ungariæ & tutor regni dicebatur, in propriis ædibus à Joanne Castaldo duce Italo in Concilio Tridentino transfossus, ne Turcæ ope in Ungaria turbas excitaret. 1551 *Sleid 23*

Nuptiæ Henrici IV. F. R. Et Mariæ Medicææ, 1600

Renatus Rex Siciliæ & Neapolis Dux Lotharingiæ victor Caroli Burgundi obiit anno 1508

XVIII.

SS. Victuri, Victoris, & Victorini festus dies.

S. Gatianus Turonensium primus Episcopus, à S. Fabiano Papa missus.

Iudei alienigenas uxores post captivitatem Babylonicam dimittunt juxta Massaeum alii supra, ut notatum, constituunt.

Æsculapii festum Athenis *Bent.*

Arcadicum munus Romæ *Cal. R*

Innocentius VI. Lemovicensis, in ordine 201 Papa designatus 1552 *Onuph.* Hic Carol IV Imp. Romæ per duos Cardinales diademate redimivit, atque per Ægid. Carillam legatum in Italia, statum Ecclesiæ tumultuantem composuit. sedit annos 10 cui Urb V successit *Volat.*

Anno 1607 initium sævæ hyemis qua Sequana uno mense glacie stetit.

XIX.

S. Thea.

Sidon urbs Syriæ maritima à Christianis Danorum opera expugnata anno 1111 *Tyr 11. c. 14*

Urban. V. Papa moritur 1370 Plat. præfuit annos 9 *Avenione sedit.*

Romæ ob annum Jubilæum tanta fuit hominum multitudo, ut ad molem Adriani ob concurrentium turbam 200 perierint, multique in flumen præcipitati & absorpti fuerint anno 1450 *Matt. Palm.*

Prælium ingens in Gallia commissum, ad oppidum Drocas, & varia fortuna, in quo aliquot millia hominum occisa, in quibus Marescallus de S. Andrea, Princeps Nivernensis & Monbrinius Comitis stabuli filius : ex altera verò parte Ludov. Borbonius Princeps Condæus suorum primarius Dux captus 1562 *AEmil*

Comes S. Pauli securi percutitur Lutetiæ 1436

Gustavus Adolph. R Sueciæ natus 1594 hora 7 mane.

Anno 1598 Tyberis inundatio magna cum ingenti ruina.

XX.

S. Liberatus Romæ.

Hierosolymitani templi secundi fundamenta altius jacta.

Epicuri juxta aliquos natalis: tum Ethnici se meraciore vino explebant *Cal R.*

Ninive urbs ab Heraclio Imp. occupata 628 *Ann Constantin.*

Igneæ acies in cælo visæ 1119 *Lycost. in prodigiis.*

Henricus II. Angl. R. coronatus 1154 *Lil*

Piè decessit in Goano Coll. R. P. Hugo Barretius electus Æthiopiæ Patriarcha è Soc Jesu, anno 1569

XXI.

Calamina Natalis B. Thomæ Apostoli.

Herculi & Cereri suæ prægnante patribus, & mulso, à Gentili Roma sacrificabatur. *Cal Rom.*

Leopoldus Austriæ Dux Richardum Angliæ Regem Viennæ ignoto habitu cepit 1149 *Avent.*

Margarita Valesia Navarræ Regina Franc R. soror decessit 1549 *Til. Aliqui ad 1. dec.*

Anno

Anno 1597 ob. Friburgi, R. P. Petrus Canisius in societate Jesu spectatissimus ætatis 77

Solstitium brumale.

Anno 1596 Pons molitorum parisiis, die S. Thomæ sacro cum magna clade decidit.

XXII.

S. Flavianus exprafectus sub Iuliano inscriptus, & ad aquas Taurinas relegatus Martyres Ægyptii multi.

Noë incipiunt cacumina humiliorum montium apparere & liberatur à diluvio anno mundi 1657

Sigillaria incipiunt, durantque per dies 7. *Macrob.* 1 *cap.* 11

Joannes 23 Papa qui Constantiæ depositus fuit, moritur 1319 *Onuph.*

Dux Guisius blesis occiditur 1588 Maximilianus Sfortia ab Helvetiis in avitum ducatum Mediolani restitutus, 1512 *Paul. Iov.*

Clemens VII. Pontifex, Cæsar. Gallus, Anglus, & Italiæ principes fœdus ineunt 1529

Anno 1562 ob. R. P. Joan. Nugnes Soc. Jesu Patriarchiæ Æthiopiæ.

XXIII.

S. Victoria castitatis victima rogatu sponsi à carnifice icta.

Iudas Machabaus muros Hierosolyma ædificavit & exercitum ibidem collocavit, anno mundi 3799. 1. Mac. 4

Romulus Martis filius à Rhea matre conceptus *Plut.*

Jovis feriæ Romæ celebratæ, quæ Laurentinalia ab Acca Laurentia uxore Faustuli dicebantur. *Macrob.* 1. *Sat.* 10

Aurelius Commodus Antoninus Imp. de Marcomannis, Quadis, Suevis, & Sarmatis triumphat. an. Cond. V. 929 *Goltz.*

Constantinus Syrus in ordine 89 pont. electus 708 *Onuph.*

Justinianus hunc præcipuè dilexit, ad se vocavit, & apud eum conscientiam expiavit. *Volat.*

Conradus Francosalignus dictus, Cæsar moritur, anno R. Sal 881 *Onuph.* ad 1. Jul. & annis 28 seniorem facit.

Bonifacius VIII. Neapolitanus Pontifex designatur 1294 Mart. Pol. append. sedit. annos 8 & Jubilæum magnum post annos 100 recurrens instituit.

Cassanus Tartarorum R. in Syria Sultanum ingenti prælio superavit.

XXIV.

Treviris S. Irmina Virgo, Dagoberti filia.

Sergius Galba qui septem Romæ imperavit menses, cum diebus 25 natus est, Marco Valerio Messala, & Cneo Lentulo consulibus.

Witellius Imp. anno 1 Imp. interfectus. Sal 70 *Onuph* aliqui ad 3 oct. anno 73

Nicephorus Imp. Orientis occisus an. Imp. 6 Sal. 470 *Onuph.*

Theodoricus marchio Misnæ, Lypsiæ ea nocte quæ natalem Christi antecessit, insidiis Comitis Nassoviæ per latronem in æde S. Thomæ transfossus 1307

Rhodii equites sese Solymano dedunt pacti corporum incolumitatem 1522

Anno 1588 obiit apud Abyssinos P. Emanuel Fernandes Soc. Jesu.

XXV.

Nativitas *Salvatoris.*

Ensis aureus Ducalis Romæ consecratur. *Novid.* 12 *fast.*

Romæ eodem die quo Christus natus de taberna meritoria fons de terra manavit, ac per totum diem largissimo rivo fluxit. *Mar. Pol.*

Octavius Augustus eodem anno & die quo

quo Christus natus edicto vetuit se Dominum appellari *Oros.*

Thedosius Imper. Mediolani à S. Ambrosio absolutionem petiit & accepit. 390 *Sabel.*

Bonifacius V. Papa consecratus 617. *Onuph.* Instituit ut ad templa confugientes salvi & immunes essent. *Volat.*

Leo V. Imp. Orientis occisus 820.

Carolus Magnus Romæ in templo Imperator occidentis acclamatus, & à Leone papa coronatus an. Regni Francici 35 Sal. 800. *Cusp.*

Carol. II. Romæ à Joanne VIII. Imp diademate redimitus 876 *Onuph.*

Otto magnus à Joan. 12 Romæ Imperii coronam sumpsit *Onuph.*

Henricus III. à Clemente magna pompâ Imp. consecratus 1047

Constantius XII. Ducas orientis Imp. designatus 1060. *Onuph*

Wilhelmus Normanniæ Ducis Nothus post victum in acie Heraldum ex Dania prosapia ultimum Regem, Londini coronatur 1066. ab hoc Angliæ Reges in hunc diem usque deducti *Til.*

Balduinus III. Fulconis filius Rex Hierosolymæ consecratus 1141. *Tyr.*

Edessa Urbs Syriæ à Sarracenis expugnata, omnibus Christianis occisis aut captis 1145 *Conr. Abb Uesperg.*

Michael Paleologus Imp. Orientis coronatus 1258 *Onuph*

Rhodus Solymanno deditur 1322

XXVI.

S. Stephanus.

Adrianus Papa decessit quem Carolus magnus uti fratrem luxit 796. Scot. sed an. 23. mens. 10

Fridericus II. Imp. ad Esim urbem natus 1164 *Bosin. dec. 2. l. 9*

Galeatius Sfortius Dux Mediolani in templo S. Stephani à duobus nobilibus ob aliquas injurias sibi illatas occisus 1477. *Bergom & Benth.*

Anno 1574 Carolus Lotharingiæ Cardinalis supremum diem vidit.

Anno. 1646. pia morte de vita excessit Henricus II. Borbonius Princeps Condæus plenissimè Catholicus, & prudentiâ civili præcipuus.

XXVII.

S. Ioannes Evangelista.

Leo III, in ord. 98 Pont. Romæ consecratur 796 Plat. sedit annos 20 Hic ad Carolum in Galliam fugit, à quo restitutus, Romæ Imperatorem dixit, ut grati animi sensum declararet.

Agapetus II ob. 956. *Onuph.* sed anno 9 mens. 6 & Othonem Imp. contra Berengarium in Italiam vocavit.

Anno 1594 Henricus IV. R. F. à furioso juvene Joanne Castello, execrando facinore vulneratur.

Ronsardus Poëta celeberrimus Homeri & Virgilii gloriam æmulatus decessit.

Anno 1639. Corolopiti tonitrua clara & personantia hora noct. 2. instante conjunctione Saturni cum Luna & quadrato Martis.

Tam præpostero tempore aër ardoribus incensus, prænuncius fuit sævæ pestis, quæ dilectam urbem vehementer afflixit.

XXVIII.

SS. Innocentes.

Titus natus Romæ anno Chr. 44

Zeno Imp. Orientis obiit an. Imp. 17 Sal. 491. *Cusp.*

Ecclesia major Constantinopolis, quæ maxima in mundo censetur, à Justiniano constructa 537. *Cusp. in Consul.*

Alphonsus Arragonius I. à Frogetio Genuen-

Genuensium duce profligatus Neapolim refugit 1420. *Pand. Coll.*

Anno 1622. Cælestium civis asseritur cælo, beatæ memoriæ *Franciscus de Sales*, Genevensis Episcopus, magnis & gloriosis laboribus pro Christi Ecclesia perfunctus & illustri ordine Religiosorum instituto cui spiritum suum moriens æternis notis impressit.

XXIX.

S. David Rex & Propheta canendi vivendique harmoniam sitiens, mirificum in vita sua canticum exhibuit Deo.

S. Trophimus Arelatensis Episcopus, de cujus fonte tota Gallia fidei rivulos accepit.

S. Zozimus Papa.

Juris opera utilissima eduntur Justiniani Imp jussu 335. *Ant. Cont l. 1.*

Maximilianus Sfortia Dux Mediolani triumphans in patriam redit 1512. *Math. Palm Contin.*

Metensis obsidio à Carol. V. solvitur 1552. *Sab. suppl. l 29*

XXX.

S. Venustianus præses martyr.

Commodus Imp. laqueo vitam finivit, cui Pertinax setus annis, & imperio brevis successit 193.

Innocent. VI. magna & solemni pompa coronatus 1352. *Onuph.* Præfuit is annos 10 & Romanos tumultuantes compescuit.

Gregorius XI. Gallus 203. Pontifex electus 371. *Onuph.* sed. anno 7. menses 5. Sub hoc omnia oppida pontificia in Italia defecerunt, itaque ex Gallia Catharinæ Senensis hortatu Romam rediit 1386. & ingenti lætitia ab omnibus exceptus fuit. *Volat.*

XXXI.

Natalis S. Sylvestri Papæ.

Nabuchodonosor die 20. 10 mensis, 9. anni Regni Sedeciæ in Judæam rediit, & Hierosolymam obsedit per 18. menses: urbs capta, templum crematum & Rex cum populo Babylonem perductus anno templi 414 Ideo Judæi eo die jejunium celebrant. 4 *Reg. 23. Hier. 39. Ios. 10. cap. 10.*

Sultanus Selim. Tur Imp. in omnibus regnis & provinciis suis classem & militem præparat, ut terra marique Veneros aggrediatur, cladem que acceptam memorabili victoria resarciat 1571.

Institutio equitum ordinis sancti Spiritus à Rege Henrico III. Parisiis apud Cælestinos 1579.

Has ego observationes Historicas è pluribus paucas, & maxime ex antiqua historia selegi. Multa omitti oportuit quorum dies ignorabatur; quadam iteratò poni, ob diversas authorum de tempore sententias: omnia ut in fastis fieri solet succingi, nec de calculo prolixiùs disputari hic placuit. Qui plura volent, ad Historiarum recurrent fontes, theatrum divinæ providentiæ plenum ubique spectaturi.

F I N I S.

OBSERVATIONES ANTIQUÆ QUIBUS SUPERSTITIOSA ASTROLOGIA EXAGITATUR.

SÆPE animadverti Judices Astrologos, cum premuntur rationibus, ad experimenta cōfugere, & si quid illis fortè contigerit, quod arti satis destitutæ favere videatur, id intemperanter extollere: Constitui hoc tractatu post varias rationes exempla subjicere, quibus divinatoriam istam jam planè concussam penitus profligarem.

Sixtus ab Hemminga Frisius, author clarissimus in libro de Astrologia, ratione & experientia refutata, observavit varias genituras, quarum aliæ in viris valde illustribus sunt dejectæ, in mediocribus atq; etiā infimis hominibus pulcherrimæ: Lubet hic aliquas annotare, ut artis vanitas manifestis exemplis magis elucescat.

PRIMA OBSERVATIO.

IN genitura Pauli II. Pontificis Maximi, qui Pio II successit, videre licet solem in dejectione sua in Aquario, in opposito Saturni, in termino Martis: Lunam in piscibus, peregrinam, in termino Martis, in domo octava: Venerem dominam M.C. in sextili Lunæ, in Capricorno positam, peregrinam, in cadente cæli loco, & termino Saturni: Caudam Draconis in med. cæli quàm hic ominosam & honoribus exitialem dictitant. Tempore electionis medium cælum pervenerat directione ad gradum 19. minut. 2. Geminorum in quem nulli cadunt radii beneficiorum: Revolutione ad grad. 20. m. 46. piscium, anno Domini 1464 31. Augusti, ætatis suæ 46. completo cum mense 6. dieb. 24.

Unde igitur ex tenui fortuna ad tantum evectus est fastigium? silent Astra, sola providentia loquitur.

SECUNDA OBSERVATIO.

IN genitura Alexandri VI. qui Innocentio VIII. successit, videmus Solem in Capricorno, & Martem dominum medii cœli in Aquario, domo secunda, nullam habere prærogativam: Lunam junctam Jovi debeli, & peregrinam in domo cæli cadente. Tempore electionis quæ fuit ætatis anno LXI. medium cæli pervenerat directione ad grad. 1. minut. 1. Capricorni: revolutione ad sextilem Martis & Veneris in Sagittario, quod parum ad rem faciebat.

Sic obscuris Astris natus est vir politico in

cò ingenio magnus, & summa potestate toto orbe clarissimus.

TERTIA OBSERVATIO.

IN genitura Julii secundi qui tenuissimis parentibus ortus, ad summum Pontificatum pervenit, ac Pio III. successit, animadvertere licet Solem dominū medii cæli in Cancro peregrinum in domo octava, & Lunam in Aquario, in quo nullam habet dignitatem in domo cadente, tertia: Martem in trigono Lunæ, in Geminis, & domo octava. Tempore electionis mediū cæli pervenerat directione ad grad. 23. mino Libræ, ad quàm Gauricus nativitatem direxisse videtur, revolutione ad grad 3. min. 5 Cancri: ætatis ejus anno 58. completo, cum mens 3 dieb. 26 Ut nihil supersit Astrologis quàm ut referant hanc fortunæ excellentiam ad constitutionem reguli in apice medii cæli: & luminosioris lancis meridionalis Libræ in horoscopo. Sed istæ stellæ satis otiosæ in multis repetiuntur nisi Planetarum illustrium societate stimulentur.

QUARTA OBSERVATIO.

IN genitura Joannis Medices qui Julio II. successit, dictus Leo decimus, significatores honorum fuere Sol, Luna, Jupiter aspiciens Lunam trigono, Saturnus camdem intuens Sextili: Venus domina medii cæli, quorum nullus in propria domo, aut exaltatione fuit: Saturnus etiam in suo detrimento, in octava domo Luna in abjectissimo cæli loco, neque Jupiter fuit angularis, sed oppositus Saturno in domo secunda: Electionis tempore, hoc est, ætatis anno 37. completo cum mensibus 2. dieb 22. pervenerat M. C. directione ad grad 22 min 33. Scorpii: revolutione ad grad. 20. min. 50. ejusdem signi qui quidem gradus nullis beneficorum radiis illustrantur. Hæc itaque dignitas ad solam positionem Veneris dominæ medii cæli in horoscopo, & Spice Virginis in apice M.C. referri potest, quę tanti fulgoris causa neutiquam censeri debet, nisi ex ignis scintilla solem oriri velimus.

QUINTA OBSERVATIO.

IN genitura Julii Medices, qui in Pontificatu Adriano VI. successit, & Clemens VII. fuit appellatus, significatores honorum fuere Sol in Geminis decima domo: Luna in Ariete, octava domo: Mars trino Solem aspiciens in Libra detrimento suo, in domo cæli succedente secunda: Venus domina medii cæli in extremitate Geminorum, & fine decimæ domus in terminis Martis: Mercurius dominus Geminorum signi intercepti, in decima, ibidem positus; Jupiter in nona domo propè cuspidem M.C. in Tauro: Ex quibus solus Mercurius in proprio domicilio positus, cum oculo Tauri, in angulo honores significavit: cùm ad tantam amplitudinem par esse videretur ut omnes Planetæ in dignitatibus positi suis facibus tantum natalem illustrarent.

SEXTA OBSERVATIO.

IN genitura Alexandri Farnesii, qui Clementi VII. successit, & Paulus tertius fuit appellatus, Sol in piscibus in angulo mediocres dignitates significat: Luna in Tauro magnas quidem, sed quia in succedente domo & juncta Marti, modicas: Jupiter in detrimento suo, duplici testimonio negat, tum quia dominus est medii cæli: tum quia solem quadrato intuetur, sed minuit significationem hanc constitutio angularis: Mars Solem aspi-

ciens duplici quoq; testimonio negat honores, tum quia in detrimento suo versatur, tum quia in domo tertia: Similiter & Lunæ junctus duobus modis negat. Nulla igitur hîc vides magnifica promissa. Sed tamen hîc omnium favores stellarum illustrare debuerant virum & meritis, & dignitate cumulatissimum.

SEPTIMA OBSERVATIO.

IN genitura Caroli V. honorum significatores fuere, Sol peregrinus in Piscibus domo succedente: Luna, in horoscopo quidem, sed detrimento suo Capricorno: Mercurius junctus Soli in detrimento & casu suo, in termino Martis: Jupiter Sextili aspiciens Lunam in domo quidem propria, sed sub radiis solaribus: Mars Solem spectans dominus medii cæli in Tauro detrimento suo. Itaque demissa est genesis Imperatoris qui orbem totum fama nominis implevit.

OCTAVA OBSERVATIO.

IN genitura Ferdinandi Imp. significatores fuere, Sol dominus M. C in fine Piscium peregrinus, in termino Martis, in succedente domo, in quadrato Saturni: Luna in Virgine solam habens triplicitatem, in quadrato Jovis infelicis: Mercurius junctus Soli in quinta, in detrimento suo & casu, in termino Martis, in quadrato Saturni: Saturnus Solem aspiciens quadrato in octava domo: Jupiter in septima quidem & cum oculo Tauri, sed in detrimento suo. Quibus igitur gradibus solium imperii conscendit? non iis quos planetæ suggessere, sed quos providentia substruxit.

NONA OBSERVATIO.

IN genitura Maximiliani I. Imp. significatores fuere Sol, Luna, Mercurius Soli junctus: Jupiter quadrato aspiciens Lunam, & dominus medii cæli: Mars dominus signi intercepti in decima. Ex his Luna & Mercurius nullam habent prærogativam.

DECIMA OBSERVATIO.

PEtrejus Tyara medicus ac Philosophus magna cum laude litteras Græcas professus Lovanii & Duaci, & etiamnum in Academia nova Leydensi eandem navans operam, cùm Solem in horoscopo habeat in leone domo propria, ariete domum decimam obtinente in quo exaltatur Sol: & Lunam in Tauro propria domo & in decima cum parte fortunæ, & Jovem dominum M. C. juxta Aldebaran, quos Apices huic astra non promittebant? & tamen solùm habet unde familiam liberaliter sustentet, ac opibus non abundat. Et hic quidem Astrologiam contemnit, & Astrologos meritò deridet. modica ac frugali fortuna contentus securissimè vivens, atque ipse sibi philosophiæ præsidio abundè supplens id quod fallax Astrologia promiserat.

UNDECIMA OBSERVATIO.

NOvit Hémingas quendam qui per totam vitam occupatus fuit impetrandis bullis, indulgentiis, & dispensationibus pontificiis, qui multis quidem impetravit multa, nihil sibi: Natus anno 1509. 27. Martii hora 21. min. 50. Solem habuit in exaltatione propria & angulo decimæ, grad. 17. min. 6. Arietis: Lunam in domo propria grad. 15. min. 2. Cancri, in horoscopo.

copo.

copo, cum aſcenderet grad. 13. min. 33. Cancri: Jovem in trino aſpectu Solis in grad. 17. m. 53. Sagitt. domo propria cum capite Draconis: Venerem in trigono Lunæ, & dominam M. C. poſitam in exaltatione ſua grad. 13 min 34 Piſcium, in apice M. C. ut ad dignitates conſequendas vix aptiorem genituram poſſis animo concipere, coactus interim jam ſenex ad divitum menſas *aliena vivere quadra*.

DUODECIMA OBSERVATIO.

MAtthæus ille Taphurius quem Gauricus prodit in literis Latinis atque Græcis, nec non & Mathematicis diſciplinis præclarum fuiſſe, ac poſtea vocat potatorem, bardum, vanum, mente captum, ac miſellum, Solem habuit in propria domo Leone cum Regulo, & in horoſcopo, quæ ſola conſtitutio Solis cùm nulli obſtent ſiniſtri radii maleficorum, ſuffecerit & ad honores amplos, & ad longos annos cùm tamen hic beatulus Aſtrorum pullus abjectam vitam ſortitus fuerit, & innumeris calamitatibus conflictatus.

DECIMA TERTIA OBSERVATIO.

ESt etiam apud Gauricum Franciſci Roſcii Ravennatum quondam oratoris ad Leonem X. genitura in hac ſignificatione tam illuſtris. ut non facilè parem invenias, & meritò judicari potuerit ſummi cujuſdam Imperatoris fuiſſe. Solem habuit in Leone grad. 20 min. 50 cum regulo in 7. Lunam junctam Jovi in Cancro, quæ domus eſt Lunæ exaltatio Jovis, in angulo quoque parte Luna junctam habuit Venerem & Mercurium in principio Leonis maleficis interim, altero in Sagittario nullum planetam neque horoſcopum, aut M. C. ſævo intuitu aſpicientibus, ut videre licet ex calculo totius genituræ. Et tamen ſcribit L. Gauricus graviter vulneratum, & ab adverſariis amputatam ei fuiſſe manum ſiniſtram, demùm & violenta morte periiſſe. Patet, non ſolùm in dignitatum ſignificatione, ſed & hac in parte fallacia ac vanitas Aſtrologiæ, cùm ne minima quidem indicia violentæ mortis hîc extiterint, Luna Jovi juncta, & Saturno in octava, non occupante ſignum violentum.

DECIMA QUARTA. OBSERVATIO.

SIc etiam Franciſcus de Monza Mediolanenſis Muſicus clariſſimus, quatuor habuit planetas in dignitatibus ſuis eſſentialibus, honorum ſignificatores. Solem habuit junctum Mercurio in Virgine domo Mercurii in medio cæli: Lunam in Tauro domo propria, in trigono Mercurii & Solis: Jovem in quadrato Solis: in Sagittario cum corde Scorpii, in domicilio proprio in angulo primæ domus: ac Mercurium med. cæli dominum feliciſſimo cæli loco poſitum, & in figura cæli potentiſſimum: Venerem & Martem, quanquam ſignificatores non fuerint, hunc tamen in exaltatione ſua poſitum, illam cum regulo Hæc facere debuerant Cardinalem eminentiſſimum, aut certè Pontificem ornatiſſimum, nec tamen præter artis ſummæ peritiam aliquid ſublime eſt aſſecutus.

DECIMA QUINTA OBSERVATIO.

NAtus eſt circulator & agyrta quidam anno 1540. 8. Aprilis, hora 23. min. 55. cujus thema natalitium tale fuit. Sol, ut

 liquet,

liquet; in apice med. cæli in exaltatione propria: Luna quoque in exaltatione propria, in Tauro, in domo decima cum Aldebaran, & cum ipsa Venere domina Tauri, quæ tertia significatrix est. Jupiter autē & Saturnus quanquam ad hanc significationem hic non pertineant, valere tamen plurimum debet utriusque positio in sua exaltatione. Hic sua grandiloquentiâ mirè triumphat, nugatoriâ strenuus potentiâ auditores suos vaso suspendere adunco, beneficio videlicet corporum cælestium, quæ ei nascenti tam feliciter emicuerunt, ut vix sit dubium, quin aliquando sit multò adhuc maximè exaltandus, puta laqueo ad furcas. *Hæc Sixtus ab Hemminga.* Sufficiat sola inspectio genituratum Ludovici Sfortiæ, ejusque filii Francisci: Nam pater post aliquot annos fragilis Principatus, Mediolanensis, suorum proditione captus, ditione ac potentia privatus, & in Galliam procul abductus, septem fermè annis in captivitate vixit, atque ibidem infeliciter vitam clausit, cum quatuor planetas Solem, Jovem, Martem, ac Venerem in propriis domiciliis positos habuerit: Saturnum præterea in exaltatione sua cum spica verè potentissimos honorum ac dignitatum significatores: Hunc ipsum casum non prævidente aut vaticinante celeberrimo quodam Astrologo suo, quem domi aluisse, & in quavis re suscipienda curiosè admodum consuluisse traditur. Filius verò cùm nullam planetam in dignitatibus suis essentialibus præter Martem in Scorpione octava domo quæ hæreditatis est, habuerit: Sole in duodecima, in Aquario detrimento suo versante; mirabili tamen rerum vicissitudine, post fatum patris, post restitutum Maximilianum fratrem, & rursus à Francisco I. Françorum rege circumventum, tandem post multos annos beneficio atque ope Caroli V Imp. Mediolani atque Insubriæ principatum recuperavit. Harum rerum qui uberiorem cognitionem requirit, poterit haurire ex monumentis eorum qui res Italicas descripserunt, & comperiet prodigiosam fortunæ commutationem.

Scripsi epistolam Gallicam ad illustrissimum virum , in qua exempla quædam haud ignobilia oculis subjeci: quorum nō pigebit hoc loco quædam apponere. Cardanus audacter, ut solet, aggressus est Neronis Horoscopum, de quo exclamat, *hæc est vera Neronis genitura*, *nec nix nivi similior* Sed tamen quàm aberrat à scopo, quàm temerè vagatur extra rem! Cum enim priùs verum illius nativitatis diem assignasset, nec congruere cum astris inveniret, in postremis curis, nempè in libro 100 genituratum, Neronem natum scribit anno Christi 38 die 14. Junii, quod manifestissimè pugnat contra Suetonium accuratissimum authorem, qui ad 15. Decembris remittit. Decimus enim quartus Junii cujus hîc meminit, dies est morti Neronis ab historicis ascriptus, non autem nativitati. Ex quo patet quàm ridiculè exclamat, *hæc est vera Neronis genitura, nec nix nivi similior*, quàm hæc genitura gestis moribus, ac fortunæ Neronis, qui sævitiâ fuit horrendâ in fratrem, uxorem, matrem, in omnes denique: Urbem incendio, corpus stupris, animum flagitiis, omnia cruentâ nece fœdavit. Animo trepidus etiam ad ipsa facinora, valetudine firmus, anno 18. Imperium orbis matris fraude adeptus, 32. ætatis scelere proprio cum vita simul amisit, manū publicæ pœnæ timore inferre sibi compulsus. Mirum est cur Astrologus tam disertus nullam ex Astris istorum causam attulerit.

Cardanus in libro centū genituratum, genitura quadragesima.

Suetonius in Nerone cap. 6.

Altera

Altera genitura est Pauli III. jam libata de qua Sixtus scribit quod non est prætermittendum. Alexander Farnesius qui postea appellatus fuit Paulus tertius, quæsivisse (falsò ut opinor) narratur, post defunctum Leonem X. Pontificem ex Paride Ceresario Mantuano Astrologo: Primùm an ex defluxu syderum spes aliqua summi sacerdotii consequendi, ac successionis in locum demortui, affulgeret. Secundò, si in eo tempore nulla, quando tandem summus Pontificatus, expectandus. Tertiò, quid interea magnoperè notatu dignum sibi accideret. Quartò, de vitæ suæ spatio. Hæc ita colligit Hieronymus Cardanus, ex scripto quodam invento inter arcana occisi Petri Aloisii, oblato sibi à Joanne Maona Pisano à secretis Ducis Cæsarei exercitus, quòd sic habebat.

Copia capituli literarum excellentissimi Astrologi.

R*Everendiss Domine, Vidi & cum summo studio, ea quæ ad me transmisisti circa genituram V. R. D. & diem nativitatis, quæ fuit 28 Februarii hora 6. m. 46. ante meridiem, anno 1468. ... peremus recursum syderum satisfacere desiderio tuæ R. D his proximis comitiis. Verùm sydera nunc non sunt disposita, sed in aliud tempus erunt benigniora Pollicentur enim assumptionem ad summum gradum Pontificatus anno Domini 1534 qui erit annus vitæ 66. dies 253 hora 9. minut. 34. ex directione Solis ad trigonum Mercurii cum testimonio Iovis & Saturni. At interim non leve periculum in aquis anno 61. mensibus 6. diebus 3. ex directione Lunæ ad quadratam Saturni. Anno 81. diebus 68. 1549. D. V. R. graviter se habebit cum magno vitæ discrimine, quæ dies erit 4. vel 5. Maii, ex directione horoscopi ad suum trinum qui pro quadrato habetur, eo quia est in signis brevium ascensionum, cum testimonio Saturni domini terminorum illius directionis, & sine auxilio Iovis, cum non reperiatur in aspectu trino vel opposito in ista directione Posset tamen præsentia Iovis conferre quod nos non credimus.* Addit Cardanus hæc ille vir penè divinus: atque divini illius prognostici interpretationem aggreditur: quam si quis ex scriptis ipsius Cardani requirere volet, & cum mea hac in re sententia conferre, videbit proculdùbiò, quantulus ille fuerit in prædictionibus, hic in ferendo judicio.

Omninò fabula est ab isto Joanne Maona inventa, ut Astrologiæ famam conciliaret; nam qui homines, qui dæmones possent dicere, talem virum summum Pontificem renunciandum tali die, tali horâ, tali minuto, idque ex trino Mercurii, & cui vix tenuissimum sacellum aliquis daret, huic primam tiaram ascribere?

Tertia est Gustavi Adolphi Regis Sueciæ de qua sic Argolus. Stella nova apparens anno 1572. in sede Cassiopeæ in horoscopo Regis.

Anno 1630 circa initium sub fictitio prætextu bellum movit Imperatori Ferdinando Austriaco, pluribus cum præliis victor extitisset, anno 1632. tandem in conflictu cum imperialibus die 16. Octobris, accepto prius vulnere in brachio, elisisque postmodum interiit, die sequenti inter mortuorum cadavera, uti Catilina, repertus est. Scripseram anno ante cuidam eminentissimo has directiones propinquas exitium minari. In ascendente, &c

te, & occasu stellæ violentæ. Jupiter dominus ascendentis in signo violento, in quadrato Martis, & Saturni diametro: Luna propè caput Medusæ servata latitudine: Sol cum stellulis maleficis, quas tantùm magnificat Cardanus pro exitu violento. Dirigebatur Sol ad Saturni oppositum, & quadratum Martis Lunæ erat directione inter plejadas, & medium cæli cum Marte, & quadratis Jovis, & Saturni.

Ex iis apparet quàm frivolæ, quàm inanes sint conjecturæ. Rex enim Sueciæ quem 16. Octobris fato functum putat, mortuus est 16. Novembris, ut habet historia militis Sueciç. Destructo igitur fundamento, tota illa opinionum machinatio corruit.



OBSERVATIONES RECENTIORES QUIBUS FALSI ARGUI, CONVINCIQUE JUDICIARIORUM ASTROLOGIA POSSIT.

PRIMA OBSERVATIO.



Nus ex Astrologis vir nobilis, & peritiæ in hac facultate planè consummatæ, scripsit horoscopum spectatissimæ fœminæ accurato studio, & opera singulari: pinxit tamen potius præsentia, quàm divinavit futura.

Dixit imprimis ejus temperamentum esse sanguineum, nonnihil in melancholiam declinant, quod spectanti cuivis ex vultu & convictu erat obvium. Dixit formosam quod penè cœcis patebat, nec tamen ex arte. Nam cùm Saturnus ejus ascendenti admodùm potens impendeat, debuerat certè habere formam quam illi huic Planetæ præsertim in prima domo existenti omnes adscribunt. At quid Schonerus? *Qui Saturno primam genituræ sedem obtinente nascetur, erit homo deformis, infortunatus, invenustus.* Quid Pezelius istorum curiosissimus qui ferè omnia ab antiquis & recentioribus dicta, in unum fascem congessit? *Saturnus formæ significator largitur oculos magnos, quandocumque etiam in uno eorum maculam, aut etiam unum majorem altero, magnam faciem, fœdum aspectum, capillos nigros.* Est tamen facie eleganti sine ullo nævo, planè flava, & aspectu gratissima.

Dixit ingeniosam ex geminis ascendentibus, ex Mercurio, in exaltatione sua constituto, & inde Horoscopum aspiciente, ex Luna plena luminibus: Et istud quidem non insipidè juxta placita S. Thomæ. Sed res aliunde manifesta ex ingeniosis parentibus quibus hæc edita, ex cultura

cultura animi; qui à teneris variorum librorum lectioni assuevit, ex acutè dictis, & polite scriptis, quæ vix ulla ars studiosorum assequi possit.

Mores dixit inclinare in honestatem, bonitatem, liberalitatem, modestiam, suavitatem, inspergi autem à Saturno severitatem, constantiam: solitudinis amorem, silentium, fastidium, dissimulationem. Potuit hæc ex consuetudine melius quàm ex conjunctione Jovis & Lunæ quæ in hac genesi perspicua est, cognoscere; quamquam & Cicero hanc Sysigiam juxta Astrologos vehementer probat.

Dixit divitem opulento patre natam, opulenti mariti sponsam. Quilibet hoc sine Astris facilè dixisset.

Hæc igitur quæ ante oculos sunt, ex proclivi Astrologi denunciant: At ubi de casibus futuris agitur, in ignotam veniunt Regionem, ubi multa peccant, multa mentiuntur.

De felicitate inclytę mulieris loqui mathematicus cœpit, & pronunciavit illi totius vitæ cursum fore longum, fortunatum, illustrem, plenum quietis, jucundissimæ voluptatis, honore & gloria circumfluentem, lætis ubique rerum successibus coronatum.

Hoc, inquit, præstant Saturnus in geminis supra terram positus, in sua triplicitate, directus, citus, orientalis, procul à sole, & sine aspectu Martis.

Jupiter super terram; in sua triplicitate, in undecima domo, prospero aspectu intuens Venerem & Mercurium, liber à radiis, & à malis aspectibus infortunatorum.

Mars in domo sua, in quinta, aspiciens Venerem, nec malè aspectus à Saturno, Sol in quarta domo, nec afflictus à maleficis; Venus in tertia, in dignitatibus Solis, motu cita, non combusta, bene ad Jovem affecta.

Mercurius in suggestu dignitatis collocatus, in angulo occidentali, directus velox, & in Jovis Antiscio.

Luna conditionatium lumen plena luminibus, applicans Jovi, & in trino partili Veneris.

Animadverte, lector, quàm deliciosa somnia, nihil non astra felicitatis promisere, sed solenni Astrologorum mendacio. Illa enim quæ ridentis fortunæ credebatur Amasia, vidit se, & circa se omnia concuti, vidit quicquid in vita charum habebat, atroci calamitatis turbine percelli, vidit sua divelli viscera: totam jactari & prosterni domum. Tulit iratum Jovem, & fulmen. Eripuit se tempestati per tot tempestates, experta terræ marisque immensa pericula, labores immensos, supra sexum, supra fidem: Nihil habuit incolume præter ingentem spiritum, & animum victorem fortunæ tam immaniter sævientis. Adde quod eo anno quo tam funesti casus contigere, Astrologus nihil aliud suspicabatur quàm levem morbum, aut nullum, ex directione oppositi Martis ad Lunam. Deinde quis credat fallacibus nugis? quis futura nisi Deus dicat?

SECUNDA OBSERVATIO.

Natus erat viro illustrissimo atque integerrimo filiolus unicus, ingenti parentum gaudio, & omnium amicorum plausu: libuit Astrologis tentare quid astra promitterent, ac primùm an vitalis partus videretur, de quo sic pronuntiatum.

Grandes esse & fortes conjecturas quæ puero virilem pollicerentur ætatem. Quippe signum ascendens esse Caprum

quem robustis corporibus Manilius & Pontanus attribuunt: Sicque naturam jecisse vitæ fundamenta per solidum. Adde quod nullus sinister infortunatorum aspectus vitæ fontem inficiebat; Sol verò primam domum occupabat, qui juxta Cardanum longævos hîc præstat. Ambo luminaria à maleficis libera, nisi quod Mars quadrato admodum platico Solem perstringebat, quem tamen aspectum Jupiter & Venus horoscopo penè affusi strenuè mitigabant. Nihil timendum infantiæ, præter leviculos morbos, pericula si quæ ab astris, in seros annos differebantur.

Post hæc effata; extinctus est anno sexto ætatis volvente suavissimus infans, cui mirabile ingenium, opes immensas, maximos honores cælum (ut ipsi ajebant) spondebat. Erant illi gratiæ & veneres mirificæ, judicium supra annos admirationi fuit. Citas opes ingenii natura profundebat, quasi instantis præsaga fati, ut ostentaret quid perderemus.

TERTIA OBSERVATIO.

ADolescens summo loco natus, acri ingenio, moribus jam nimis severis, & castigatis, excitavit curiositatem eorum qui natalitias horas scrutantur, & quæsitum quæ sors ejus foret. Inventus Astrologus homo sua opinione omnium Coryphæus qui summa cura pertexeret horoscopum. Denunciavit illi militiam grandem & laboriosam, qui ad lenioris vitæ otia planè natus censebatur, mortem quoque in acie inter palmas Martias, laurosque victrices Digessit in multos annos vitam, quæ prima adolescentiæ face, miserè abrupta. Totum se tradiderat literis in quibus pro ætate mirificos progressus fecerat, de armis nihil cogitabat, Erat corpore formoso, & satis vesco, valetudine jam afflicta: Nec operosum nobis fuit divinare secundum illi climactericum decretorium fore; nam eodem magno omnium qui eum noverant, luctu, desiit esse inter vivos.

QUARTA OBSERVATIO.

PUer nobilissimus aurea indole præditus, adhuc quinquennis mirandos ingenii igniculos prodidit, & cùm septimū ætatis annum ageret, felicissimam habuit memoriam, fuitque sagax interrogando, acutus respondendo, nec judicando præceps. Cœpit interpretari, argutari, disserere, eloqui, studiorum amantior quàm lusionum. Ferebatur in ardua supra spem, supra annos, subdente stimulos gloriâ, nec facundiam ingenio præcipitabat. Quæsivere Astrologi quàm dextro usus nascendo Mercurio, nec quid volebant sunt assecuti. Ajunt enim, *si Mercurius & Luna bene affecti fuerint, & sese mutuò benignis radiis aspexerint, effici quoddam commercium inter animam rationalem, viresque reliquas, ex quibus ingenium præstans vegetumque conflatur*, si contrario modo se habuerint, hebes tardumque procreari.

At in ejus genesi nulla prorsus affinitas Mercurii & Lunæ: Hæc enim in Ariete, ille in Virgine. Est quoque in sexta domo positus admodum degeneri, quæ nullam cum ascendente communionem habet; unde igitur hoc ingenium tam florens & lætum? Sæpissime dixi Astrologiam judicantem, qualis à multis traditur, nimis operosè per dulces fabulas illudi. Quæ juxta Physicam dicuntur, multo sunt viciniora veris. Solis & Lunæ affectiones in

com-

componendo ingenio longè sunt efficaciores, quàm quilibet Mercurius. Opus est cerebro humore convenienti irriguo ad latus disciplinæ accipiendos, memoriamque fovendam. Itaque cum hic puer Lunam habeat in ariete signo igneo, hanc plenam luminibus ad trinum Solis aspectum properantem non deest illi humidi calidique temperies, unde commodissimum temperamentum exsurgat. Cætera quoque via naturali procedentibus proclivius occurrunt. Est insigni pulchritudine propter Lunam & Venerem, quæ se ex diametro aspiciunt. Temperamento est calido, & humido, ob Solem, Jovem, & Venerem qui in ascendente vim magnam habent. Conjunctio duorum planetarum maximorum in ascendente dat illi mores, si Ptolomæo fides, liberales, honestos, civiles, graves, & jucundos, æquos, justos gratos, amabiles, avidos gloriæ & proprii tenaces judicii. Creditum ab antiquis hanc Sysigiam miscere lætis prospera, textumque vitæ diversis casibus variare, quod expertus ipse est difficilibus morbis à tenero conflictatus. Et si quod Divo Thomæ placet in libris de generatione liquidum est, aspectus planetarum ad finitorem circulum vitæ periodos prosperæ improsperæque per morbos aut casus indicare: non vano augurio dictum, circa annum septimum aut octavum ægrum fore, ex directione Saturni ad signum ascendens. Nam tum fuit longis & difficilibus morbis implicatus. Ajunt trino septenario, & quarto noveno, instare molestas directiones, quas si vicerit, mira promitti. Nec tutam infantiam ante primam Enneadem. Sed hæc Providentiæ committenda.

QUINTA OBSERVATIO.

Speculatoribus cæli datus est horoscopus viri pii, & ingeniosi multisque periculis jactati, qui eos valde perplexos habuit.

Hic ætatis mense quarto herniâ graviter laboravit.

Anno decimo cataractæ illi in oculis nati, qui cœcitatem proximè minabantur.

Ab anno decimoquarto ad decimum nonum quotannis sub solstitium æstivum febribus laboravit.

Anno decimonono fuit ictericus bile flava in cutem exundante.

Anno quadragesimo, maligna febri correptus, quæ per triginta dies continuò in venis & visceribus nulla relaxatione stetit.

Anno quadragesimo primo acerbè cruciatus dolore renum, urinisque sanguineis quas per biennium emisit.

Anno quadragesimo secundo periculis maris expositus, naufragium passus est & vix emersit ex abysso.

Hic certè scopulus Astrologorum in uno homine tot casus, jactatio tanta, tam diversa discrimina. Natus anno 1575. Augusti decimo nono; Hora decima sexta, adhuc stat, adhuc vivit. Videant directores & ostendant, si possint, tot morborum ac periculorum caussas, versent & revolvant ubi volent horoscopum, modò omnia ad certos calculos revocent, quod præstare hactenus haud potuere.

SEXTA OBSERVATIO.

NAta est quædam puella nobilis, pia & ingeniosa anno 1610. Octobris die 27. hora 5. post meridiem minutis 30. Mira illi multa contigere. Mater puerpera, dum eam gestat in utero, laboravit febri quartana diutina, per totum tempus puerperii. Nata in summo discrimine matris & suo. Venit in mundum ferè nulla, & tota villosa. Anno secundo ætatis pro deplorata habita. Arsit ferè in lecto, flammâ cubiculum occupante. In aquam septennis cecidit prono capite, à matre raptim accurrente liberata. Novennis à lupo ferè rapta, qui dimissa illa juvencam proximè pascentem invasit. Vixit ferè semper in carcere, vita ejus morbus continuus.

Ingenium illi stupendum, nec tamen Mercurius fortunatus, cum sit peregrinus & in dejecta cæli domo. Non potuere α dipi tot casus ex astris divinare, nec eventus rerum directionibus assequi promisere honores magnos, quia luminaria cum fixis illustribus urpore Sol cum corona boreali, Luna cum oculo Tauri in aspectu Jovis; sed tota illi gloria in virtute & cruce.

SEPTIMA OBSERVATIO.

NAtus viro nobili filiolus, anno 1649 Julii die 7 hora 16. minutis 30. erat eximiè formosus, & placidè nutriebatur à matre. Inerant omnia vitæ & valetudinis signa, Sol cum venere Horoscopo affusus omnia fausta & candida polliceri videbatur. Libuit tamen tentare Astrologum virum honestum & valde eruditum, ut ex arte quid sentiret loqueretur. Is statim ubi vidit Saturnum in duodecima domo Geminorum Lunam partiliter affligentem, ubi aspexit Martem quadrato in eamdem radio incurrere, nec istud platicè sed proximè. Ubi perspexit Lunam dominam ascendentis esse Domino mortis copulatam, haud dubio dixit puerum aut jam mortuum esse, aut minimè diu victurum. Probavit edictum eventus: nec temeraria fuit conjectura, cùm præsertim Luna in ortum infantium ætatemque teneram multum sibi juris vindicet; nec dubium quin malè affecta varias infirmitates veluti de suggestu cæli pronunciet. Sed ne putemus Astrologorum dicta esse immotæ veritatis oracula: deprehendi statim in genitura viri eximii, familiaris quondam mei, Lunam quoque à Saturno partiliter afflictam, idque in aspectu Martis opposito. Dominam quoque ascendentis Lunam, copulatam adstricte cum Domino mortis. In utroque Jovis benefica aspectu trino Lunam laborantem recreabat. Unus tamen undecimo mense mortuus est alter ad annum ferè sexagesimum accedit. Quis in re simili, cùm tam dissimiles exitus, viderit certum aliquid in hac divinatoria stabilire possit.

OCTAVA OBSERVATIO.

EDitus in hanc lucem adolescentulus anno 1637. Novembris die 20. hora 2. minutis 30 post meridiem. Omnia in eo excelsa & illustria. Natus enim est amplissima domo, referta divitiis, & circumfluente gloria, ingenio est optimo, & acri judicio, gratia, lepore, venustate, ad omnes aulæ artes jam factus, & compositus,

positus, forma admodum eleganti, alloquio comis, & pellax, honestis & excelsis moribus. Nec tamen genesis tantis dotibus ullo modo respondet, ut intelligamus esse aliquid in nobis supra cælum & astra, quæ Deus magnis mentibus infundat. Nullos planetas habet in dignitatibus præter Saturnum, qui in apice cæli positus casus potius (ut illi dictitant) quàm honores spondet. Lunam affligit conjunctione in Capro exulem, & dejectam. Sol est in octava peregrinus, nullis radiis afflans Horoscopum. Mercurius sine dignitate est, in sede figuræ ignobili. Venus sola thronum medii cæli occupat, sed in tristi domo Saturni sedet, cum eo conjuncta Quadratum Saturni directione veniebat ad horoscopum anno ætatis septimo, quod morbum aut casum aliquem inferre debuit. Nihil tamen passus est, nihil habet inter prospera & adversa quod astris imputet, vivit ab iis immunis.

NONA OBSERVATIO.

SCripsere nuper Astrologi Horoscopum insignis puellæ, quam propter eximias dotes nemo ferme hic agnorat, Mirifici sunt in prædicandis quæ omnes norunt, & vident Est igitur ab iis descripta tẽperamento ex sanguine & bile mixto, specie augusta, moribus honestis, & illustribus, ingenio optimo, rerumque eximiarum apprimè curioso. Est comitate & affabilitate sermonis præcipua, amat, & amari honestè cupit. Erga pauperes & afflictos facilè misericordiâ movetur, & accipere se putat cum dat beneficium. Stimulus illi ingens honoris & gloriæ, cujus suavissimos fructus degustabit, nupta marito potentissimo, & opulentissimo, forma quoque eximio. Experietur quandam luminis ecclipsin, & solitudinem brevem. Sed nunquam fortunæ sævienti succumbet. Hæc igitur in ore habent quæ omnibus sunt obvia: nam subire interdum adversa quos conditio gloriosos fecit, nimis consuetum est in rebus humanis. Unum est quod puellæ avent audire, & illi si possint eloqui, de tempore conjugii. Transiliere illic fines, & dixere nuptam fore anno 1648. Jam nobis teritur quinquagesimus, nec dicto fides: Quæruntur horam nativitatis non esse justo calculo datam; ecquis hoc possit, dum nobis rerum incuriosis tot tempora effluunt?

DECIMA OBSERVATIO.

MAgnam quæstionem hoc sæculo Astrologis fecit acerbus florentissimi juvenis casus. Hic fortunæ subvectus alis eò conscendit quo ipsa audacia trepidare debuit. Erat potentissimo Principi in deliciis, nihil illi clausum, nihil restabat appetendum Crescere nisi per descensum non potuit. Tot illi adoratores quot aulæ mancipia, amicus tamen nullus. Metum fecit illi qui facere omnibus consueverat. Magnitudinem suam sensit, sed aulæ lubrica non consideravit. Cecidit non devolutus, non dejectus, sed grandi & subito turbine impulsus: Cecidit de ipso Favoris sinu in cruentas carnificis manus, eo fato quo miseri solent, ea constantia quam nemo exspectavit, omnes admirati sunt.

Hic, ut solent, effutient multa, statim dicent, ridentis illius fortunæ quæ prima juvenem circumfulsit notas deprehendi in Venere, quæ in Tauro sua nempe domo

mo constituta, in nono quoque cæli templo sedet. Dicent in apice figuræ & majestatis throno repertum Tauri oculum, stellam primæ magnitudinis quæ inter Regias munerari solet, confertque stu pendas, sed lapsui obnoxias felicitates. Tragicam autem vitę catastrophem ascribent Jovi, Marti, & Soli, in octava domo, in qua mortis imperium est, collocatis: tamquam hic Jupiter ut judex jubeat, Mars ut carnifex occidat, idque Sole præsente, ob mortem publicam & illustrem. Quis non videt hæc allusione ad Deos Gentilium esse conficta? Deinde si hæc tam certa, cur omnes in calculo varii sunt? Cur nemo fatalem illam horam tam insignem, plenâ & indubitatâ directione potuit unquam demonstrare? Remittamus ista ad lamiæ turres, & mera ingenii curiositate lascivientis figmenta.

UNDECIMA OBSERVATIO.

VIr Heroibus fatus, & Heros ipse celeberrimus, formâ eximius, amplo pectore, liberali manu, Martio vigore intrepidus, magnatum virtutum comitatu undique septus, palmis & trophæis conspicuus: in omnium oculis, in omnium ore, sensit acerbam Nemesin, gladium que sævientis, magna bonorum miseratione, ingenti suorum luctu, & præcipuè illustrissimæ conjugis, quæ ferè sponsum supra Artemisiam luxit.

Quæsivere Astrologi Itali unde illa mors viro tot nominibus immortalitate digno? Unus inter illos spectatissimus ait.

Plurimi Aphorismi perniciem minabantur. Saturnus quadrangularibus radiis Solem respicit in signis fixis. Luna Domina octava in signo violento, in Solis quadrato ac diametro Saturni, cum stellis Andromeda. Apheta pars fortuna in opposito Martis, & ascendens cum violento corde Scorpii. Mercurius dominus loci Aphetici, occidentalis, peregrinus inter Plejadas cum quadrato Saturni Iupiter Dominus ascendentis, & octava, ob exaltationem cum Venere Domina *medii cali, quod Regem significat. In octava Hercules stella violenta:* Sed hæc quàm pusilla, quam infirma & in qua genesi hæc & similia non reperiuntur? *Saturnus* (inquit) *quadrangularibus radiis Solem respicit.* Sed platicè & imperfectè, cum Sol sit in nono gradu Tauri, Saturnus in decimo septimo Leonis. *Luna in signo violento:* cur violento? cum sit in Amphora in signo calido, & humido (ut aiunt) vitæ admodum convenienti? *Sed Luna in Solis quadrato:* quid tum? duram legem facimus rebus humanis; si omnes violenta morte occumbere oportet qui in quadratis Lunæ ad solem nascuntur. *Apheta pars fortuna in opposito Martis.* Vanum istud fortunæ nomen, & artis ludibrium quod saniores Astrologi non observant. *Ascendens cum violento corde Scorpii.* Imò longè abest, cùm cor Scorpii sit in quarto gradu, ascendens in duodecimo. Deinde hoc nihil efficit nisi hoc loco stimulentur à Planetis. Nihil istis levius, & tamen faciunt ventis pondus & spectantium credulitas, & error insanientium.

DUODECIMA OBSERVATIO.

VIr maximæ prosapiæ, celeberrimi nominis, speciosissimis undique fulgens

gens ornamentis, in quem omnium oculi defixi erant, omnium ora conversa, cui summa omnia fata polliceri videbantur, extinctus est igne & ferro in ipso ætatis flore, & honorum fere culmine. Ingemuit orbis tam afflictæ fortunæ, dedit lachrymas humanitati, dignitati venerationem.

Quæsitum an in astris aliquid esset, quod tam crudæ acerbitati caussam dedisset. Unus mathematicus qui de trivio numquam haberi voluit, sed in suo pectore totius artis arcana claudi semper existimavit, tantum mali scripsit esse conflatum, quod Saturnus inimicus esset horoscopo qui utique in Cancri gradum decimum nonum incidit, & Caprum Saturni domum habet in opposito. Quam leve istud! quam frivolum! quasi non multæ Geneses inveniantur ascendente Cancro fortunatissimæ, & hoc quidem sæculo regnatrices extitere. Nec meliùs quod addit eumdem Saturnum in sexta domo quæ servis, & morbis, adscribitur inveniri. Quid hîc cum servis & morbis? aberrat sanè toto cælo, nec valet quod fingit maleficum planetam hujus domus præsidem cum corde Scorpii pestifera stella esse conjunctum: distat enim decem gradibus: quod discrimen maximum facit: exspectabam tandem directionem quæ tanti casus tempus liquidissimè notaret: At hic nihil habuit præter triangularem aspectum ejusdem Saturni toties citati, qui tam terram, tam funestam, tam detestandam omnibus bonis cædem signaret: oportebat sanè Saturnum & Martem toto corpore, toto impetu concurrere, non trinum qui utique multis & beneficus, aut certè leviori nota maleficus. Consideratius aliquid dixisset, si tantam tragœdiam in caput Medusæ & caudam draconis quæ cum sole sunt, & in Sysigiam Martis & Lunæ in signo violento remisisset, sed conjecturas istas missas facimus, nec imputamus astris, quæ malitia hominum pertexuit, crudelitas operata est.

***



APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU.

EGo STEPHANUS CHARLETUS Provincialis Societatis Jesu, in Provincia Franciæ, potestate ad id mihi facta, ab admodum Reverendo Patre nostro Præposito Generali VINCENTIO CARAFFA, facultatem concedo, ut P. NICOLAI CAUSSINI è Societate Jesu sacerdotis *Libri de Regno & Domo Dei*, trium eruditorum ex eadem societate nostra judicio approbati, typis excudantur. Datum Parisiis, anno 1649. Junii die 20.

STEPHANUS CHARLETUS.

APPROBATIO DOCTORUM.

NOs *Academiæ sacræ Facultatis Parisiensis infra scripti Doctores Theologi, testamur hos* de Domo Dei Libros, Ephemerides insuper Historicas, à R. P. NICOLAO CAUSSINO Soc. Jesu, *concionatore, Presbytero compositos, perlegisse: in quibus nihil alienum à fide, nihil dissonum ab Ecclesia, nihil contra dignitates et subjectas, aut contra bonos mores, sed omnia juxta Spiritum Dei, vota Sanctorum, & Doctorum hominum, & quod mirum est in rebus tam remotis, vanis, incertis, & periculosis, proximam & certam pietatis & Doctrinæ Sacræ invenisse rationem, ita ut quod diu desideratum est, jam habeamus in istis R. P. Caussini libris, Astrologum Religiosum & Cosmopolitam solitarium, endocelo brevi donandum ingenium authoris est, cui multum debet Respublica litteraria, in cujus rei fidem hoc testimonium syngraphis propriis, & amanuensibus hac decima mensis Augusti die anni supra millesimum sexcentesimi quinquagesimi Parisiis munivimus.*


T. C. DE LA HAYE Benedictinus.

F. OLIVARIUS RICHECŒUR Regens apud Prædicatores.

R. P. NICOLAI CAVSSINI SOCIETATIS IESV


EPHEMERIS ASTROLOGICA ET HISTORICA

CVM OBSERVATIONIBVS ADVERSVS superstitiosa de Astris Iudicia.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud IOANNEM KINCHIUM sub Monocerote Veteri, Anno M. DC. LII.



PRÆFATIO.



ST innata cælestibus animis hæc cupiditas, ut maximi sideris iter per dies singulos lubenter observent, & quid quoque die memorabile in rebus humanis eveniat, annotare curent. Quamobrem non injucundum lectoribus meis existimavi, si post explicatam Domus Dei dignitatem, & opulentiam subjicerem Ephemeridem Astrologicam, & Historicam In ea quisque perspiciet quotidie, Solis locum, ortum, & occasum, crepusculum matutinum, & vespertinum, longitudinem diei, & noctis.

Numerabit incrementa lucis exultabit ad Solis redeuntis aspectus, illam plenitudinem claritatis quam Christus nobis promisit, expectans: Ad decrementa verò dierum, reputabit arctari quotidie vitæ metas, & noctem illam omnibus imminere in qua nemo possit operari Advertet præcipuorum siderum ortus, & occasus, qui magnas conversiones in hoc inferiori mundo efficiunt. & vicissitudines rerum cogitabit.

Jam ut theatrum quoddam divinæ providentiæ emineret, secutus Pantaleonem, Eberum, Hadrianum Junium, & cæteros, annotavi per singulos dies rerum præcipuarum eventus natales. & obitus clarissimorum virorum, festa, ritus, acies directas, urbium obsidiones, eluvies aquarum, incendia, actus strenuos, prospera & adversa mortalium, bella, fœdera lata, calamitosa.

Decreveram si vita & otium suppeterent, hæc latius prosequi, componere inter se, judicare, disserere spectaculum in omnibus divinæ mentis absolutum proponere: Sed quia nos alia cura distringunt, placuit tantum hæc libare, & considerationis materiam iis qui Rom. 1. 20. *historias norunt, suggerere. Numquam operam perdidisse me existimabo, Si* Invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt (*ut ait Sanctus Paulus*) intellecta conspiciantur.

EPHE-

EPHEMERIS ASTROLOGICA.

DE LOCO SOLIS, ET INGRESSU IN duodecim ſigna Zodiaci.



SOlis ingreſſus in duodecim ſigna Zodiaci expenditur notiſſimis verſibus, quos Clavius noſter in ſuis ad ſphæram Sacroboſci commentariis annotavit.

Inclyta laus juſtis impenditur, hæreſis horret
Garrula, Grex gratus fauſtos gratatur honores.

Duo hic ſpectanda, primum duodecim verba hic contineri, quæ totidē menſibus reſpondent, ut *Inclyta* Januario. *Laus* Februario, *Juſtis* Martio, & ſic deinceps. Secundo, primas cujuſq; verbi literas conſiderari & notari quem ordinem aut numerum in Alphabeto teneant: Is enim numerus de triginta ſubductus dat diem menſis quo ſol ingreditur Januario ſcilicet in Amphoram, Februario in Piſces. Martio in Arietem, Aprili in Taurum, Majo in Geminos. Junio in Cancrum, Julio in Leonem, Auguſto in Virginem, Septembri in Librā. Octobri in Scorpionem, Novembri in Sagittarium, Decembri in Caprum.

Exempli gratiâ quæro quo die Januarii, Sol ingrediatur in Amphoram: aſpicio ad primum verbum, *Inclyta* quod Januario primo menſi aſſignatur. Animadverto quod incipiat per I. quæ litera nona eſt Alphabeti. Tollo igitur de triginta diebus novem, & reſtant XXI. Unde aſſero Solē die vigeſimo primo Januarii in Amphorā ingredi. Sic erit in ſequentibus ratiocinandū: ingreſſu Solis in ſignum quodq; noto, cū moveatur quotidie uno fere gradu facile erit dicere in quo gradu ſit, ad diē datū.

DE LOCO LUNÆ ET ſtellarum.

QUotus dies ſit Lunæ per Epactam cuiq; notiſſimâ agnoſcitur. Quo verò in ſigno ſit à Neomenia, deprehendes, ſi datum Lunæ diem multiplices per quatuor, dividas per decem, & tot ſigna numeres quot Decades inveneris.

Quot horis autem inæqualibus luceat per noctem, aſſequeris, ſi datum diem Lunæ multiplices per quatuor, dividas per quinque, & pro quolibet quinario aſſignes horam, pro unitate quintam partem horæ, ut antea dixi. Quod ad ſtellas fixas attinet, ortum præcipuarum annotavi, libro ſecundo; hîc tantum perſtringam eas quæ majores faciunt in aëre mutationes. Planetarum theoriam quia operoſior eſt, tabulæ Rodolphinæ, & de iis extractæ Ephemerides indicabunt.

TABVLA DE ORTV ET OCCASV SO-

lis,& siderum pro Ianuario,ad elevationem Lutetiæ,& circumiacentes locos.

Dies.	Ortus Solis.	Occasus Solis.
Januarii 1.	Hora 7. cum 3. quadrantibus & dimidio.	Hora 4. cum semiquadr.
17.	Hora 7 cum 3.quadrantibus.	Hora 4.cum quadrante.
22.	Hora 7. cum dimidia, & semiquadrante.	Hora 4.cum quadr. & dimidio.
28.	Hora 7.cum dimidia.	Hora 4.cum dimidia.

Dies.	Crepusculum matutinum.	Crepusculum vespertinum.
Januarii 7.	Hora 6.cum dimidia.	Hora 5 cum dimidia.
18.	Hora 6 cum quadr. & dimidio.	Hora 5.cum dimidia & semiquad.
24.	Hora 6 cum quadrante.	Hora 5.cum 3.quadrant.
30.	Hora 6.cum semiquadr.	Hora 5 cum tribus quadr. & dimidio.

Dies.	Longitudo diei.	Longitudo noctis.
Januarii 1.	Horarum 8.cum quadrante.	Horarum 15.cum 3.quadr.
17.	Horarum 8.cum dimidia.	Horarum 15 cum dimidia.
22	Horarum 8 cum 3.quadr.	Horarum 15 cum quadrante.
28.	Horarum novem.	Horarum 15.

Dies.	Ortus, &	Occasus siderum.
Januarii 1.	Aculeus Scorpii oritur mane.	1 Lucida Hydræ occidit Mane.
6.	Orionis dexter humerus. Oritur vesperi.	10. Bootis dextera occ. Vespere.
29.	Caput Medusæ [illegible]itur mane.	17. Caput Herculis occid. V.

I.Noe

I.

Noe montium videt cacumina.

Joannes testimonium dat Christo, agnum Dei appellans. Mallæus.

S. Fulgentius.

EO die, Romæ, apud antiquos corricia celebrata, novi magistratus electi, lauri frondes renovatæ, stips erogata, data dulciaria: *Cassianus Bassus.*

Annus primus Jubilæus à Bonifacio VIII. institutus, æra Christi 1300.

MARIUS consul magna gloria de Jugurtha triumphavit.

Titus Livius celeberrimus historicus obiit Paduæ anno Christi 18. ætatis septuagesimo. *Volaterr.* Eodem die Ovidius in Ponto mortuus.

Ælius Verus ab Hadriano imperatore adoptatus, veneno tollitur, anno Christi 170. *Spartianus.*

ALEXANDER VI. Pontifex Hispanus, magnæ historiæ argumentum nascitur, 1431. hora 6 minutis 31. post mediam noctem, *Junctinus.*

Sigismundi Poloniæ Regis natalis 1469 paulò ante sextam matutinam qui laudatissimi imperatoris partes egit, *Idem.*

Eadem luce editus Andreas Vesalius, medicus præstantissimus, & Anatomiæ magnus illustrator 1514. minutis 45. post V. matutinam. *Idem.*

Albertus secundus, cum uxore Elizabetha Sigismundi filia, in Alba Regali, Rex Ungariæ coronatur, & eodem die Cæsar designatur, 1438. *Bonfinius decade 3. lib. 4.*

Fridericus tertius Rex Romanorum electus anno 1444 *Cuspinianus.*

Carolus VIII. Rex Galliæ cum Alexandro Papa fœdus init, ea lege ut Zizimus Bajazetis Turcarum Imperatoris frater sibi traderetur, unde magnæ in Italia commotiones 1495.

Ludovicus XII. Rex Galliæ mitissimus princeps, & verus populi pater ? Lutetiæ supremum diem clausit, anno Christi 1515 imperii 18. *Paulus Iovius.*

Ferdinandus Rex potitus est Granata, Mauris expulsis 1492

II.

S. Macarius Alexandrinus,

ATer dies Romanis.

Ezechiel ruinam Ægypti prædicit.

Commodi imperatoris statuæ disjectæ. *Iulius Capitol.*

Carolus II Rex Ungariæ in Alba Regali magna pōpa coronatur 1310 *Bonfinius*

Philippus Longus Rex Galliæ moritur.

Galeatius Dux Mediolani in templo, ab Andræa Leomponiano cive suo occisus 1477. Paulus Æmilius ad 6. Januarii refert.

Joannes IV. Lusitaniæ Rex Caroli imp. gener obiit, cujus uxor vigesimo post die Sebastianum peperit brevis vitæ, & violento extinctum fato.

Pius IV. Romæ pontifex electus 1560 Catharina Medicæa Regina Galliæ, Blesis fatis cessit 1589

III.

S. Genovefa.

ANno Urbis 648 ante Christum CXI. eo die qui Minervæ apud Romanos sacer erat, natus M Tullius Cicero, ad Auroram, (ut vult Junctinus) qui majestatem imperii Romani ingenii atque eloquentiæ magnitudine adæquavit. Meminit hujus diei sibi natalis idem Cicero 7. epist. ad Atticum 5 & Gellius lib. 15 noctium Atticarum, cap. 28

A 3 Votorum

Votorum nuncupatio pro salute Principis, in qua Romæ Neronem & Drusum Diis commendabant, *Cajus jurisconsultus*.

Nicolaus II. Papa Florentinus Pontifex electus 10 9. Henricum III. coronavit, & concilio celebrato Pontificum electionem ad Cardinales reduxit. *Volat.*

Terræ motus ingens multa passim ædificia prostravit, 1117. *Marianus Scotus.*

Jacobus Murius Attendula, cognomine Sfortia, ex humili sorte rei militaris studio maximus effectus, dum puero in flumine periclitanti subvenire conatur, submersus interiit 1424 *Pand. Col.*

IV.

S. Titus Cretensis.

N*Atalis B. Angelæ à Fulignio.*

Julius Cæsar cum exercitu in Græciam trajecit contra Pompejum, quem eodem anno in Pharsalico prælio superavit. *Cæsar l. 3. de bello civili.*

Carolus IV. imp. cum Venceslao filio magna pompa Lutetiam ingreditur, ut inter Carolum V. FR. Regem & Anglos pacem componeret 1378. *Chronic. RR. Franc.*

Sigismundus Rex Poloniæ patre Casimiro natus 1467. *Mariani Chronic.*

Caletum cùm per annos 211. in Anglorum potestate fuisset, à Gallis magno animo receptum. 1558.

V.

Christus baptizatus à Joanne. Eodem die aquam in vinum commutavit.

S. Simeon Stylites.
S. Eduardus Rex Angliæ.
S. Syncletica.

LIberi Patris fons apud Andron insulam eo die vini saporem habuit per quinas horas *Solinus.* Cibyres quoque Cariæ, & Gerasa Arabiæ fontes, teste S. Epiphanio eodem die dicuntur vinum miraculo profudisse.

Carolus Dux Burgundiæ ingenio semper movendi & inquieto, ad Nancejum ab Helvetiis, & confæderatis, ingenti prælio victus, & occisus 1477.

Ferdinandus Archidux Austriæ, Coloniæ magno apparatu, Rex Romanorum inauguratus 1531.

VI.

Rhedonis S. Melanius.

JUlius Cæsar orientis victor urbem triplici triumpho ingressus, anno urbis conditæ 725. *Conrard.*

Augustus Cæsar magno quoque triumpho Romam invectus Janum clausit, *anno V. C. 731.*

Gethes Herulorum Rex cum sua gente Constantinopolim venit, & baptismum suscepit, à Justiniano de sacro fonte levatus. Anno 530. *Abbas Usp.*

Stephanus VI. aliis VII. Papa electus qui Formosi Papæ prædecessoris cadaver è terra erutum indignis contumeliis affecit *Volat.*

Henricus V. Rex Romanorum electus Aquisgrani, patris voluntate, Conrado seniore filio repudiato. *Abbas Usperg.*

Clemens III. Papa designatus, quo hortante Fridericus Barbarossa expeditionem contra Saracenos suscepit.

Coronati hac die Carolus Andegavensis Rex Siciliæ à Clemente IV.

Philippus pulcher 1286. *Tillius.*

Adolphus imperator. 1292. Henricus VII. Aquisgrani 1309. *Avent.*

Ludovicus Bavariæ 1315. *Naucleru.*

Pius IV 1560. *Onuph.*

Catharina Henrici VIII. Angliæ uxor decessit

deceſſit ingens patientiæ exemplum. *Surius* 1335.

B. Raymundus pennafortius piè deceſſit.

Franciſcus panacirola Franciſcanus concionator facundiſſimus natus, 1548. hora 14 min 35. poſt meridiem.

VII.

S. Lucianus Martyr eximius.
S. Canutus Rex Daniæ.

IUlianus Apoſtata Imperator electus.

Epicurus natus anno 7. ante mortem platonis.

Concilium Tridentinum inchoatum ſub paulo III. 1546.

Ferdinandus V. cum Iſabella Granatam Victor Maurorum ingreditur.

VIII.

Hierapoli S. Apollinaris Epiſc. qui ſub Marco Antonino Vero ſanctitate & doctrina floruit.

CÆleſtinus III. Pontifex anno 7. pontificatus ſui obiit, & eodem die Innocentius III electus qui Lateranenſe concilium florentiſſime celebravit. Anno 1198. *Volate.*

IX.

Antiochiæ SS. Iulianus & Baſiliſſa celeberrimi nominis Martyres.

IOannes XII. infauſtis avibus electus, qui dedecorata innumeris flagitiis dignitate annitente Othone Imperatore pontificatu exutus, tandem trepidus & fugiens in latibulis fertur extinctus. *Volat.*

Hadrianus VI. Batavus vir integerrimæ vitæ, eminentiſq; doctrinæ, Caroli V. Cæſaris Præceptor, pontifex Maximus præter opinionem creatus 1521. *Onuph.*

Gregorius XV. natus 1554.

Anna Britannica glorioſæ memoriæ Franciæ Regina, Bleſis deceſſit anno 1513. ætatis 36

X.

S. Paulus Eremita.

HOnorius à patre Theodoſio Imperator electus, anno 393 mitiſſimi ingenii princeps, & vitæ quietioris. Deo pugnante varios Tyrannos ſuſtulit, & per annos 32. ſceptrum avidè à pravis impetitum conſtanter tenuit.

Agatho Papa moritur vir conſtantiſſimus, qui 6. Synodum contra Monothelitas celebravit, & leproſum oſculo ſanavit anno 681. *Platin.*

Gregorius X obiit 1276. qui pacem inter Venetos & Genuenſes conſtituit, & famoſiſſimum concilium Lugduni tenuit, cui Michaël paleologus Imperat. orientis Eccleſiæ Latinæ conciliatus adfuit.

Anno 1429 Brugis FLANDRORUM Philippus dux Burgundiæ Comes Flandrorum, ordinem inſtituit aurei Velleris, in Honorem Dei, ſanctiſſimæ Virginis, & beati Andreæ.

Durantus præſes vir magni nominis in ſeditione Toloſana à furentibus occiſus. 1589

XI.

Ambiani S. Salvii Epiſcopi & Martyris.

STauratius Imperator Orientis extinctus anno 809.

Coloniæ ſeditio excitata, & duo conſules ſecuri percuſſi. 1513 *Surius.*

XII.

Chriſtus juxta Bedam dicitur hoc die miraculum panum celebraſſe.

S. Tatiana ſub Alexandro dirè cruciata.

COmpitalia feſta Romæ ab antiquis ſuperſtitiosè celebrata, in quibus laneæ effigies de compitis ſuſpenſæ, & laribus,

bus, dicatæ, ut his contenti à vivis abstinerent *Kalend. Romanum.*

Carolus III. Crassus Imperat. post annos imperii decem, contemptus à suis, & imperio semotus, privatus vixit, ex domino occidentis pene mendicus.

Tres Soles in Germania visi 1514 *Lycosth.*

Maximilianus I. Imperator anno ætatis 60 imperii 33 sæculi 1519 finem vivendi fecit, cujus mortem horrenda solis Ecclipsis præcessit *Cuspin.*

Anno 1551. tempestas horrenda per Germaniam sæviit, tanto mortalium metu, ut instare Decretorius mundi dies passim crederetur.

XIII.

S. Hilarius agonem vitæ feliciter consummavit, quadriennio pro fide exul, deinde sedi restitutus & eximiis operibus clarus.

Sanctus Remigius Francorum Apostolus multarum palmarum senex obdormivit in Domino.

AGamemnon Græcorū exercitus Imperator, ad Trojam, dolo uxoris & Ægysti adulteri immaniter trucidatur. *Dinias.*

Cajus Marius primus ex plebejis consul factus nascitur: eodem die ab exilio revocatus, eodem quoque die mortuus, anno ætatis 70. *Appion.*

Romanus Diogenes ab Eudocia maritus & Imperator dictus anno 1067.

Joannes Rex Franciæ in Angliam trajecit pro redimendis filiis quos obsides Eduardo dederat. 1364.

XIV.

In Syria S. Iuliani Saba qui Valenti Imp. Ariano fortissimè restitit.

HUnnericus Vandalorum Rex Arianus, adversus Catholicos dira persecutione infremuit, exiliis & cædibus multis operatus, anno 500 *Victor.*

Cometa ingens per duos menses arsit. 1315. Mart. Polon.

Anno 1649 Parisiis aquæ stupendæ per vicos Urbis inundantes, ita ut naviculis iretur, commotioni aquarum juncti motus populorum turbulenti & magni.

XV.

S. Ioannes Calybita, alter Alexius magnus in obscuro mundi triumphator.

SErgius Galba Imper. Neronis destructor, & severioris auctor disciplinæ, Othonis Sylvii factione, indigna nece perimitur, anno Christi 70

Elizabetha Regina Angliæ electa, quæ fidem Catholicam à Maria regina assertam dire in Anglia profligavit 1559

Galeatus Sfortia Dux Mediolanensis natus anno 1444. hora 2. minutis 37. post mediam noctem. *Iunctinus.*

XVI.

S. Honoratus Arelatensis.

S. Melas exul sub Valente.

S. Priscilla obsequio pauperū mancipata.

THeodosius Hispanus à Gratiano Imperator electus, Eugenii & Arbogasti tyrannidem fregit.

Theodosius filius Arcadii Imp. Theodosii magni nepos, Augustus appellatus, anno salutis 400

Joannes Schonnerus insignis mathematicus nascitur Caroloftadii anno 1477. m. 7 ante horam undecimam noctis.

XVII.

S. Antonius.

OCtavius Cæsar à senatu & populo Romano Imperator confirmatus Sextili mensi Augusti nomen dedit.

Theodosius magnus Honorii & Arcadii parens pietate & armis clariss. anno ætatis 60 Mediolani moritur.

S. Joannis Chrysostomi corpus Constantinopolim defertur & honorificè sepelitur.

Georgius Schandeberg Epirotarum

Prin-

INDEX ALPHABETICVS
Ephemeridis Astrologicæ & Historicæ.

An-

S.Cy-

S. Ireneus.

Ge-

Hono-

Mont-

Q.

Ra-

R.

S.

Soly-

Vi-

FINIS.

